Mueller

HERM. CONRINGII

DE

ANTIQVITATIBVS
ACADEMICIS

DISSERTATIONES SEPTEM

VNA CVM EIVS

SVPPLEMENTIS.

RECOGNOVIT

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS

ADIECITQVE

BIBLIOTHECAM HISTORICAM

ACADEMICAM.

ACCEDVNT

GEORGIAE AVGVSTAE

PRIVILEGIA.



GOTTINGAE

SVMTIBVS BIBLIOPOLII ACADEMICI PRIVILEGIATI

cIↃ IↃ CCXXXIX.

PRAEFATIO.

Inter tot Hiſtoriae literariae partes haud eſſe illam poſtremam, quae ipſos Helicones & Parnaſſos, hoc eſt, officinas literatae ſapientiae, diligenter deſcribit, cum facile intelligatur, magni ſemper habita fuit CONRINGII opera, ſingulari libro perſecuti *Antiquitates Academicas*, & quidem more ſuo perſecuti, id eſt, doctiſſime elegantiſſimeque. Merito igitur liber ille viri inter ſui ſaeculi primarios viros ſummo relati iure iamdudum praeconia tulit a (a) Morhofio & (b) Reimmanno,

(a) Polyhiſt. liter. lib. I. cap. 14. § 10. & cap. 16. §. 72.
(b) In Idea Syſtem. Antiq. liter. p. 65. ſq. & p. 411. ac 415.

manno, viris & ipſis hiſtoriae literariae conſultiſſimis. Fuerunt vero noſtris temporibus, qui librum tam laudatum fruſtra quaererent, deque exemplarium raritate conquererentur magnopere. Id quod iam pluribus abhinc annis iniecit mihi conſilium, denuo edendi hunc librum, & eum quidem in modum, vt placere etiam oculis poſſit, nec iuſta ipſi deſint ornamenta. Non tamen ſucceſſit hoc conſilium ante hoc tempus, quo & munus meum Hiſtorici literarii & nouae Academiae, cuius ipſe pars ſum, inauguratio ſtimulos mihi ſubdebat, vt & meae voluntati & tot aliorum deſiderio ſatisfacerem.

Accipe igitur, Reſpublica literata, nouam hanc editionem, &, quis hic meus labor fuerit, quae curatio, paucis accipe. Exhibeo ſcilicet *Antiquitates Academicas* ita, vt a. 1674. eas ſuus auctor edidit, multis locupletatas *Supplementis*: ſed comtiori eas exhibeo facie. Primum cum vtraque Conringii editio (prima enim a. 1651. emiſſa fuit,) legentium oculos vehementer offenderet & chartae turpi colore & literis maxime detritis, neutrum hic accuſabis, ſed ſatis nitidam eſſe iudicabis hanc editionem, *pulchrae materiae conueniente typo*. Deinde id mihi curae fuit, vt non ſolum recte interpungerentur omnia, ſed errores quoque tollerentur typographici. Quo labore cum fungerer, in grauiores etiam

incidi

incidi maculas, quas eluere non eſt cuiuis lectori promtum, e. g. *temeritas*, *immune*, *Valerianus*, *Valentinus*, *Camberius*, vbi ſcribendum erat *merita*, *immane*, *Valentinianus*, *Cambdenus*. Tum ſuum cuique *Diſſertationi argumentum* praeſcripſi: *Addenda* textui inſerui: *Supplementorum*, cum ea loco ſuo commode moueri non poſſent, indicium feci ſuo cuiusque loco in margine: eidem margini inſcripſi paginas prioris editionis, cum ipſe Conringius in *Supplementis* ſaepius indicet certam *Diſſertationum* paginam. Erat vero & ideo id neceſſarium, ne fruſtra quaerantur, quae ex hoc libro laudata ſunt ab aliis ſcriptoribus; & ne nouo eſſet opus *Indice*. Praeterea loca auctorum, e quibus hauſerat, inſcripta a Conringio margini, deduxi ſcito noſtrae aetatis more in extremum cuiusque paginae: ac textum ab ipſo Conringio diſſectum notis inſtruxi numeralibus. Retinui etiam vtriusque Conringianae editionis *Praefationem*, & ex altera *Dedicationem*: quam quidem propterea recudendam duxi, quod aliquam hiſtoriae literariae partem continet, ac Epiſcopi Paderbornenſis inſignia in literas merita poſteritati exponit. Nec omittere debui *Maderi de veteribus ſcholis* epiſtolam, quam ſecundae ſuae editioni ſubiunxerat Conringius: etſi ex vero fatetur ipſe Maderus in exitu literarum ſuarum, pleraque omnia loca de ſcholis, quae in aſſidua veterum

lectione verſanti ſibi occurrerint, a Conringio etiam inſpecta fuiſſe & commemorata.

Denique ſex a Conringio ſimul editis Diſſertationibus *de Antiquitatibus Academicis* ſeptimam adiunxi, eam ſcilicet, qua legem Codicis Theodoſiani *de ſtudiis liberalibus vrbis Romae & Conſtantinopolis* illuſtrauit ſtudioſiſſime. Ac feci id iuſſu veluti Conringii, quippe qui (vt ex ipſius *Supplemento LXXXIII.* apparet,) eam alteri *Antiquitatum Academicarum* editioni ipſe adiunxiſſet, niſi prius eam recognoſcendam cenſuiſſet augendamque. Non ſolum enim & ipſa antiquitates tractat Academicas, ſed etiam, vti ſex caeterae, recitata e cathedra Iulia fuerat occaſione ſimili. Scilicet, cum a. 1655. menſe Ianuario decederet Rectoratu, haec publica eius fuit & ſolennis oratio: id quod in primae editionis Dedicatione docet ipſemet. Illo ipſo igitur anno eam emiſit in lucem publicam: anno autem 1674. exeunte iterum eam edidit, vt ipſe loquitur in titulo, *recenſitam, auctam, & correctam.* Comparatione vtriusque editionis a me facta didici, nonnulla a Conringio verba fuiſſe in ſecunda editione mutata vel etiam correcta; rebus autem ipſis addita pauciſſima: vt adeo eam ob cauſam vocarit hanc editionem *auctam*, quod adiecit ei & Σύνοψιν ſiue *Lemmata* & *Indicem rerum:* quod vtrumque primae editioni deeſt. Adſcripſi vero & huic Diſſertationi in paragraphos dis-

disſectae cum notas numerales paragraphorum, tum proxime antegreſſae editionis paginas. Caeterum cum alteri ſuae editioni adiunxiſſet Conringius ſuam *Diſſ. de iis, quae in Studioſo quouis requiruntur, qui in Academia velit ſtudiorum fructum capere*, itemque *excerpta* quaedam ex Ioach. Hopperi *libro IV. de vera iurisprudentia*; vtrumque omittere debui, cum neutrum ferre queat *antiquitatum Academicarum* titulum: id quod ipſe in *Praefatione* faſſus eſt Conringius. Quare &, quae huc pertinebant, cum e *Praefatione*, tum ex *Indice*, reſecui iure meritoque. Miror vero maiorem in modum, tum nondum in manus Conringii veniſſe editionem *Codicis Theodoſiani* Gothofredianam: quam ſi vidiſſet, non eſt mihi dubium, quin Gothofredi annotationes modo laudaturus fuerit, modo correcturus. In eo ſane acutius vidit Gothofredo, (cui nec ipſi contigit videre atque vſurpare priorem editionem Conringiani huius libelli:) quod vitiatum ſenſit hunc legis locum: *Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Praefecturae etiam impurius ad patriam revertatur.* Cum enim Gothofredus in *Tomi V. Comment. ad Codicem Theodoſianum p.* 197. nulla ſibi iniecta ſuſpicione mendi, verbum illud *impurius* interpretetur *cum nota & dedecore*; noſter Conringius §. *XXIX.* iure cenſet, id verbi eſſe deprauatum. Quanquam non aeque felix fuit in ſanando vulnere,

ac

ac in indicando. Non enim *inuitus* reſcribere debebat, ſed (meo quidem iudicio) *punitus:* quod facile tranſiit in *purius*, cui poſtea praefixum fuit *m* illud, quod verbum praecedens finierat.

Quod ſi quis mirabitur, hanc & plures annotationes me non adſcripſiſſe meae Conringiani operis editioni huic, ei reſpondeo, me nunc ſeruili duntaxat opera defungi voluiſſe, vt quaeſitum a multis hoc praeclarum opus iis redderem, & quidem correctius nitidiusque. Hocce labore meo nunc ſint contenti Lectores: quos tamen doceo, Notas doctiſſimas iam emiſiſſe Illuſtrem virum, IO. WILH. GOEBELIVM, ICtum Helmſtadienſem, editorem omnium (a) Conringii Operum; & breui amicum quendam meum magnum ſuas ad hoc opus annotationes, quas ſumma exceptum iri & approbatione & admiratione certiſſimum habeo, eſſe editurum. Nec violabuntur Manes Conringiani, ſi vir hic eruditiſſimus aliquos Conringii errores (b) indicauerit & correxerit. Nam ipſe Conringius in *Supplementis* ſuis plures correxit errores, quos in *Diſſertationibus* commiſerat. Adeo generoſa ei erat mens, ſoli in-

(a) *Antiquitates* hae *Academicae* inſertae ſunt *Tomo quinto p. 398. ſqq.* Ex hac editione vnicam annotationem inſerui huic meae, illam videlicet, quae adſcripta eſt *Supplemento XXXVI.* de diplomate Caroli M. Osnabrugenſi Epiſcopatui dato. Illud dolendum, quae quidem typographi haud dubie culpa eſt, praetermiſſa eſſe in Goebeliana editione *allegata*, quae vocant, Conringii marginalia, a me exhibita in extrema quaque pagina.

(b) Huc pertinet ille error, quo *p. 65.* duos diuerſos ſcriptores facit *Strabum Fuldenſem* & *Walafridum Strabonem.*

intenta veritati, nec deprehenso aliquo errore suo verecundans hanc erumpere in vocem: *Erraui.* Ac inspicere te velim, Lector, laudabilem illum *Indicis* Conringiani titulum: *Retractationes.*

Caeterum peruelim, vir ille longe doctissimus, quem innuo, suas annotationes literarias & antiquarias augeat meditatione morali & politica de rebuspublicis Academicis earumque origine & forma, nec reticeat, si quid vitiosi deprehenderit in iis, ac simul emendandi rationem commonstret. Deesse namque hoc suo operi, ipse agnoscit Conringius in *Praefatione* ad editionem primam, ac pollicetur, fore aliquando, vt historicae huic de Academiis tractationi subiungat censuram Academiarum politicam. Ac aliquam eius consilii partem exsecutus est in libello illo, quo legem illustrauit Codicis Theodosiani *de studiis liberalibus vrbis Romae & Constantinopolis.* Duas enim diuisit eum in partes, quarum altera *scholasticam*, altera *politicam* illius legis *interpretationem* exhibet. Cur, quod reliquum erat, non praestiterit, facile colligimus e prima illa, quam modo laudaui, *Praefatione.* Ostendit namque, qui facere id ausit, eum crabrones esse irritaturum, multasque in se deriuaturum molestias. Ob oculos videlicet obuersabatur ipsi, ni fallor, exemplum Io. Matthaei Meyfarti, quem tot ictibus compunctum videns piscatorem sapuit scilicet, manumque ab hac

tabula abſtinuit. Quod enim libere ſuam poſtea expromſit ſententiam de ſcholis Conſtantinopolitana & Romana, ea non erat res magnae audaciae. Quis enim timeat hodie tres illos ſaeculi quarti Imperatores, Valentinianum, Valentem, & Gratianum? Maiori omnino pectoris robore opus eſt ad illum vincendum metum, quem incutiunt exacerbati animi nunc viuentium Academicorum ſiue in cathedris ſedentium ſiue in ſubſelliis. Verum ego quidem credo, ſine acerbitate illa, qua vſus fuit Meyfartus eloquentiae ſuae nimium indulgens, exponi poſſe iudicium de Academiis morale pariter ac politicum, atque ita tradi veritatem tam vtilem tamque veri bonique cultricibus mentibus iucundam.

Non poſſum facere, quin ex iis, quae mihi ſubinde venerunt in mentem de hoc argumento, pauca quaedam proferam, idque me facturum ſpero ſine inuidia. Ad ortum ſcilicet Academiarum quod attinet, ſatis conſtat, architectos earum fuiſſe Romanos Pontifices. Iam vero hi, quicquid agunt, ſui regni ſpectant & confirmationem & amplificationem. Cum igitur nihil illorum tenebris magis eſſet metuendum, quam lux ingeniorum, illo ipſo tempore e longo veterno euigilantium, ea putabant ſuam redigenda eſſe in poteſtatem. Eo conſilio ipſi conſtituebant ſocietates literarias, easque

ma-

magna muniebant auctoritate, magno ſplendore, indulgentes praeterea ipſis literatarum mercium monopolium. Ita facile fiebat, vt, qui docti viri honores conſectarentur & opes, regno Pontificio doctrinas ſuas accommodarent cupidiſſime; qui vero ſincerae veritatis ſtudioſi eſſent, ab alteris coërcerentur. Atque hoc pacto euadebant Academiae partim propugnacula regni Papaei, partim carceres ingeniorum liberam philoſophandi viam amantium. Ac diu ſatis ſucceſſit conſilium hoc, hic dolus, Pontificibus. Verum Lutheri tandem tempore, cum rerum ſuarum nimium ſecuri eſſe coepiſſent reges illi ſacri, accidit, vt poſterioris generis viri docti caput extollerent ſupra priores, & publico conſtituti in theatro maximam cladem inferrent rebus Pontificiis. Poſtea, recentiori ſcilicet aetate, maior fuit in Academiis conceſſa libertas ingeniis: atque ſic factum, vt nulla diſciplina non purgaretur ſordibus ſuis, vtque regnum veritatis incrementa caperet maxima. Cum tamen inſtituta vetera multa retenta ſint in Academiis, vetera quoque multa earum remanſerunt vitia: quorum hic potiſſimus eſt fructus isque triſtiſſimus, vt in his ſapientiae diuinae humanaeque officinis pauci reddantur ſapientiores & virtuti addictiores, multi inde diſcedant non multo doctiores, quam acceſſerant, multo autem corruptiores moribus.

Sufficiat hoc huius tractationis rudimentum, relictis maiori ingenio meditationibus huius generis reliquis. Satis ego habebo, gratum fecisse huius meae editionis inspectoribus adiiciendo *Bibliothecam historicam* (a) *Academicam*. Etsi enim seruilem prorsus hic laboraui laborem, vtilitas tamen ei nonnihil, credo, conciliabit pretii. Accedit, quod iustum huius generis librorum aceruum cernere iamdudum gestierunt cultores historiae literariae. Nec ingratum iis fuerit videre hic adiecta *Priuilegia Gottingensis Academiae*: id quod feci exemplo Conringii mei, qui Iuliae Academiae, in qua docebat, priuilegia libro suo adiuncta voluit. Scias autem, Lector, nouae Academiae priuilegia hic exscripta esse e τοῖς πρωτογράφοις, & quidem, quam fieri potuit, emendatissime.

Poteram & annectere *Historiam* meam *gladii Academici*. Verum cum proxime iam ea recusa sit in *Primitiis* meis *Academicis*, iure credidi, non esse tam cito cramben illam reponendam. Gratius videtur futurum compluribus fuisse, si tres illas Dissertationes, quas quondam emisi, *de origine* (b) *nominis*

(a) Iure ex hac exclusi BILLARDI librum huius tituli: *Histoire des Vniversités titrées & privilegiées dans toute l' Europe*: quem laudat Bailletus in operis sui de libris *Anti P. I. p. 240.* Est enim & auctor hic & titulus hic fictitius, vti caeteri libri eo loco ante & post commemorati.

(b) Exstat in Halensis *Nouae Bibliothecae P. XLV. p. 363. sqq.*

nis Academiae, *ſcholis vniuerſalibus hodie tributo*, *de titulo* (c) *Magiſtri*, deque *titulo* (d) *Profeſſorio Excellentiae*, hic denuo exhibuiſſem, & quidem locupletatas haud perfunctorie. Sed non putaui, tam longam Conringiano operi conuenire appendicem. Quare aliud in tempus iſtum laborem differo.

Quae tamen in promtu mihi ſunt de appellatione Academica *Facultatum*, & *Collegiorum*, & der Burſche, (quo nomine *Studioſi* ſolent affici,) itemque de titulo *Anteceſſoris*, ea nunc expromere licebit, ſimulque rogare doctiores, ſpicilegium hoc meum vt inutile reddant exhibendo meſſem vberrimam. De *Facultatis* (e) nomine vt initio dicam, conſtat, Academias diuidi ſolere in quatuor collegia, eorumque vnumquodque vocari *Facultatem*. *Facultas*, inquit Bulaeus in *Hiſt. Acad. Pariſ. T. I. p.* 251. *eſt corpus & ſodalitium plurium Magiſtrorum* (ſiue Profeſſorum) *certae alicui diſciplinae addictorum*. Iam cum id nominis vehementer offendat aures Latinas, quis non geſtiat cognoſcere, qui factum ſit, vt *facultatis* nomen inderetur collegio, & quidem ſolis in Academiis? Aperiam igitur huius appellationis

(c) Inſerta haec eſt *Actis Philoſophorum T. III. p.* 592. *ſqq.*

(d) In *Poeciles* meae *T. II. lib. I. p.* 83. *ſq.* dicere iam coepi de hoc argumento.

(e) In *Gloſſario Latino* Dufresnii, ne in nouiſſima quidem editione, quae Benedictinorum habet ſupplementa, reperies quicquam eorum, quae profero hic de appellationibus *Anteceſſoris*, *Burſae*, & *Facultatis*.

tionis originem. Accidit videlicet initio in tenebris Scholaſticis, vt quaeuis ſcientia nominaretur *facultas*. Cum enim Graeci (f) aliquando dicant δύναμιν pro *ſcientia*, (id quod nec inobſeruatum dimiſerunt Budaeus & Henr. Stephanus:) hinc in librorum Graecorum verſiones facile pro *ſcientia* irrepſit *facultas*. Placuit haec elegantia ſcilicet Scholaſticis, crebroque pro *ſcientia* dicere ipſis libuit *facultatem*. Erat ita initio ipſis vſitatum, *facultatem* dicere pro *ſcientia*: eiusque rei exempla ſuppeditat nobis noſter Conringius. In eius quippe *p.* 56. occurrit lex Friderici I. Imp. commemorans *magiſtros in medicinali facultate legentes*: & *p.* 148. Imp. Fridericus II. vult, in ciuitate Neapolitana eſſe *Doctores & Magiſtros in qualibet facultate.* Eodem modo *p.* 373. nominat Innocentius IV. *Magiſtros quarumcunque facultatum*: & *p.* 387. Imp. Maximilianus iubet candidatos honorum Academicorum *rigoroſe examinari in ea facultate, quam edidicerint.* Ac in vetuſto quodam diplomate laudari *Profeſſorem facultatis grammaticae*, cognoui ex Hahnii *Collect. monum. T. I. p.* 261. Similia exempla praebent literae Pontificum Clementis V. & Vrbani VI. a Motſchmanno productae in *Erfordia literata T. I. p.* 14. 19. 20. 26. & 27.

(f) Δύναμις πολιτική, *ſcientia politica*, apud Plutarchum libri *de educ. cap. X. 9.* Etiam Quintilianus habitum ſcientiae practicum vocat *facultatem Dial. cap. XXXIII. 4*: id quod & Ariſtoteles facit *Topic. lib. VI. cap. 5.* ita ſcribens: Πᾶσα ἐπιστήμη καὶ δύναμις τοῦ βελτίστου δοκεῖ εἶναι.

27. Eodem ſenſu Petrus Bleſenſis laudat fratris ſui *ſcripta Theologicae facultatis* in *Epiſtola XCIII. p.* 1012. Tomi XXIV. *Bibliothecae Patrum maximae Lugdunenſis*. Sic etiam Lutherus in *Epiſtolis Marbachianis p.* 3. ſe nominat *Decanum Collegii facultatis theologicae*, ibidemque commemorat *Collegium facultatis artium liberalium*. Quam epiſtolam cum iure credam exaratam eſſe a Melanchthone, quippe qui ſolebat publica ſcripta componere, ſimul hinc colligo, eum pro barbaro nomine *Facultatis Theologicae* tolerabilius dicere maluiſſe *Collegium facultatis* (id eſt, ſcientiae) *theologicae*. Ac edens quoque Melanchthon a. 1546. *Leges Academiae Wittenbergenſis* ibi exhibuit etiam *Statuta Collegii facultatis Theologicae*, itemque *Leges Collegii facultatis liberalium artium, quas Philoſophia continet*. Doceant igitur nos duo haec loca, initio ſcientias dictas fuiſſe *facultates*; poſtea accidiſſe, vt illud collegium Magiſtrorum, quod quamcunque ſcientiam tractaret, acciperet nomen *Facultatis*, proque Collegio Philoſophorum vel Theologorum diceretur *Facultas Philoſophica*, *Facultas Theologica*.

Ad *Collegii* appellationem Academicam quod attinet, nulla vox frequentius auditur e Studioſis, quam *ſe ire in collegium*, *ſe redire e collegio*, e. g. philoſophico vel theologico. Iam cum manifeſtum ſit, Latine dicendum fuiſſe *in ſcholam ire*, *redire e ſchola*, meri-

merito quaerimus, cur ſcholae ſiue acroaſes Profeſſorum nominentur hodie *collegia.* Fuit, cum in mentem mihi veniret credere, appellationis huius originem eſſe repetendam a coenobiis Ieſuitarum, quae ii, *monaſteriorum* ac *coenobiorum* nomen dedignantes, vocare ſolent *collegia.* Iturus itaque aliquis in ſcholam Ieſuiticam vere dicitur *ire in collegium.* Factum ſic eſſe putabam, vt ipſae lectiones ſiue acroaſes appellitarentur *collegia.* Verum poſtea, antiquiorem eſſe huius nominis vſum, docuit me meus Conringius, *p.* 72. e Polydoro Virgilio referens, in Angliae Academiis viuere Studioſos nonniſi in coenobiis, & haec vocitari *collegia.* Ita *in collegium ire* iure dictus eſt, qui in ſcholam coenobii ſe conferebat ad audiendum magiſtrum. Ecce nunc appellationis hodiernae veram cauſam & originem!

Cur vero, nunc inquies, Lector, Studioſi in vniuerſis Germaniae Academiis vocantur die Burſche? *Burſa* ſcilicet olim vocabatur domus, in qua certus inerat Studioſorum numerus certo ſubiectus Profeſſori, quem appellabant *Rectorem Burſae.* Cognoſcere id licet ex *Epiſtolis obſcurorum virorum p.* 17. 39. 72. 114. 149. 162. atque alibi. Factum deinceps, vt ſodales talis *Burſae* vocitarentur die Burſche. Docuit hoc iam Motſchmannus in *Erfordia literata T. I. p.* 646. & Baringius in *Nouis literariis Kohlianis* anni

1737.

1737. *p.* 168. Accuratius vero me respondere docet Lutherus in *Colloquiis* suis *mensalibus f.* 233. *b*, edit. anni 1569. Referens enim, daß die Bursche von Studenten dem Capellan zu Wittenberg vors Hauß gekommen sey, und seiner gespottet, und geprediget habe, wie er, manifestum facit, prius moris fuisse, totam Studiosorum societatem vocare singulari numero die Bursche, (*Bursam*,) deinde postea accidisse, vt Studiosi plurali numero dicerentur die Bursche, & vnusquisque Studiosus der Bursch.

Superest, vt de *Antecessoris* titulo scholastico pauca, sed ea explorata, proferam. Ii scilicet, qui studiosam literarum iuuentutem erudiebant, tres olim acceperunt titulos Latinos. Primum, cum aureum esset Latinae eloquentiae saeculum, nominati sunt *Doctores* & *Magistri*. Succedente saeculo, quod argenteum vocari consueuit, *Professores* nominari coeperunt. In aeneo tandem saeculo nomen acceperunt *Antecessorum*. Erudite Io. Henr. Mylius, ICtus Lipsiensis, in eleganti sua *Historia Theophili*, Lipsiae 1730. edita, *cap. IV.* §. 3. *p.* 34: Antecessoris „nomine gaudent, qui doctrina antece„dunt alios, & quorum praeeuntium (g) legi vesti„gia fas est. Neque vero, quod sibi nonnulli per-

(g) *Graeca potius, quam Latina dictione Constantinopoli praeceptores cuiuscunque generis appellabantur* antecessores, *id est*, καθηγηταὶ, viae duces, *Vid.* Isidori Pelus. *lib. I. epist.* 440.

„ſuadent, tantum ita dicuntur, qui legum formu-
„las pandunt publice, ſed, qui quacunque diſcipli-
„na excellunt eamque alios docent, ita dici, ani-
„maduertit bene Turnebus *Aduerſ. lib. VIII. cap.* 19:
„quod & nouis argumentis, conductisque in eam
„rem auctorum teſtimoniis, tuitus eſt Ludouicus
„de la Cerda in Tertulliani *de virginibus velandis* li-
„bri *caput II.* Quibus nihil habeo, quod addam,
„praeter Nili monachi epiſtolam *Aglaio Antecessori*
„inſcriptam: quem quidem non profeſſum Iuris-
„prudentiam, ſed philoſophiae dediſſe operam,
„apparet ex ipſis literis *lib. I. epiſt.* 193. Adiungere
mihi liceat vnum illum locum *l.* 2. §. 11. *Cod. de vet.
iure enucl.* vbi non *Antecessores* nominantur Profeſ-
ſores ſcientiae iuris ciuilis, ſed *Antecessores iuris.*
Cuius rei haud ignarus M. Henningus Placcenius,
Graecarum literarum in Gottingenſi Gymnaſio
Profeſſor, publice ſe appellare ſolebat (h) *Graeci-
tatis Antecessorem.*

Satis multa praefatus rogo nunc Lectores, vt
beneuole excipiant meam hanc Conringiani li-
bri editionem & ſimul adiectam *Bibliothecam hi-
ſtoricam Academicam*, ipſique maiora praeſtent
reipublicae literatae officia. Gottingae Cal. Aug.
cIↃ IↃ CCXXXVIII.

(h) Vid. mea *Hiſtoria Gymnaſii Gottingenſis Cap. III* §. 23. p. 232.

CON-

CONRINGII PRAEFATIO
ad primam editionem.

Cum nuper ex Suecia, quo me Reginarum, quotquot ſunt aut fuerunt, fortaſſis & earum omnium, quae erunt aliquando, optima maxima euocauerat, domum reuerſum me exciperet iam tum ante tres menſes deſtinatus Academiae noſtrae Iuliae magiſtratus; ſtatim ſub initium facile praeuidi, id quod res poſtea docuit, eam publicorum negotiorum molem, a multis annis quaſi in cumulum congeſtam, in anguſtum muneris mei tempus incubituram, quae docendo iuventuti prodeſſe non permitteret. Nec tamen, vt omnes illi dies ſine linea, quod ille aiebat, effluerent perirentque, aequo animo potui ferre: ac propterea coepi circumſpicere, quidnam meorum τῶν ἀνεκδότων & minima omnium cura recenſeri & intra illud breue atque difficile Academici magiſtratus mei tempus horis ſuccifiuis per operas typographicas poſſit abſolui. Ita commodum inciderunt in manus meas, quarum dudum memoriam paene amiſeram, ſex hae Diſſertationes, ante decem amplius annos in hac ipſa Iulia recitatae, eaeque omnes vnius paene argumenti, nec ab iis,

qui-

quibus immergendus iterum eram, curis omnino alieni, vt quae omnes circa Academicarum rerum hiſtoriam occupentur. Dum relego tamen & publico, haud diſſimulabo, ſperato maiorem mihi moleſtiam creatam: quod alia nouanda, augenda alia, omnia accuratius elimanda, & medias quidem inter occupationes, ſubinde venerint. Numquod operae pretium fecerim, tuo, Lector beneuole, iudicio commiſſum eſto. Longe diuerſa me in quammultis narrare, quam vulgo creditur; curioſius etiam nonnulla ſcrutatum eſſe, quae contemni paſſim ſolent, neque poſſum neque volo diffiteri. Si veritatem aſſecutus ſum, nouitatis nomine haud vereor accuſari; ſin, merebor tamen fortaſſis ſaltem bono conatu errorum veniam. Eſt enim vtique *quadam prodire tenus, ſi non datur vltra.* Vt ſollicitius in haec etiam incumberem, effecit primum neſcio quae innata mihi indoles, in eorum, quae offeruntur, cauſas & originem ſine intermisſione inquirendi; deinde, & cumprimis quidem, illa delectatio, quam a prima vsque pueritia ex hiſtoria cum alia, tum potiſſimum literariae rei, percepi ſemper maximam. Et vero haec cum aetate nunquam non accreuit, poſtquam, ipſummet Ariſtotelem eiusque optimos diſcipulos (quorum ſtudia iam tum adoleſcenti fuerunt id, quod Themiſtocli olim trophaea Miltiadis,) magnam accuratamque diligentiam in originem & actus omnes literariae rei non minus, atque in hiſtoriam aliam, impendiſſe, animaduerti. Sed & turpe ſemper duxi, ignorare inſtituta eius vitae, quam amplexaris: quî non in ſcholarum omnia inquirere igitur fas mihi fuerit, octodecim & quod excurrit annos Academicum hactenus Profeſſorem agenti? Enimuero ex literariae rei literatorumque hiſtoria tantundem voluptatis capere licet, quantum ex quauis alia. Qui in illo ſane ordine viuunt, iis non poſſunt non, aitror, haec iucundiſſima eſſe, niſi ſuae illos ſortis poeniteat.

teat. Nec tamen in Diſſertationibus hiſce omnia huius argumenti ſum perſecutus, ſed multa reliqui intacta, alia non niſi leui, quod aiunt, tetigi brachio, partim de induſtria, partim quod non vacarit huic rei amplius immorari: imo quod & neſcierim nonnulla, quaedam vero ſint iam peruulgata. Quem vſum meo iudicio inſtituta ſiue vetera ſiue noua habeant, adeoque num bene an ſecus ceſſerint ſcholaſticae rei, omiſi hactenus indicare, quod propriae ac ſingularis id ſit operae, & alias fortaſſis ſerio a me docendum; caſtigare vero ob meritam noxiam receptos mores, (vt ſane mihi haud pauca noſtra emendationis videntur indigere,) non immane tantum hodie ſit facinus, ſed inuidiae etiam atque obtrectationi obnoxium. Nec vero eſt, cur nunc quidem vltro mihi malum accerſam: nec paulo prudentiorem poſſunt latere, quae in rem ſunt, ſi vel pauca iſthaec a me dicta ea, qua par eſt, trutina expenderit. Huius loco ſubiunxi hac vice tabulas illas, quibus hanc noſtram Iuliam primum inſtituit prudentia & aequitate nemini Caeſarum ſecundus, Maximilianus: quoniam deſiderari illas intellexi a quammultis, & praeclara haud pauca comprehendant, quae alibi fruſtra quaeſieris; intereſt vero publici, haud ignorari. Meo voto autem, Lector beneuole, abunde nunc ſatisfeceris, ſi errantem venia, recte docentem fauore fueris proſecutus.

CONRINGII PRAEFATIO

ad ſecundam editionem.

Sex haſce *de Antiquitatibus Academicis* Diſſertationes in publicis Academiae Iuliae conuentibus intra quadriennium ab anno vsque poſt triceſimum ſeptimo abs me habitas eſſe, ipſaemet earum inſcriptiones ſignificant. Tam prolixe tamen omnia dicta non eſſe, vltro fateor. Et vero moleſtum fuiſſet auditoribus, adeo longis ſermonibus praebere aures. Nec conuenit prudentiae oratoris, defatigare eos, quos beneuolos ſemper atque attentos habere ipſe orationis cuiusque ſcopus efflagitat: ac proinde a me etiam ſancte obſeruari idem oportuit, praeſertim quia quauis vice multa quoque alia agere feriae ſolemnes iuſſerunt. Igitur in illam, qua nunc ſunt, magnitudinem excreuerunt Diſſertationes decimo demum poſt anno: quando nimirum in vnum volumen redactas in lucem edere illas inſtitui. Tunc ſcilicet alia mutauere, alia complura addita, non niſi interpolando tamen, atque inſerta prioribus: vt, quae noua ſint, quae vetera,

dis-

diſcerni nunc amplius nequeat. Caeterum illius editionis exempla omnia breui fuerunt auida emtorum manu diſtracta: ſiue inſperata nouitas argumenti, ſiue quae alia hedera venditionem feſtinauerit. Quapropter ſaepiſſime & recenſio & noua publicatio libri a me petita & deſiderata fuit. Nunc tamen tandem, quarto & viceſimo poſt anno, infinitis & plane diuerſis occupationibus interea temporis tantum non attritus, vt exſpectationi iſti quadamtenus ſaltim reſpondeam, potui adduci. Hac ſane recenſione plurima paſſim in Diſſertationibus ipſis ſunt emendata: & acceſſit eiusdem cum Diſſertationibus argumenti nouorum *Supplementorum* liber integer. *Supplementorum*, inquam, nouus liber acceſſit. Non enim denuo interpolare ipſas Diſſertationes placuit: nec commode idipſum fieri potuit absque Diſſertationum labe, cum plane alia, & quidem prolixa, debuerint accedere, cuiusmodi non patiuntur inſertionem. Id quod *Supplementa* excutienti cuilibet non poteſt non liquidum videri. Quantumuis autem *Supplementa* iſta doceant multa, quae Diſſertationibus haud continentur; omnia tamen omnino Academica vetera ne ſic quidem me perſecutum, ingenue confiteor. Quin imo ne quidem tangere vniuerſa iſthaec conſilium fuit. Singulas ſane ſi ſpectemus ſcholas eiusmodi Academicas priſci aeui, multas earum de induſtria ſilentio praeterii, quod ſingulas illarum recenſere non conſtituiſſem, ſed duntaxat antiquum Academiarum ſtatum: idque in id ſolum, vt rectius intelligi poſſit, quid rerum noſtrarum vetus, quid nouum, atque adeo qua origine & quando ſaltim potiſſima quaeque noſtra inceperint. De ſingulis agere eſt operae a meo quidem propoſito diuerſae: eius nimirum, quam *Middendorpius* excolendam ſuſcepit: etſi argumento illi multum fuerit impar. Complura caeteroquin huius generis in aduerſariis noſtris annotauimus, de

philo-

Philoſophicis cumprimis & Medicis ſcholis Graecarum aliarumque gentium, hic conſulto neglecta. Ne quidem iactaverim vero, nihil a me omiſſum, quod ad hunc locum meum pertineat, atque adeo nullum poſſe ſpicilegium fieri poſt meam meſſem. Pleraque & potiſſima quaeuis *Antiquitatum Academicarum* ſi exiſtimer cum cura perſecutus, ſatis forte mihi fuerit: quandoquidem primus, niſi fallor, materiam hanc eruderare ſum aggreſſus. Quod deeſt, addant alii: ſitque proinde ex hoc labore praemium aliis quoque mecum commune. Et ſane ipſe optauerim, ab aliis narrari iſthaec omnia iuſta temporum gentiumque ſerie obſeruata: quod, niſi fallor, haud multum iam fuerit difficile: non vtile autem minus, atque prodeſt, ordine rerum quarumvis ciuilium hiſtoriam recitare. Sane haec etiam, quae nos narrauimus, neceſſaria ſunt ſcitu ad perfectionem hiſtoriae literariae: cuius ſolae illae partes, quae circa ſcriptores omnigenae doctrinae verſantur, hactenus elaboratae ſunt: nec tamen etiam illae omnes, etſi prae aliis magnum heic pretium operae fecerit vir incomparabilis induſtriae, Gerardus Ioannes Voſſius. Eſt autem, ſaltim eſſe merito oportet, etiam hoc hiſtoriae genus iis, qui eruditionis ſtudio ducuntur, non minus iucundum aut minus commodum, quam ciuilium rerum commemoratio iuuat eos, qui ciuilibus negotiis delectantur. Mihi certe a teneris vsque Hiſtoria literaria fere plus voluptatis attulit, quam vlla ciuilium. Taceo nunc, conducere etiam hanc ad ciuilem prudentiam: non omnem quidem, illam tamen, quae conſtituere debet, quemadmodum & in quantum eruditio quaeuis in republica ſit comparanda per ſcholas & alia doctrinae adminicula. Etiam enim hoc pertinet ad vere beatam rempublicam: non ſane ciuitas vlla eſt felix, ſi eruditione fuerit deſtituta, artium inſignium ac ſcientiarum rudis. Ad hanc autem prudentiae ciuilis partem

tem parandam non minus haec literaria eſt hiſtoria vtilis, atque ad alia ciuilis regiminis omnia pacis bellique rerum multiplex commemoratio. Quod fortaſſis haud difficile poſſit etiam a me oſtendi, ſi inſtitutum pateretur, aut hoc agere vacaret. *Supplementis* praeterea proxime ſubiunximus *Diploma* Optimi & Sapientiſſimi Imperatoris MAXIMILIANI SECVNDI illud, quo Iuliam hanc noſtram Academiam condidit. Repeti enim etiam heic meretur, quia editione Diſſertationum prima iamtum productum eſt: praecipue autem, quia vergit in perpetuam Academiae noſtrae laudem, ab illo Caeſare, qui nemini hactenus moderatione animi inter diuerſa de ſacris profaniſque Imperii rebus ſentientes fuit ſecundus, auctoritatem atque originem ſuam, imo, ſi fas eſt addi, etiam exemplum, quod imitetur, accepiſſe: quodque prae aliis ſui ordinis ſcholis fuerit iſthoc ipſo diplomate Iulia haec exornata. Adiunximus praeterea & *Epiſtolam* V. C. *Ioannis Ioachimi Maderi*, amici non e multis, quam ad me de vetuſtis Academiarum rebus exarauit. Vt enim auctor rerum multarum veterum peritia eſt eximius, ita & haec eius epiſtola viſa mihi eſt digna, quae ab omnibus heic quoque & legatur & aeſtimetur. Poſtremo duxi, haud futurum abs re, ſi ex more huius aeui perquam vtili memorabilium quarumuis vtriusque libri rerum locupletibus indicibus volumen hoc perficiatur. Et ſane meo quidem voto abunde ab amicis hic eſt ſatisfactum: nec dubito proinde hinc Lectoribus, ſaltim iis, qui compendia laborum, nec iniuria, ſectantur, haud leue commodum polliceri. Dum recenſeo autem omnia, fateor, occurriſſe, quae ſcribentis induſtriam effugerunt, atque adeo potuiſſent haud inutiliter addi: ſed colophonem imponere valetudo quoque minus ſolito nunc fauens imperat. Tantum igitur vnum illud moneo: quae *pag.* 222. *Supplemento VII.* ex Suida ad-

duxi, totidem pene verbis in ipſis *Vitae Iſidori*, Philoſophi Athenienſis, a Damaſcio Damaſceno olim ſcriptae, Photianis Excerptis reperiri: vt hinc quoque pateat inſcitia ſuperbi illius & iniqui ineptique ſcioli, qui Suidea omnia credit deberi ſolis iis, quorum nomina operis primae paginae leguntur inſcripta. Alia vt moneam, nec Tu, Lector Beneuole, fortaſſis expoſcas. Igitur nunc quidem nihil Te rogo aliud, quam vt fauere mihi ne deſinas, & ignoſcas alicubi ceſpitanti, memor communis mortalium imbecillitatis. Helmeſtadii IIX. Kal. Auguſti Anno cIↄ Iↄ c LXXIV.

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQVE

PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI

COADIVTORI MONASTERIENSI

S. R. I. PRINCIPI

COMITI PIERMONTANO

ET

LIBERO BARONI DE FVRSTENBERG

FELICISSIMA OMNIA

DEVOTO ANIMO

PRECATVR

HERMANNVS CONRINGIVS.

* * *
* *
*

Consecro Celsissimo Nomini Tuo, PRINCEPS, *librum nec magnum mole nec tractatione eleganter politum, atque adeo hactenus, fateor, ara isthac sacra indignum: qui tamen argumento saltim suo hoc ipsum promeretur. Enimuero agit ille de scholis, non puerilibus, sed iis, in quibus sublimior quaeuis literatura doceri consueuit: quae illarum origo, quis status, quae fortuna, qualia instituta, qui mores, qui ritus, & quidem vt illa omnia & vbiuis gentium & omni tempore sese habuerint. Haec narrantibus aures beneuolas praebere, non vtique alienum a magnitudine sua existimare forte etiam Regum ac Principum optimi possunt: quandoquidem iidem scholas eiusmodi magnificis impensis & instituere & fouere, ad gloriam, imo officium suum pertinere, iure merito passim terrarum arbitrantur. Quemadmodum videlicet ex ciuilium rerum historia reipublicae ipsiusmet regendae prudentia accipitur, ita & literariae eiusmodi narrationes idoneae sunt docere rectam scholas illustriores quasque instituendi rationem: quae peritia Regibus Principibusque melioribus non minus, ac reliqua ciuitatis gubernandae ars, est conueniens. Etsi vero ex commentariis huius generis tantum proficere non sit cuiuslibet, aut etiam fieri id omnino nequeat; iustum tamen est, vt saltim ex illis non minus voluptatem capiant scholarum nutritii Principes, quam ex belli pacisque negotiorum relationibus, ac proinde haec etiam curatio non sit illorum fastigio indigna. Eius magni ordinis neminem illud ipsum,* CELSISSIME PRINCEPS, *Te rectius intelligere, equidem haud dubito. Praeterquam enim quod liberaliter habeas a magno patruo inque sacro Principatu antecessore,* THEODORO, *constitutam Academiam; quod item studio*

rerum

rerum antiquarum omnium mire capiaris, imo omnigenam colas literaturam, eiusque rerum peritia multum delecteris: quod rarum est Principalis Tui generis decus; ipsemet vsque adeo vales rerum quarumuis veterum notitia, ne quid nunc dicam de poëtica facundia, quo in campo plane sine aemulo regnas, vt Tuae Principum classis similem Germania nunquam viderit, forte nec vnquam sit visura. Id quod, ne cui videar plus iusto Tui venerationi ex affectu tribuisse, efficiunt re ipsa, quae in lucem publicam iam tum edidisti, cum Poëmatum *libri, tum* Paderbornensia *poëtico pariter & historico calamo illustrata* Monumenta, *sine exemplo & doctrina varia & elegante cultu longe praeclarissima. Nullus dubito autem, multo maxime animum illum Tuum, praestante & eruditione & virtute & bene de publico ac posteritate merendi studio incomparabilem, patefactum omnibus etiam futuris seculis iri, simul in vulgus prodierit illud, quod nunc adeo sub manibus tibi est, volumen grande de sacrae Tuae ditionis Principatusque rerum ab omni retro aeuo ad hanc vsque tempestatem repetita memoria. Spero autem, vel hoc opere, vel alio quodam singulari, antiqua quaelibet scitu digna etiam reliquae Tuae Angariae ac Westphaliae narratum iri, pro ea, qua vales, omnium istorum cognitione pariter & studio. Et vero ex terris istis fortissimi quondam Germaniae populi prodierunt, etiam illi, quorum origo passim ignoratur. Me sane iudice, ipsosmet Marcomannos, Harudes, & Sedusios vetustissimas sedes non alibi habuisse, indicant vocabula oppidorum, quae etiamnum supersunt. Quemadmodum videlicet a Marca hodie Comitatui Marcano, ita olim Marcomannis fuisse nomen; ab eo, quod nunc Dusburgum audit, Sedusios quondam appellatos; & Harudum oppidum illud, quod nunc popularibus dicitur* Rüden an der Har, *fuisse olim, mihi sane per est verosimile. Illos autem tres populos in vnum denique Marcomannorum nomen coaluisse, & Maraboduo duce Boiohemum; pulsis trans Danubium aut in seruitutem redactis*

Boiis, Gallica gente, notum ex Romana Historia: nisi forte Sedusii & Harudes Quadorum sibi cognomentum adsciuerint, propria in Morauis condita republica. Quantum coniicio autem, ipsi hi populi, pulsi post a Czechis Venedis, aut sponte relicta Germania, Noricoque occupato, Boioarii nunc cognominantur. Francos praeterea illos, qui Rheno traiecto in Galliam commigrauerunt, ex iisdem terris fuisse oriundos, ego quidem itidem censeo. Illud sane nomen praeter alios sibi assumsisse & Bructeros & Chamauos & Ampsiuarios & Ambriuarios & Angriuarios, haud difficile est probatu. Superant vero etiamnum in vicinia Tuae dioeceseos, P R I N C E P S, *vestigia illarum appellationum: Chamauorum in oppido, quod nunc vulgo Kamen, Bructerorum autem in Broec oppidulo: etsi, quo tempore Francum cognomentum hi acceperunt, patriis pridem antiquis sedibus pulsi, ad ripam Rheni Germanicam circa Vangiones consederint. Sed & Ampsiuarios dictos a flumine, quod accoluerunt, nunc* Amser *vel* Emser *vocato, & Ambriuarios ab Ambro amne, vt antehac & Sicambros, Angriuarios autem ab* Anger *fluuio, qui in Ducatu Bergensi Rheno mergitur, post a sese cognominata loca* Angermünde, Angerhusen, zum Angern, *non futilibus potest probari argumentis. Nec vero est, quod dubitare quem faciat Francorum nomen iis in locis haud superstes. Id enim contigit, quia omnes isti Franci in Galliam transierunt, nulla in Germania sobole relicta: secus quam fecerunt illi, quorum posteritas etiamnum Orientalem Franciam incolit: cum tamen iam Sidonius Apollinaris dixerit:*

Vluosa Francum Nicer abluit vnda,

imo iam Ausonii aetate fuerit

Francia mixta Sueuis,

perin-

perinde vt ibi hodie : quia etiam omnes populorum illorum terras Westphali Saxones in suam ditionem ac nomen deinde transtulerunt. Etiam haec, inquam, & similia Te traditurum, PRINCEPS CELSISSIME, *equidem spero : quandoquidem cumprimis hoc vergit ad Westphaliae gloriam, certe non minus, atque illud omne, quod* Monumenta *Tua* Paderbornensia *iam tum docuerunt. Et vero vt ego heic quoque spem istam meam non dissimulem, quammaxime facit admiratio Tuae harum quoque rerum excellentis peritiae : idque quandoquidem praeter alia Tuum hoc omnis vetustatis studium mihi certum paulo ante praebuit argumentum, haud fore ingratam Eminenti Tuae dignitati (liceat mihi per mores nuperrime demum coeptos de Te vsurpare appellationem olim communem Episcopis quibusuis,) factam abs me libri huius consecrationem. Ne quid vero dissimulem, id vti auderem, incitauit me porro cum exemplum multorum praestantium scriptorum, qui, cum ingenii sui monumenta Celsissimo nomini Tuo inscripsissent, perquam benigne fuerunt excepti ; tum praecipue inusitata illa gratia, qua me iamdudum es prosecutus. Decem videlicet iam, & quod excurrit, annos est, cum nihil tale exspectantem non epistola duntaxat longe humanissima, sed etiam donato Illustrium* Poëmatum *libro, honorare me non dubitasti. Ex eo autem & literis frequentibus manu propria quasi ad familiarem exaratis, & muneribus compluribus, probatam semel beneuolentiam plusquam Principalem confirmasti : ac proinde etiam mihi fecisti audaciam, vicissim, non attento propemodum fastigio Tuo, literarium commercium tecum instituendi. Adhoc in opere illo tuo incomparabili* Paderbornensium Monumentorum *illo me inuidendo praeconio publice affecisti, vt nemini non queat apparere, dum supra meritum laus exsurgit, quam sit exuberans Tua erga me beneuolentia. Quemnam vero non etiam iusto audaciorem reddat tantus Celsissimi, imo & literatissimi Principis affectus ? Me*

ad

ad libri huius conſecrationem etiam hoc Tuo fauore impulſum eſſe, equidem haud diffitebor. Coëgit vero huc etiam officii mei ratio: quia ſcilicet poſtulat gratitudo, vt meum aliquod exſtet, etiam ad poſteritatem, venerationis, qua eminentes virtutes Tuas colo, monumentum. Haud me fugit quidem, tenue hoc omne eſſe, & longe maiora Tibi offerenda; at vero nunc quidem aliquid grande ad manum non eſt, quod Nomini Tuo dedicem: & fortaſſis argumentum hoc literarium affectui eruditi Principis ſic ſatis eſt conueniens. Quodſi tamen & Tu, CELSISSIME DOMINE, *perrexeris fauere, & ſenectuti meae valetudinem ac vires Deus conceſſerit, maiore Te religione abs me affectum aliquando iri, ſancte polliceor. Helmeſtadii in Academia Iulia IX. Kalendar. Auguſti* cIↄ Iↄ c LXXIV.

HERM.

HERM. CONRINGII
DE
ANTIQVITATIBVS ACADEMICIS
DISSERTATIO PRIMA,

habita XVII. Octobr. anni CIƆIƆCXXXVII. SVPPL. I.

in qua de statu scholarum vbique terrarum ac gentium inde ab antiquissima memoria usque ad Academiarum in Europa ortum agitur.

I.

TErtius dies est, cum Natalem Academiae nostrae secundum post sexagesimum celebrauimus. Votum quisque tum fecit in aede sacra pro eius incolumitate, simulque Deo immortali gratias, quas mente potuit concipere maximas, egit, pro innumeris in eam diuinitus collatis beneficiis. Namque soli profecto Deo debemus, quod post tot clades, interque tot ruinas populorum atque vrbium Germaniae nostrae, in hunc modum renata quasi sit Iulia. Ab vno etiam illo speranda est in futurum salus, si quam salutem licet sperare. Caeterum nihil intermisimus tum quidem, quod ad officium nostrum pertinere videri potuit. Nunc vnum, quod supererat, agemus. Nempe eundem nunc natalem oratione etiam aliqua cele-

brabimus: perinde vt votis ante hoc biduum ille quasi est consecratus. Nihil autem dubito, eodem animo eademque attentione, qua nuper estis vsi, nunc etiam me perorantem vos prosecuturos: scilicet non tam cogitantes, quis dicam, aut quid dicam, bene nempe an secus, sed in cuius rei memoriam et laudem nunc sim locuturus. Est autem illa haec ipsa Iulia nostra, cuius omnes membra sumus, quaeque omnes nos vno sinu complectitur. In eius vnius gloriam sane vergere volo, quicquid sum allaturus.

II.

2 Nec tamen quicquam nunc dicam, siue in conditoris D. Iulii heredumque eius, Serenissimorum Brunsuic. Luneburg. Ducum, encomium, siue in nostrae scholae commendationem. Sunt enim haec iam toties dicta atque audita, vt omnium aures his personent. Fortassis etiam isthuc agenti mihi nonnemo regereret illud Herculis laudatori olim obiectum: *Quis illos vituperat*? Sed nec in argumento multum ab hac solennitate alieno mihi versari vel licet vel libet. Dicam vero pace vestra, Auditores, de origine Academiarum, materia neque trita multum, neque in vulgus cognita, neque iniucunda, neque non apta huic festiuitati. Quis enim nolit scire, celebraturus natales alicuius Academiae, quando quaue occasione coeptae sint institui id genus scholae? Eas vero si contempleris, dubitaueris, mirarine magis debeas, an commendare. Scilicet sunt reapse scholae istae nostrae, quas Vniuersitates aut Academias nunc appellare consuetudo est, respublicae quaedam & ciuitates, etsi non omni ex parte suae spontis, magna tamen. Non tantum enim doctoribus constant ac discipulis, sed & sua iis in suos est iurisdictio: adeo vt nonnullis, quas inter est & haec Iulia nostra, ne merum quidem & mixtum imperium, quod appellant, desit. Cumque alibi alia possint doceri ac disci, in scholis hisce regiis nihil maioris quidem momenti negligitur.

Solae

Solae etiam ferme hae poteſtatem docendi poſſunt aliis facere, per gradus doctrinarum auditoribus deductis. Quae omnia cum ſint longe praeclariſſima inſtituta, fortaſſis & operae nullum non pretium facturus ſum, ſi, qua origine iſthaec coeperint, explicauero.

II. Nec id vero commode praeſtari poteſt, niſi enarremus inſtituta ſcholarum illuſtrium omnium, ſaltem pleraque, quotquot haec usque in tempora floruerunt. Quod hic quidem vt eo rectius fiat, mei quoque fuerit officii, re illa altius aliquanto repetita, in noſtra denique aetate deſinere.

III.

Agide, ergo, loquamur initio breuiter de AEgyptiorum, Chaldaeorum, & Perſarum ſcholis: vt pote apud quas gentes regnum diu omnis eruditionis fuit, & quidem multis ante ſaeculis, quam ad Graecos doctrinae cura peruenit. AEgyptiis vero primum tribuemus locum, ſiue quod reapſe primis illis eruditionis propagatio fuerit animo, ſiue quod ſibi primis hanc gloriam vindicent.

SVPPL. II. 3

SVPPL. III.

IV.

Aegyptios itaque quod attinet, ſapientiae omnis ſubtilioriſque doctrinae curam ſolis ſacerdotibus eorum fuiſſe cordi, compertiſſimum eſt. Neque vero aliter res ſeſe facile habere potuit, quod philoſophiae, cumprimis eius, quae in contemplatione poſita eſt, ſtudia (a) otium poſtulent liberale, quale tamen paucis concedi ſolet. Sacerdotes vero AEgyptii eo affluebant, & ſoli quidem, ex more illius regionis unoquoque ad paternum genus vitae adſtricto. Et vero fuerunt ſacerdotali ordini agri publici aliique largi reditus, ipſique vna cum ſuis omnium onerum immunes inque ſummo vixerunt honore. Ne nunc dicam, quod in liberos propagaretur eadem vitae conditio,

SVPPL. IV.

(a) Ariſtoteles *lib. II. Metaph.* cap. I.

tio. Eo autem effectum eſt, vt nemo cogeretur liberis ſuis operoſe diuitias quaerere, ceu quibus abunde ex publico proſpectum eſſet. Narrat iſthaec omnia Diodorus Siculus *libro primo Bibliothecae* ſuae. *Agros enim omnes totius AEgypti tres in partes fuiſſe diſtinctos*: quarum vna ſacerdotibus, vna regi, tertia militibus ceſſerit. Ipſemet (*b*) ita loquitur: *Totius regionis (quae tripartita eſt,) primam ſacerdotum ordo ſibi portionem vendicat, in magna apud indigenas auctoritate & reuerentia conſtitutus, tum ob pietatem in deos, tum quod ſummam ex eruditione prudentiam ad rempublicam afferunt. Ex vectigalibus autem ſuis cuncta per AEgyptum ſacrificia procurant, miniſtrosque alunt, & ſuis inde vſibus neceſſaria depromunt. Neque enim deorum honores mutari, ſed ab iisdem eodem ritu peragi: neque in commune omnibus conſulentes neceſſariorum copia deſtitui, fas eſſe iudicabant. Hi namque vt ſenatus principes regi perpetuo ſunt praeſto, qua opera, qua conſilio & doctrina ipſum adiuuantes.* Addit paulo poſt: *Hi a cunctis oneribus ſunt immunes, & primas a rege honoris & poteſtatis obtinent.* Quae omnia ab antiquo ita fuiſſe inſtituta, ex ſacra Moſis hiſtoria nos diſcimus. Ioſephi enim prudentia omnes AEgyptiorum agros Regi ceſſiſſe, exceptis iis ſolis, qui ad ſacerdotes pertinebant, legimus. Quo tempore Magos quoque, ſiue τὺς γόητας, ſumma fuiſſe in exiſtimatione, conſtat: quos nullum dubium eſt ſacerdotalis fuiſſe ordinis. Memphiticos enim ſacerdotes magicis artibus Moyſi reſtitiſſe, auctor eſt Artapanus illo memorabili fragmento libri *de Iudaeis*, quod habet Euſebius Caeſarienſis nono *de Praeparatione Euangelica* volumine. Dicam alias (*c*) de eruditione AEgyptiaca, & quanta illa fuerit, & quibus auctoribus propagata. Illud conſtat, penes hos ſacerdotes AEgyptios fuiſſe tum ſcholas omnis melioris doctrinae, & quidem per vniuerſam AEgyptum:

(*b*) *Lib. I. cap. 73.*

(*c*) Vide meus liber prior *de Hermetica Medicina.*

ptum: etſi praecipui horum fuerint Thebani, Memphitici, & Heliopolitani. Et quidem apud Heliopolitanos commorati ſunt ſtudiorum ergo etiam ex ipſa Graecia Eudoxus ac Plato annos integros tredecim, vt Strabo (*d*) loquitur: narrans, monſtrata ſibi Heliopoli Eudoxi ac Platonis domicilia, quae olim iſti incoluerant: quanquam ſuo tempore ſacerdotales illae ſcholae iam interiiſſent. *Heliopoli*, inquit, *domos amplas vidimus, in quibus ſacerdotes habitabant. Imo dicunt, hanc olim ſacerdotum habitationem fuiſſe, hominum Philoſophiae & Aſtronomiae deditorum. Nunc is ordo ac ſtudium defecit, nec quisquam nobis tali exercitio praeeſſe oſtendebatur, ſed homines tantum, qui ſacrificia curarent, atque ritus eos peregrinis commonſtrarent.*

V.

Sed quo pateat clarius, quidnam profeſſi ſint aut docuerint illi ſacerdotes AEgyptii, adeoque in quibus verſatae ſint illorum ſcholae, fortaſſis operae fuerit pretium, ceremonias non nullas illorum hic afferre: praeſertim cum easdem in ſignum mirae alienius & inſolitae philoſophiae narrat etiam ipſemet Clemens (*e*) Alexandrinus. In proceſſionibus itaque ſacris, vbi omnem ſuam doctrinam oſtentarunt, hunc illi tenuerunt ritum. Primus proceſſit ὁ ᾠδὸς ſeu cantor, geſtans aliquod muſicae ſeu poëticae artis ſymbolum. Cuius fuit, duos libros Mercurii didiciſſe, alterum deorum hymnos continentem, alterum vitae regiae ἐπιλογισμόν. Cantorem ſecutus eſt Horoſcopus, geſtans manibus horologium & palmam, duo ſideralis ſcientiae ſymbola: quique calluit quatuor libros Mercurii de ſiderum errantium ac fixorum motibus. Poſt hunc proceſſit ὁ ἱερογραμματεὺς, capite alatus, & manu librum ac canonem iunco atque atramento inſtructum gerens. Cuius fuit, profiteri hieroglyphicam ſcribendi rationem, mundi item ac vniuerſae terrae, &

 ſeorſim

(*d*) *Lib. XVII. Geogr.*

(*e*) *Lib. VI. Strom.* Adde Porphyrium *lib. IV.* περὶ ἀποχῆς *p. 371.* edit Lugd.

ſeorſim AEgypti Niliqve, deſcriptionem, ordinem item ſiderum errantium, nec non alia ad ſacrum inſtrumentum pertinentia. Hunc ſecutus eſt στολιστὴς, callens omnes leges ciuiles ac ſacrificiorum ceremonias. Quorum agmen clauſit is, quem Prophetam nuncuparunt, omnium primas, voluminum τῶν ἱερατικῶν decem peritiam venditans, vectigalium (vt ego interpretor,) ſacrorum diſtributor. Fuerunt porro his ſacerdotibus, miniſtrorumquaſi loco, οἱ παστοφόροι, artem medicam, ſex voluminibus ſacris Mercurii contentam, profitentes.

VI.

Vnde manifeſtum eſt, omnis generis doctrinae profeſſores iſthoc in ſacro ordine fuiſſe. Caeterum ſua iſthaec non vulgo quosuis docuerunt, vti nos, ſed inprimis liberos ſuos, & ſi quos alios inuenere haud indignos poſſeſſione tam praeclara: raros ergo & in arcano. Ita enim & Moyſen legimus omni AEgyptiorum doctrina fuiſſe imbutum; Graecos quoque illos, Orphenm, Muſaeum, Melampodem, Daedalum, Homerum, Lycurgum, Pythagoram, Solonem, Platonem, Eudoxum, Democritum, Oenopidem Chium, alios, longis in AEgyptum exiliis ſusceptis varia doctrina inſtructos rediiſſe.

VII.

Conſtat autem ex ante dictis, ſcholas illas AEgyptiacas nonnihil cum noſtris habuiſſe quidem commune, in multis tamen fuiſſe noſtris diſſimillimas. Primo enim non patuerunt ſine diſcrimine omnibus, vt noſtrae, ſed paucis tantum, & quidem vix aliis, quam ſacerdotalis familiae hominibus. Deinde ipſorummet doctorum longe lautiſſima fuit conditio, prae vt eſt noſtra: vtpote quorum & liberis & vxoribus de omnibus vitae ſubſidiis abunde fuerit proſpectum. Porro obſeruare nihil eſt de honoribus & gradibus diſcentium, nihil de regiminis aliqua forma reipublicae aemula, apud illos obtinuiſſe: quod apud nos valet maxime.

VII.

VIII.

Quae vero AEgyptiacarum ſcholarum inſtituta, eadem fuerunt pene & CHALDAICARVM & PERSICARVM & INDICARVM. Refert (*f*) enim Strabo, philoſophis indigenis, iis, qui Chaldaei appellantur, in Babylonia conſtitutam eſſe habitationem; quosdam eorum eſſe Borſippenos, quosdam Orchenos, aliosque complures: qui tanquam per ſectas iisdem de rebus alias atque alias opiniones ſecuti ſint. Alii ſcilicet Borſippen vrbem, alii Orchoen ſeu Vr oppidum incoluerunt, alii alibi habitauere. Diodorus Siculus (*g*) ſcribit, Chaldaeos, Babyloniorum vetuſtiſſimos, eum in republica ordinem tenere, quem AEgyptii ſacerdotes ſibi vendicant: Deorum enim cultui addictos per omne vitae tempus philoſophari, & praecipuam ex Aſtrologia gloriam nanciſci: doctrinam autem non eo modo, quo Graeci, percipere: apud Chaldaeos enim per generis ſeu familiae traditionem philoſophiam hanc obtingere, filiumque a patre illam accipere, ab aliis interim publicis muneribus liberum, accipere autem ab ipſa vsque pueritia.

SVPPL. V

7

IX.

De Perſicis & Indicis ſcholis (*h*) tantum non eadem narrantur. Sed nolo nunc omnia iſthaec recenſere, ne cui taedium creem iſthac narratione. Quantum vero omnes illae ſcholae ab inſtitutis noſtris abſuerint, facile vnicuiuis per ſe manifeſtum eſt: vt nec illud nunc operoſe oſtendere ſit neceſſarium.

X.

Veniamus potius ad GRAECAS gentes, quae prae aliis literarum gloria videntur floruiſſe, & a quibus vt magnam partem

(*f*) *Lib. XVI. Geogr.*

(*g*) *Lib II. Biblioth. cap. 29.*

(*h*) Vide de vtrisque praeter alios Porphyrium *lib. IV. περὶ ἀποχῆς p. 358. & 404.*

partem eruditionis nostrae, ita etiam nomen hoc Academiae accepimus. Fuit sane haec gens olim prae aliis elegans ac culta, attamen (quod primo venit notandum,) perquam sero literis dare operam coepit. Vix enim quisquam paulo sapientior multum ante Persici regni exordia ea quidem in gente vixit. Deinde etsi post complures passim docuerint omne doctrinae genus, priuatorum tamen potius illa cura fuit, quam reipublicae. Enim vero narrat (i) Thucydides, Mycalessi ludum fuisse publicum: verum ille puerilis fuit, vbi scilicet more Graecae gentis pueri legere ac scribere docebantur. Narrat enim, a Thracibus illum in ludum facta irruptione, pueros recenter eum ingressos ad vnum omnes fuisse interemtos. Caeterum de huiusmodi scholis, quales arbitror omnibus tum Graeciae vrbibus fuisse, sermonem non facio. Alias vero seuerioris atque accuratioris doctrinae scholas nullas publica auctoritate aut sumtu publico tum quidem temporis fuisse institutas, vel leuiter res Graecae gentis vetustiores scrutantibus non potest non statim fieri manifestum. Qui enim primi in Graecis sapientiae laude claruerunt, Thales Milesius, Anaxagoras, Anaximenes, Xenophanes, Parmenides, Melissus, Pherecydes, Democritus, suam doctrinam nullis magistris Graecis, sed potius AEgyptiis & Chaldaeis, debuerunt: ipsi vero scholas habuisse non memorantur. In Magna Graecia Crotone & Metaponti *habuit* quidem Pythagoras (vt Liuii vtar verbis,) *coetus iuuentum aemulantium studia doctrinae;* sed tantum abest, publica auctoritate habuisse aut impensis illarum rerumpublicarum, vt tandem, iubente ita vrbium magistratu, vel certe non reluctante, schola ipsius vna cum frequentantibus eam discipulis combusta sit. Similiter ab AEsculapii familia in artis medicae operibus multi a pueris olim instituebantur, in duabus cumprimis illis celeberrimis scholis, Coa nempe & Cnidia: non tamen vllo publico decreto id actum

8 SVPPL. IV.

(i) Lib. VI.

actum, nec vlla in id domus publica fuit instituta. Iam porro qui Oratorias & Politicas artes tum professi sunt, Sophistae dicti, Gorgias, Thrasymachus, Hippias, aliique, mercede docuerunt, at non publica, sed discentium.

XI.

Tantum scilicet abest, illis temporibus sumtu publico ciuitatum nutritos fuisse artium scientiarumque doctores, vt ne locus quidem aliquis publicus magistris istis fuerit concessus. Testimonio certe vel vnus Socrates possit esse: cuius tamen adhuc viui eruditionem ac variam sapientiam saltim potissimi Atticorum ciuium maxime sunt admirati, quique eam ob causam hominem summo in pretio habuerunt. Vixit ille vitam priuatam inops, nullo stipendio publico: & docuit non certo quodam inque docendi vsum consecrato auditorio, sed modo in via publica, modo in taberna quadam, modo sub platano aut alia aliqua patula arbore. Eadem vero conditio fuit etiam illorum, qui aut artes Mathematicas, Geometriam scilicet, Arithmeticam & Astronomiam, docebant, aut Poëtica vel Musica profitebantur. Praeter has autem liberalium artium & philosophiae medicinaeque professiones non habuit tum temporis illa cultissima terrarum Graecia magistros eruditionis. Neque enim erant, qui cultum diuinum docerent in publico, aut Attici iuris prudentiam profiterentur.

XII.

Primum igitur (quod quidem constet,) Platoni, ciui suo, forte quo crimen in Philosophiam Socratis damnatione commissum eluerent, locum nemorosum suburbanum, cui ab structore Hecademo siue Academo nomen erat Academiae, in publicam scholam concesserunt elegantissimi Graecorum, ATHENIENSES. Hoc initium est scholarum in Graecis publicarum. Iidem Platone iam in fata concesso locum ad docendum idoneum in suburbano gym-

SVPPL. VII.

gymnaſio, quod cognomento Λύκειον audiebat, (quaſi *Lupinum* dicas,) aperuerunt Ariſtoteli Stagiritae. Antiſtheni quoque, Cynicae ſectae auctori, in alio quodam ſuburbano gymnaſio, cui Κυνοσάργης nomen, docendi locum tribuerunt. Zenoni porro Cittiaeo iidem Ποικίλην illam ςοὰν, ſiue Porticum picturis inſignibus variegatam, in ludum publicum conceſſerunt. Poteſtatem quoque fecerunt iis magiſtris, quiduis ſentiendi ac docendi in ſuis ſcholis, leges item nonnullas ſcholaſticas condendi, ſucceſſoresque ſibi deligendi: quantum quidem eſt colligere ex hiſtoriis eius aetatis Philoſophorum Diogeni Laërtio memoratis. Et vero de licentia illa ſentiendi docendique non poteſt dubitare, ſaltim qui obſeruauerit, quantum a receptis in vulgus ſententiis Philoſophorum eius aetatis placita diſceſſerint. Nec enim quenquam illorum in ius ideo vocatum legere eſt poſt Socratem. Ariſtoteli enim dies quidem dictus eſt (*k*) ab hierophanta, verum non quod intra ſepta Lycei quicquam peccaſſet, ſed quaſi hymnum Hermiae ceciniſſet, eiusque ſtatuae Delphis curaſſet inſcribi.

XIV.

Ariſtotelem porro ſcholae ſuae leges tuliſſe, idque Xenocratis, qui Academiam tenebat, imitatione, ſingulis item diebus decem nouum aliquem principem ſcholae dediſſe, diſerte ex Ariſtippo quodam auctor eſt (*l*) Diogenes. De aliis perinde claro teſtimonio probare quidem id non licet: veſtigium tamen eius reperire eſt in eo, quod licuerit vtique omnibus, & admittere in ſcholas, & ab iis excludere, quos collibitum magiſtris fuit. Neque vero promiſcue omnibus fores tum patuerunt. Notum eſt illud Platonis iis inſcriptum: ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω: & ab eius ſucceſſore Xenocrate quempiam reiectum a ſchola, quod neque muſica

(*k*) Diogenes Laërtius in *Ariſtotele*.
(*l*) Idem loco citato.

fica neque geometrica neque arithmetica didiciſſet, proditum eſt a (*m*) Diogene. De Xenocrate illo ſcribit quidem (*n*) Seruius, primum Philoſophiae ſcholam aperuiſſe, antea autem in porticibus duntaxat Philoſophos ſua tractaſſe. Verum & Xenocrates videtur in Academia docuiſſe perinde atque Plato, quantum ex Diogene colligere eſt. Et diu poſt Xenocratem Athenis multi in porticibus docuerunt, ceu de Stoicis notiſſimum eſt. Aperuiſſe quidem Xenocratem ſcholam, adeoque haud clauſis, ſed apertis foribus docuiſſe, demonſtrat etiam hiſtoria (*o*) Polemonis, qui ebrius ſcholam eius irrupit. Aſt vero ſemper id ab illo eſſe obſeruatum, non eſt veroſimile. Imo falſum eſt, ſi verum narrauit Diogenes. Quod tamen propius eſt vero, cum Ariſtoteli quoque eo ipſo tempore mos fuerit, ad pomeridianas ſcholas quemuis ſine diſcrimine admittere. Quicquid vero ſit de Xenocrate, Ariſtotelis eiusque ſectatorum mos, non niſi ſelectis auditoribus proponendi τὰ ἀκροαματικὰ, neminem fugit.

XV.

Ipſe populus Athenienſis quin ἀκροατήρια illa Philoſophorum munierit legibus aduerſus petulantiam vulgi, nullus equidem dubito: etſi, quo id probetur, teſtimonium forte nunc deſit. Nec tamen omnino deeſt, quum teſtetur (*p*) AElianus, famam percrebuiſſe, *quod in Academia ne quidem ridendi poteſtas cuiquam ſit facta*, ὕβρει γὰρ, addit ipſe, καὶ ῥαθυμίᾳ ἐπιστρῶντο τὸ χώριον ἄβατον φυλαχθῆναι: *nam ab iniuria & animi levitate inacceſſum hunc locum ſervare conabantur.* Sane, quibus pueriles ſcholae fuere tutae a contumelia pudicitiae inſidiantium, aliquot Solonis leges hodieque ſuperſunt in Oratione Aeſchinis *contra Timarchum*, Quae licet

 ab

(*m*) In *Xenocrate.*
(*n*) Ad *AEneid. VII.* 204.
(*o*) Diogenes Laërtius in *Polemone.*
(*p*) *Var. hiſt. lib. III. cap.* 35.

ab aliis (*q*) perperam accipiantur de Philoſophicis ſcholis, veriſimile tamen faciunt, Atticam diligentiam ne hic quidem eſſe deſideratam. Tulit quidem & Plato opere ſuo *de Legibus* (*r*) vnam, quae huc pertineat: ſed illam in vſum eſſe translatam ab Athenienſibus, non temere crediderim. Legibus autem cumprimis fuiſſe opus, nemo inficias iuerit: modo cogites & vulgi erga literas animum, & numerum auditorum. Bis mille enim Theophraſtum audiuiſſe docentem, ex Diogene intelligimus. In hunc uſum ſane conſcripſit fortaſſis iam tum Ariſtoxenus Tarentinus, magni ille nominis Philoſophus & Muſicus, grande opus νόμων παιδευτικῶν, cuius librum decimum idem Diogenes laudat teſtem, quo loco Pythagorae inſtituta enarrat.

XVI.

Iam vero licuiſſe Philoſophis etiam ſucceſſores ſcholae ſuae inſtituere, abunde itidem eſt ex Diogenis monumentis manifeſtum. Ita enim Platoni Speuſippum, huic Xenocratem ſucceſſiſſe, diſerte (*s*) narrat. Theophraſtum quemadmodum elegerit ſibi ſucceſſorem Ariſtoteles, narrat (*t*) Gellius. Cum huius aetate Sophocles, ἄρχων Athenienſis, tuliſſet (*u*) legem, vti nequis Philoſophorum praeeſſet ſcholae, ἂν μὴ τῇ βȣλῇ κ̀ τῷ δημῷ δόξῃ, adeoque receptam libertatem hanc iret ereptum; tam indignis modis Philoſophi omnes id tulerunt, vt Athenis illi exceſſerint: rati, (nec immerito,) ſi ex vulgi ſententia eſſet viuendum, actum eſſe de recta philoloſophandi ratione. Nec vero reuerſi ſunt, niſi abrogata iſthac lege, & Sophocle ipſo quinque talentis multato. Indubie itaque & Strato ſucceſſor deſignatus eſt ab ipſo Theophraſto. Hic Lyconem ſucceſſorem ipſo teſtamen-

(*q*) Ioach. Stephanus *lib. II. de Iurisdict. cap.* 23.
(*r*) *Lib. XII.*
(*s*) In *Speuſippo* & *Xenocrate.*
(*t*) *Noct. Attic. lib. XIII. cap.* 5.
(*u*) Vid. Diogenes Laërtius in *Theophraſto.*

mento ſcripſit: vt Lycon itidem teſtamento eligendi facultatem paucis nominatim (*x*) commiſit. Multis aliis hoc hiſtoriis comprobare, nihil attinet. Athenas igitur aliquid contuliſſe in ſcholas, certum eſt.

XVII.

Sed praeter haec nihil populus ille Atticus eſt largitus in ſtudia literarum. Imo a populo illo loca iſthaec omnia philoſophis vltro ac liberaliter data, certis teſtimoniis vix licet oſtendere. Conſtat ſane, ab Epicuro (*y*) ipſum hortum, in quo doceret, emtum eſſe. Quicquid ſit, nullo certe ſtipendio aluit doctores, nullo nummo ſubuenit diſcentium egeſtati, nullam ferme in diſcentes iurisdictionem magiſtris conceſſit, multo minus vacationem a muneribus publicis, aut immunitatem aliquam, docentibus vel diſcentibus dedit. Adde, loca ipſa ſcholis hisce dicata, Porticu excepta, extra vrbem fuiſſe ſita, adeoque vix aliquid intra vrbem tantae rei ab Athenienſibus eſſe commodatum. Quod ipſum vt non ſignificarit aliquem contemtum, in cauſa tamen fuit ruinae, vtpote cum hac occaſione Philippus, Demetrii Regis filius, ipſa gymnaſia, Lyceum & Cynoſargen, teſte (z) Liuio, Lucius Sylla etiam Academiae & Lycei ſylvas, teſte Plutarcho *in eius Vita*, deſtruxerit. Praeterea ſolis Philoſophorum ſectis conceſſae ſunt eiusmodi ſcholae, non Oratoribus, non Medicis, non ſuae religionis ſacerdotibus, non ciuilium legum peritis: qui tamen & ipſi niſi recte ſua doceant vel diſcant, non poteſt respublica eſſe ſalua aut bene inſtituta.

10

XVIII.

Sed & notandum inprimis eſt, non vni alicui, vel duntaxat meliori, Philoſophorum ſectae, aut ei, quae conſentiret cum moribus atque inſtitutis reipublicae, conceſſam libere

(*x*) Idem in *Stratone & Lycone.*
(*y*) Laërtius in *Vita Epicuri.*
(*z*) *Lib. XXXI.*

bere docendi illam facultatem fuiſſe, ſed ſine diſcrimine in eam libertatem admiſſas varias admodum, imo quasdam & noxias, philoſophorum haereſes, vt a ſeſe inuicem, ita etiam a religione recepta & legibus vrbanis quam longiſſime diſſidentes. Neque enim vlli ſectarum iſtarum cum inſtitutis ciuilibus tunc omni ex parte conuenit, ſed ſingulae pro ſeſe iſthaec oppugnarunt impune, imo non ſine tacito multorum applauſu.

XIX.

Hanc vero plane Atticarum ſcholarum faciem, nullam aliam, obſeruare etiam licet in aliis Graeciae populis: qui tamen raras admodum ſcholas erexerunt. Etſi enim legamus, & in Rhodo inſula, & Epheſi, & Mytilenis, & Tarſi Ciliciae, vt & Maſſiliae in Galliis, floruiſſe literarum ſtudia; non tamen facile quis dixerit, num doctores priuatim in aedibus ſuis inſtituerint auditiones ſuas, an vero locis in id publica auctoritate dedicatis. Nam & Smyrnae medicam narrat (a) Strabo ſcholam Eraſiſtrataeam habitam, ſed priuata auctoritate Hiceſii. Idem teſtatur, & Laodiceae eiusdem artis ſcholam Herophilaeam conditam, ſed itidem cura priuata Zeuxidis. Sola ALEXANDRINA ſchola paulum meliore fuiſſe conditione videtur, quoniam, prae aliis Alexandri Magni ſucceſſoribus, Ptolemaei reges eruditioni ac literis apprime fauerint ſtuduerintque. Primo enim bibliotheca ibi a regibus publica inſtituta eſt (b) immenſis ſumtibus: quae tamen poſt, dum vrbs a Iulio Caeſare occuparetur, conflagrauit. Deinde in ipſa regia *Muſeum* (ita dixerunt, quaſi Muſarum aedem,) viris doctis conſtructum eſt, vbi ex publico alerentur. Id quomodo ſeſe habuerit, fortaſſis haud abs re fuerit ex Strabonis libro XVII. audire: *Pars* (inquit ille,) *regiae eſt Muſeum, inambulacra habens & exedras &*

SVPPL. VIII. II

SVPPL. IX.

(a) *Lib.* XII

(b) Vid. collecta Lipſio *de bibliothecis cap.* 2.

& magnam domum, in qua conuiuunt & comedunt vna, qui Musei consortes sunt, literati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam siue vectigalia in commune, & sacerdotem item, qui Museo praest, olim a Regibus, nunc a Caesare constituendum. Non afferam in medium, quae de illo Museo habent (c) alii: id constat, simile nihil omnibus in locis, vbi Graeca instituta habita in pretio sunt, visum tunc fuisse. Imo breui constabit, nihil simile aliquot etiam post saeculis fuisse constitutum. Caeterum, hoc excepto, plane Atticis scholis omnia fuerunt etiam Alexandriae, Ptolemaeorum quidem regum aetate, quam simillima.

XX.

Peruenerunt & ROMAM studia Graecanicae eruditionis paulo post Punicum bellum primum. Nam illo tempore (d) L. Liuius poëta fabulas docuit, hoc est, spectandas populo exhibuit, & Spurius Caruilius ludum Grammaticum coepit aperire. Sed adeo rudia fuerunt isthaec initia, vt Suetonius (e) scribat, *inter secundum & tertium Punicum bellum, sub ipsam Ennii mortem*, demum studia Grammatica vel literatoria ibi coepisse. Statim vero post Punicum bellum secundum illa studia ita increuerant, *vt temporibus quibusdam* (verba sunt Suetonii,) *super viginti Grammaticorum celebres scholae fuisse in Vrbe tradantur.* Aduenerunt non longe post eo & Rhetores & Philosophi, suasque ibi scholas instituerunt. At haec omnia caue credas publica auctoritate ita fuisse facta atque habita. Imo anno Vrbis conditae 592. Marco Messalla & C. Fannio Coss. Philosophi & Rhetores Vrbe pulsi sunt edicto censorio: vt refert idem (f) Suetonius Tranquillus. Notauit etiam diserte Eusebius *in Chronico*

(c) Vide eidem Lipsio notata *cap. XI.* De *Museo* integrum librum scripserat Aristonicus, teste Photio in *Sopatri librorum* recensione.

(d) Gellius *lib. XVII. cap. vlt.* & Plutarchus in *Quaest. Rom.*

(e) In libro *de Grammaticis.*

(f) In libro *de claris Rhetoribus.*

nico, primum Quintilianum publicam ſcholam Romae & ſalarium e fiſco accepiſſe: idque demum aeuo Domitiani. Qui hactenus ſcilicet docuerant Romae, illi non loco aliquo publice ad id inſtituto, nec mercede aliqua publica conducti docuerant; ſed priuatim pro ſe quisque aperuerat ludum, mercedem a diſcipulis exſpectans. Meliora poſtea demum ſunt inſtituta.

XXI.

Conſtat autem ex iis, quae diximus, tametſi noſtrae ſcholae *Academiae* cognomentum vulgo accipiant ab illa prima publica Athenienſium ſchola Platoni collocata; longisſimo tamen interuallo omnem Graecam ſcholaſticam rem vsque ad tempora Romanorum Caeſarum a noſtris ſcholarum moribus abfuiſſe: quippe cum illa aetate doctores vix potuerint locum aliquem, vbi docerent, vna alteraque in vrbe, per vaſtum illud terrarum ſpatium, ex publico accipere: tantum abeſt, vt ſalaria illis fuerint ex publico data vel iurisdictio aliqua conceſſa. Vnde etiam hoc manifeſtum eſt: etſi Graecae gentes valde ſe commendare ſoleant meliore atque elegantiore quadam cultura ingeniorum, multis tamen modis eas ſuperatas docendi ritu ab AEgyptiis, Chaldaeis, & Perſis, quos iſti tamen Graeculi in Barbaris numerauerunt. Prudenter id obſeruauit ac diſſimulauit neutiquam ipſemet (g) Diodorus Siculus. Verba viri illius magni recenſebo, etſi verear, ne eorum prolixitate taedium aliquod auditoribus creem. *Horum omnium* (inquit, de Chaldaeis verba faciens,) *doctrinam non eo modo, quo Graeci hisce ſtudiis dediti, percipiunt. Apud Chaldaeos enim per generis ſeu familiae traditionem haec Philoſophia obtingit, filiusque a patre illam accipit; ab aliis interim publicis muneribus omnino liberi. Et quia parentibus vtuntur magiſtris, fit, vt & affatim & citra inuidiam omnia diſcant,*

(g) *Lib. II. cap. 29.*

& certiore fide praeceptis attendant, &, dum a pueris ſtatim diſciplinis innutriuntur, praeclarum in Philoſophia habitum ſibi comparant, tum quod aetas illa docilis eſt, tum quod multo ſtudiis tempore inſudant. Apud Graecos vero plerique magna parte accedunt imparati, & Philoſophiam hanc ſero attingunt: operaque aliquatenus huc impenſa, quaerendi victus cura diſtracti abscedunt. Ac licet pauci quidam Philoſophicae ſe palaeſtrae totos mancipant; hi ipſi tamen quaeſtus gratia diſciplinae adhaerent, nouasque de placitis maximis diſputationes mouent, nec fixum in maiorum veſtigiis pedem tenent. Quocirca Barbari iisdem iugiter inhaerendo, firmiter ſingula percipiunt. At Graeci ex artificio lucrum captantes, nouas condunt ſectas, & de maximis inter ſe theorematis opinionibus contrariis diſceptando faciunt, vt diſcipuli ſententiis huc illuc ancipites fluctuent, animique ipſorum per omnem vitam ſuspenſi dubiique maneant, nec vlli rei certam tribuere aſſenſionem queant. Nam ſi quis maxime inſignes Philoſophorum ſectas examinet, plurimum inter ſe discrepare, & in grauiſſimis ſententiis ſibi aduerſari, comperiet. 14

XXII.

Haec omnia Diodorus. Cuius ſententiae etſi haud poſſim omni ex parte aſſentiri, (nec enim tanti eſt, quod a parentibus ſoli filii doctrinam hauriant, nec id apud Chaldaeos fuit omnino receptum vſu, ceu conſtat ex ſacra Danielis hiſtoria:) pleraque tamen eius neſcio an quis prudens improbauerit. Certe exactius paulum intuentibus res Graecae gentis, quales illae fuerint iſthac aetate, non poteſt non ſtatim patere, ſcholarum illarum Philoſophicarum varietatem in detrimentum potius reipublicae natam fuiſſe, quam in emolumentum doctrinae. Athenienſes certe merito accuſes, quod tam varias Philoſophias, a religione & moribus ciuitatum non minus, quam a ſemetipſis plurimum diffidentes, publice doceri permiſerint. Neque enim vlla Philoſophorum ſchola cum religione & legibus vrbanis convenit: ſed omnes inſtituta auita iuerunt euerſum, non impune

SVPPL. X.

pune tantum, ſed & cum applauſu potentiorum. Id quod etſi non ſit vituperandum, cum reſpublica malis erroribus agitur, cumque emendatur ſtatim illa ad certam vnius alicuius diſciplinae atque doctrinae normam; nullo modo tamen tolerandum eſt, ſi iſthaec non fiant, imo vero ſi nulla vna certa emendandi rempublicam ratio publice inſtituatur. Athenis vero, vt & alibi per Graeciam, plebi manebat ſua religio, manebant ſua inſtituta plane aduerſa Philoſophorum ſcitis, quae tamen publice & docebantur & exercebantur. Iam vero Ariſtippi & Epicuri ſcholae in voluptatibus collocabant felicitatem & ſummam beatitudinem: a quibus licet disſiderent ſcholae reliquae, tamen nec ipſae inter ſeſe de morum vitaeque ratione conueniebant: & praeterea pleraeque omnem cultum diuinum non minus, atque illa Epicuri diſciplina, tollebant e medio aut ridebant, aut certe non niſi in ſpeciem & dicis ergo prouidentiae diuinae quicquam referebant acceptum. Vnde non potuit non Athenis & in Graecia paſſim chaos aliquod variarum ſectarum enaſci. Enimuero quoties equidem illam Graeciae aetatem cogito, monſtrum aliquod mihi videor cernere, aut terram variis religionum portentis confuſam & ſibimet mutuo aduerſam. Nec tamen iſta promiſcua quiduis ſentiendi ac docendi licentia ante deſiit, quam Chriſtiana doctrina, omnibus ſectis illis contritis, vnice coepit eſſe in veneratione.

XXIII.

Etſi vero ſub CAESARIBVS quoque ROMANIS tam turbulenta & diuerſa fuerit docendi inſtituendique ratio, nonnihil tamen melior tum coepit eſſe docentium conditio. Paulatim enim ſalaria ex publico illis conceſſa ſunt. Ita narrauimus ante ex Euſebii *Chronicis*, Quintiliano e fisco (qui aerarium erat Caeſarum,) ſalarium numeratum. Refert vero & de Flauio Veſpaſiano, Domitiani patre, in *eius Vita*

ta (*h*) Suetonius, primum illum e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituisse, hoc est, bis mille & quingentos Philippeos. At haec liberalitas intra solos Rhetores, & quidem Romanos, stetit. Multis post annis demum Antoninus Pius etiam Philosophis stipendia & honores concessit, & quidem *per omnes prouincias*, vt narrat Iulius (*i*) Capitolinus. Omnis generis doctoribus annuam mercedem Athenis a Marco esse constitutam, narrat Xiphilinus *in eius Vita.* Salaria autem prouincialia isthaec fuisse sexcentorum aureorum Romanorum, id est, mille quingentorum Philippicorum, e Tatiano notauit clarissimus (*k*) Casaubonus. Aliis tamen minus fuisse datum, ex Luciani *Eunucho* constat. Scribit enim, singulis Philosophorum generibus ab Imperatore constituta fuisse decem millia drachmarum, quae Romanis erant quadragena sestertia, id est, mille Philippici. Hanc summam ab Imperatore illo etiam Theodoto Sophistae, τῆς νεότητ☉ προεστῶτι, esse constitutam, testis est Philostratus *lib. 2. in Theodoto.* Idem vero narrat, Apollonium Atheniensem Politicam cathedram Athenis mercede talenti tenuisse: vt proinde pro cathedrae qualitate & merces fuerit alia atque alia. Et vero etiam Eumenius Rhetor in *Oratione pro restaurandis scholis in Augustoduno, Cliuiensium oppido*, salarium se accipere (*l*) profitetur a liberalissimo Principe in sexcentis millibus nummûm, hoc est, quindecim millia Philippicorum: nisi in textu mendum sit, stipendium sane amplissimum. Etsi vero ea aetate absque dubio per prouincias multi passim Philosophi Rhetoresque stipendio publico habuerint scholas; fortassis tamen non multum post aetatem filiorum Constantini peraeque durauit hoc institutum. Namque de ipsis Romanis Professoribus aetate Valenti-

SVPPL. XI.

16

(*h*) *Cap.* 18.
(*i*) *Cap. XI.*
(*k*) Ad *Suetonium.*
(*l*) Vid. Lipsius *lib. III. Lonanii cap.* 1.

lentiniani, Theodosii & Arcadii scribit Symmachus *lib. V. epist. 33*: *Romanae iuuentutis magistris detracta sunt subsidia solennis alimoniae.* At si id Romae factum, multo magis in prouinciis, cum Imperii rebus simul labentibus & doctrinae studiis. Quanquam, Romae salaria rediisse, dixeris. Extat enim apud Cassiodorum *lib. 9. epistola vicesima prima* ipsiusmet Athalarici, Gothorum regis, qua ille iubet solui isthaec *salaria sine deductione, semestribus etiam singulis.*

SVPPL. XII.

XXIV.

Interea vero certum est, non Romae tantum, sed & in prouinciis, multas scholas publicas sumtibus reipublicae fuisse erectas. Vt enim solas GALLIAS nunc respiciam, Eumenius Rhetor, quo de ante diximus, Augustoduni collapsam scholam restituit amplissimo salario suaque impensa. Extat & Ausonii liber, quo ille praedicat Professores Burdegalenses, Tholosanos, & Narbonenses alios: vbi de Tiberio Victore Mineruio, Professore Burdegalensi, scribit:

17

Mille foro dedit iuuenes, bis mille Senatus
Adiecit numero purpureisque togis.
Me quoque &c.

Habemus & Valentis ac Gratiani Imperatorum Theodosiano in Codice (*m*) rescriptum ad Praefectum praetorio Galliarum in haec verba: *Per omnem dioecesin commissam magnificentiae tuae, frequentissimis in ciuitatibus, quae pollent & eminent claritudine praeceptorum, optimi quique erudiendae praesideant iuuentuti. Rhetores loquimur & Grammaticos Atticae & Romanae doctrinae. Quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum e fisco emolumenta donentur: Grammaticis Latino vel Graeco duodecim annonarum deductior paulo numerus ex more praestetur: vt singulis vrbibus, quae metropoles nuncupantur, nobilium Professorum electio celebretur. Nec vero iudicamus, liberum vt sit cuique ciuitati, suos doctores & magistros pla-*

(*m*) *Lib. XIII. tit. 3. de Med. & Profess. lege XI.*

placito sibi iuuare compendio. Treuirorum vero clarissimae ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum: Rhetori vt triginta, item viginti Grammatico Latino, Graeco etiam, si qui dignus reperiri potuerit, duodecim praebeantur annonae. Hactenus responsum illud Imperatoris. Vnde discimus, in omni prouinciae Gallicanae metropoli scholam publicam erectam: at non Philosophiae aut Medicinae aut Iuris Romani disciplinae, multo minus Theologiae; sed solis Rhetoribus & Grammaticis, & quidem ita, vt vno Rhetore & duobus Grammaticis singulae scholarum istarum constiterint. Et vero hac de causa factum, vt ipsamet Gallicana *(n)* iuuentus Iuris Romani discendi ergo Romam petere fuerit coacta: vtpote cum vna illa schola Iuris istius tum temporis fuerit in omni Occidentali imperio, nescio an vllo Caesarum priuilegio, certe quadam longa consuetudine. Quam proinde etiam Caesari Iustiniano visum est auctoritate sua confirmare Eadem ratio fuit & Scholae Mediolanensis in Gallia togata, ad quam sese S. Augustinus docendi causa scribit euocatum *lib. V. Confess. cap. 13.* Namque & illa nihil praeter Rhetoricen & Grammatica docuit, ceu ex ipso Augustino haud difficulter est discere. Celebrata imo est & in Africa Carthaginis schola, quantum apparet ex Apuleii *Floridis.* Nec dubitauit de illa scribere S. Augustinus: *Duae vrbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.*

SVPPL. XIII.

18

XXV.

Vt autem Occidentalis Romani Imperii pars, ita & ORIENTALIS cum in Roma noua, Constantinopoli inquam, tum per prouincias, scholas suas publicas habuit. Omnes tamen, quantum videtur, pari cum Gallicis ratione fuerunt: nisi quod Constantinopolitana, Atheniensis, Alexandrina & Berytiensis, nonnihil habuerint singulare.

 Nam-

(n) Vide Altaserram *Rer. Aquitan. lib III. cap. 5.*

SVPPL. XIV.

Namque vt de BERYTIENSI initio quid dicam, sola fere illa videtur Romani Iuris prudentiam docuisse. Sane nusquam hoc studium magis, quam ea in vrbe, floruit. Et quidem floruit iam saeculi quarti initio, imo fine tertii; quod liquet ex Codicis Iustinianei titulo, qui est de iis, *qui aetate vel professione se excusant.* Vbi tamen perperam forte legitur *Arabiae* vox. Phoeniciae enim vrbs, non Arabiae, fuit Berytus: eoque nihil etiam caulae fuit fortassis, cur Arabiae scholaribus rescriberet quicquam (o) Diocletianus eiusque collega Maximianus. *Cum vos affirmatis*, aiunt Caesares, *liberalibus studiis operam dare, maxime circa Iuris professionem, consistendo in ciuitate Berytiorum prouinciae Phoeniciae, prouidendo vtilitati publicae & spei vestrae, decernimus, vt singulis vsque ad vicesimum quintum annum aetatis suae studiis non auocentur.* Saeculo quarto tanta fuit studiorum Iuris ergo in existimatione Berytus, vt Eunapio (p) audierit *eiusmodi studiorum mater.* Quinto saeculo vixisse Zachariam Scholasticum, siue Rhetorem forte Berytiensem, post Episcopum Mytilenensem, illum, cuius Dialogum *aduersus mundi aeternitatem* cum Origenis *Philocaliis* edidit Ioannes Tarinus, argumento est, quod auctor ille significet, viuere Alexandriae Ammonium, Procli discipulum: qui est ille magnae famae filius Hermiae, Alexandrinus Philosophus. Prodit vero ille Zacharias, Berytum, μητέρα τῶν νόμων, venisse quem iuuenem Iuris studiorum gratia, qui Alexandriae antehac Ammonium audierat: vt proinde etiam tum disciplina illa Iuris Beryti floruerit. Imo cum nouam Iuri veteri faciem indere Iustiniano Caesari consilium fuit, euocatus ad illam operam Beryto est Dorotheus cum collega Anatolio. Ipsi autem illi Caesari audit Berytus non tantum *pulcherrima ciuitas*, aut *verenda & splendida metropolis*, sed & *ciuitas legum*, *quam legum nutricem bene quis appellet.* Tan-

19

(o) L. 1. *tit. qui aet.*
(p) In *Proaeresio.*

ti etiam aeſtimata tum vrbs illa fuit, vt diſerte cauerit Caeſar, ne alibi, quam Beryti & in vtraque Roma, ius Romanum doceretur. Imo idipſum *iam a retro Principibus conſtitutum eſſe*, (q) fatetur. Sed eadem tempeſtate Berytum ingenti terrae motu tantum non funditus euerſam eſſe, multis narrat Agathias (r) Scholaſticus. Nec poſtilla temere inuenias laudatam a Iuris diſciplina Berytum: vt proinde & hoc terrae motu incendioque, & ſubſequentibus Saracenorum incurſionibus, omnem doctrinam ibi mox collapſam eſſe, ſit veroſimile.

XXVI.

SVPPL. XV.

ATHENIS videntur ſoli Rhetores & Philoſophi floruiſſe. Etſi enim de Marco Caeſare ſcribat Xiphilinus: ἔδωκε δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας μισθὸν ἐτήσιον φέροντας; non alii tamen praeter hosce a quoquam memorantur. Et vero Politicam cathedram, cuius meminit Philoſtratus in *Apollonio*, Philoſophis, niſi fallor, licet accenſere. Sed & fortaſſis Philoſophi ibi ſalario publico non diu docuerunt, iam florentibus quidem Chriſtianorum rebus. Inuenio ſane in *Vita Procli*, illa, quam in magiſtri laudem Marinus Neapolitanus conſcripſit, Platonicam aliquam hereditatem, ita dictam, Philoſophis ceſſiſſe in ſalarium, verum non ex publico, ſed, quantum coniicere eſt, ex gentilium nonnullorum priuata liberalitate collectam. Non priuandus tamen laude mos eſt cathedram conſequendi, aut non niſi poſt varias multorum concertationes, quarum meminit Eunapius in *Proaereſio* ſic ſatis prolixe, paucis Philoſtratus in *Heraclide*; aut liberali Caeſarum dono, quomodo cathedram philoſophicam a ſeſe impetratam eſſe, fatetur Alexander Aphrodiſienſis *lib. de fato*, & de Adriano, Polluce ac Philiſto, Sophiſtis, refert (ſ) Philoſtratus. Nec illud

20

(q) *Cod. de iur. vet. enucl.*
(r) *Lib. II.*
(ſ) *Lib. de vitis Sophiſtarum.*

illud non meretur laudem, quod videatur Marcus Caeſar omnibus doctoribus vnum aliquem praefeciſſe, qualem fuiſſe Herodem narrat in *Theodoto* idem Philoſtratus.

XXVII.

Sed haud fuit etiam haec felicitas fortaſſis diuturna, vtpote cum ab aliis ſcriptoribus non perinde illa memoretur. Et vero ingentem omnis proſperitatis iacturam ipſae Athenae fecerunt Arcadio & Honorio Caeſaribus per incurſiones Gothicas Alaricho duce. Non enim Zoſimo (*t*) temere credas, nihil damni dediſſe vrbi Alarichum, quaſi deterrente eum Minerua cum Achille: quia, omnem Graeciam miſere tum direptam eſſe, conſtat. Non deſunt vtique vel hodie querelae illius temporis ſcriptorum de ipſarummet Athenarum infelicitate. Certe Syneſius, qui illa ipſa vixit tempeſtate, non dubitauit (*u*) Athenas pelli comparare, quae animali conſumto ſuperſit ſola: addens: Αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μεν πόλις, ἑςία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον; σεμνύȣσιν ἀυτὰς οἱ μελιτ]ȣϱγοί. Etiam ita tamen manſiſſe Philoſophicam aliquam & Rhetoricam ſcholam ad Iuſtiniani Caeſaris vsque aetatem, certum eſt. Per omnia enim haec tempora vsque ad Iuſtiniani Caeſaris aeuum, Philoſophiam quidem ibi docuerunt (*x*) ſucceſſione magiſterii Plutarchus, Neſtorii filius, Syrianus ὁ μέγας, Proclus Lycius, qui κατ᾽ ἐξοχὴν audit Platonis διάδοχος, Marinus Neapolitanus, Zenodotus, Damaſcius, Simplicius, magna philoſophorum nomina. Vt taceam alios, qui ibidem videntur vixiſſe, literarum gloria claros. Certe ipſemet Seuerinus Boëthius per integros octodecim annos Philoſophiae gratia Athenis haeſit, ceu legere eſt *libro de diſciplina ſcholarium*: conſtat autem floruiſſe illum ſaeculo Chriſtiano quinto. Adeoque quod Syneſius ſubiungit:

21

(*t*) *Lib. V.*

(*u*) *Epiſt. 17.*

(*x*) Vide de his omnibus Suidam, & excerpta ex *Vita Iſidori* per Damaſcium ſcripta apud Photium.

git: ταῦτ' ἄρα καὶ ἡ ξυνωρίς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, οἵτινες οὐ τῇ φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τοὺς νέους, ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ὑμέττου σταμνίοις; id vero praecife de tempore illo intelligendum eft, quo fcholae philofophicae praefuit Plutarchus Neftorii, quodque Gothicam tempeftatem excepit. Et vero non is fuit Plutarchus ille, qui potuerit allicere auditores nominis aut doctrinae fama. Eoque idem Synefius alibi recte itidem (y) fcripfit de fuo itinere Athenienfi: *Huius autem Athenas itineris non folum hunc capiam fructum, quod a praefentibus liberer malis, verum etiam ne amplius ftudiorum caufa eos adorem, qui inde veniunt, nihil meliores quidem nobis mortalibus, quod quidem ad intelligentiam Ariftotelis & Platonis attinet. Verfantur autem inter nos quemadmodum femidei inter mulos, eo quod confpexerint Academiam & Lyceum, & Variam illam Porticum, quae iam non eft varia: nam Proconful tabulas abftulit, deinde prohibuit eos, ne propter fapientiam elatiore fint animo.*

XXVIII.

Constantinopoli porro primum quidem iuffi funt falario publico docere foli Rhetores & Grammatici. His Romani Iuris profeffionem adiunxit Theodofius; quod poft confirmatum eft a Iuftiniano. Eiusdem auctoritate coepit iftic & Philofophica ἀκρόασις. Quod enim ibidem Themiftius iam Conftantii aetate docuiffe (z) videtur, priuato viri ftudio eft adfcribendum. Nullus autem ibi vel doctrinae Chriftianae vel Artis medicae profeffioni locus fuit. Haud abs re fuerit, recitare in praefentia ipfam Theodofii & Valentiniani Caefarum (a) conftitutionem, qua formam circumfcripferunt auditorii Capitolini, (nam in Capitolio fuit fchola illa publica,) qualem tum & Romae & Conftantinopoli

22
SVPPL. XVI.

(y) *Epift.* 54.
(z) Vid. Themiftius in *Sophifta.*
(a) *Cod. Theodof. l.* 14. *tit. IX.* & *Cod. Iuftin. l. XI. tit.* 18. *de ftud. liberal. Vrb. Rom. & Conftant.*

poli eſſe voluerint. *Habeat igitur auditorium ſpecialiter noſtrum in his primum, quos Romanae eloquentiae doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammaticos vero decem. In his etiam qui facundia Graecitatis* (ita enim recte habet codex Theodoſianus,) *pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtae, & Grammatici aeque decem. Et quoniam non his artibus tantum adoleſcentiam glorioſam optamus inſtitui, profundioris quoque ſcientiae atque doctrinae memoratis magiſtris ſociamus auctores. Vnum igitur adiungi caeteris volumus, qui Philoſophiae arcana rimetur; duos quoque, qui Iuris ac Legum voluntates pandant: ita vt vnicuique loca ſpecialiter deputata aſſignari faciat tua Sublimitas, ne diſcipuli ſibi inuicem poſſint obſtrepere vel magiſtri; neue linguarum confuſio permixta vel vocum aures quorundam aut mentes a ſtudio literarum avceat.* Haec Caeſares illi. Quae etiam Iuſtiniano placuiſſe, indicio eſt, quod ex titulo Codicis Theodoſiani *De ſtudiis liberalibus Vrbis Romae & Conſtantinopolis* vnicum hoc reſcriptum in Codicem ſuum transferri curauerit, & quidem nulla facta expunctione aut mutatione: quod Triboniano alias fuit recepti moris. Et vero idem Iuſtinianus confirmauit (*b*) illud vetus priuilegium, quod ſcholae Conſtantinopolitanae cum Romana & Berytienſi erat commune, ne alibi Iuris diſciplina doceretur. Duos vero tum temporis Conſtantinopoli Ius docuiſſe, Theophilum nempe & Cratinum, abunde omnibus notum eſt. Quemadmodum autem Caeſares hi Iuris & Philoſophiae profeſſioni loca publica tribui curauerunt, ita iam ante ipſe Conſtantinus Magnus ἀκροατήριον videtur ſtruxiſſe Grammaticis & Rhetoribus. Romae ſaltem eſſe id factum, diſerte legitur in Pauli Diaconi Miſcella (*c*) Hiſtoria. *Conſtantinus Magnus,* inquit, *ciuiles nutrire artes, praecipue ſtudia literarum, quaeſiuit. In illuſtribus domibus eos, qui in Vrbe Roma erant, viros rationabiles* col-

23

(*b*) *Cod. de vet. iure enucl. l. 1.*

(*c*) *Lib. X. cap. 13.*

collocauit. Quî omiſerit vero id ipſum Conſtantinopoli, quam omni ex parte ſtuduit Romae veteri aequalem reddere? Certe circa illud tempus & hic fuiſſe ſtructas huiusmodi aedes, liquet ex eiusdem Pauli verbis (*d*) ſequentibus: *Gallus circa Epheſum apud doctores erat. Porro Iulianus & Creſcens in auditoriis Conſtantinopolitanae vrbis exercebatur, in baſilica, vbi doctores erant.* Narrabimus paulo poſt iterum aliquid de baſilica iſta.

XXIX.

SVPPL. XVII.

Progrediendum nunc eſt ad ALEXANDRINAM ſcholam: quam itidem Orientales inter ſingulare aliquid prae reliquis illius aeui habuiſſe, diximus. Et vero vna illa pene omnia habuit. De Oratoriis & Grammaticis ſtudiis non eſt, quod dicamus, vtpote cum iam tum conſtet, a Ptolemaeorum regum aetate, adeoque ab initio vsque vrbis iſtius conditae, illa floruiſſe. Non deſiiſſe vero eam gloriam etiam diu poſt, ſatis oſtendit vnum illud magnum Iohannis Philoponi nomen, qui etiamnum a profeſſione ſua, qua Alexandriae ſexto ſaeculo Chriſtiano functus eſt, *Grammaticus* vulgo vſurpatur. Mathematicas quoque omnis generis diſciplinas ibi habuiſſe ſuos doctores publicos, notiſſimum eſt. Quem enim fugit illud ſaltim de Pappo & Theone, viris vtique celeberrimis? Hypſicles quoque ipſe (*e*) teſtatur, ſeſe Apollonii Pergaei libros Alexandriae interpretatum eſſe. Fortaſſis eodem munere & Eutocius Aſcalonita functus eſt, vt qui ſuum in *Sphaeram* & *Cylindrum Archimedis* commentarium Ammonio inſcripſerit, Alexandrino Philoſopho. Eutocium autem illum Hypſicli fuiſſe coaeuum, adeoque vtrumque vixiſſe ſub finem ſaeculi quinti, veroſimile ſit ex eo, quod & Hypſicles *l. 2. n. 5.* praeceptorem laudet Iſidorum, & Eutocius ſtatim in fronte commentariorum ſuorum

24

(*d*) *Lib. XI. cap. 24.*
(*e*) *Lib. I. Elementorum.*

memoret magiſtrum Iſidorum Mileſium, Mechanicum. Forte & Diophantus, magnus ille Arithmeticus, hic docuit: nec tamen id definio. Proclum Lycium ab Herone in mathematicis eſſe Alexandriae inſtitutum, teſtatur Marinus Neapolitanus: Hero autem ille videtur is eſſe, cuius exſtat alter *de geodaeſia*, alter *de machinis bellicis* liber: vtique Ptolemaeo multum hic iunior eſt. Ea certe fuit Alexandrinae ſcholae in Mathematicis exiſtimatio, vt ab Epiſcopo illius vrbis Paſchalem canonem quotannis petere, ipſimet primitiuae Eccleſiae placuerit. Iam vero & Philoſophiae doctorum quorundam laus ad nos vsque propagata eſt. A principe Anatolio, Laodiceae poſt Epiſcopo, ſcholam Peripateticam fuiſſe apertam, teſtis eſt (*f*) Nicephorus, in eo tamen forte falſus, quod huic primo id adſcribat. Aëtium haereticum Ariſtotelicae philoſophiae magiſtros Alexandriae audiuiſſe, ſcribit (*g*) Sozomenus: quod tamen non habet (*h*) Philoſtorgius, Aëtii & aſſecla & laudator vnicus. Olympiodorum Ariſtotelis & Platonis placita ibi interpretantem audiuit Proclus Lycius, teſte (*i*) Marino. Quo tempore hanc ſcholam philoſophicam Athenienſi multum praetulit Syneſius. Clariſſima eſt fama Ammonii, Hermiae filii, plane illius, quem Zacharias Scholaſticus (*k*) ſcribit Platonis & Ariſtotelis dogmata interpretari Alexandriae, relictis Athenis & Proclo magiſtro. Quin & Olympiodorus ille, cuius hodieque exſtant in *Meteorologica Ariſtotelis* & *Platonis dialogos* aliquot commentarii, Alexandriae videtur docuiſſe. De Hypatia, Theonis, magni illius Mathematici, filia, foemina ſingularis ſane ingenii, quam innoxiam Alexandrini, non ſine infamia quadam ipſius Cyrilli, crudelis-

ſime

(*f*) *Lib. VI. cap. 36.*
(*g*) *Lib. III. cap. 14.*
(*h*) *Lib. III. tm. 15.*
(*i*) In *Vita Procli.*
(*k*) In *Dialogo.*

ſime interemerunt, ſcribit (*l*) Socrates, Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptor, atque ex illo Caſſiodorus: *Haec tantos in literis fecit progreſſus, vt omnes Philoſophos ſui temporis ſuperaret, ac non modo in ſcholam Platonicam a Plotino deductam ſuccederet, verum etiam omnes Philoſophorum omnium praeceptiones & diſciplinas omnibus, qui eam audire volebant, explicaret. Quapropter quotquot Philoſophiae ſtudio incendebantur, ad eam confluebant.* Et vero haec illa eſt, ad quam Philoſophae titulo ſuperſunt Syneſii epiſtolae. A Plotino autem ſcholam aliquam Alexandriae fuiſſe inſtitutam, vix eſt veroſimile, cum nihil huius habeat Porphyrius in eius *Vita.* Neque temere legas, quenquam Plotini ſectatorum ibi docuiſſe: niſi id forte fecerit annos aliquot Iamblichus. Plotini tamen doctrinam probaſſe ſeſe Hypatiae, non eſt, quod in dubium vocemus: praeſertim cum conſtet, omni Philoſophiae genere ſcholam iſtam floruiſſe. Ad hoc & Ius Romanum a nonnullis doceri, ibi inſtitutum eſt, nullo tamen indultu publico, eoque id vetitum a Iuſtiniano (*m*) Caeſare. De Pantaeno agens Euſebius (*n*) Pamphili: *Docebat is,* inquit, *Alexandriae, cum ex antiquo ſchola illic conſtituta eſſet ſacrarum literarum, quae & ad noſtra tempora peruenit.* S. Hieronymus (*o*) ſcribit, in Alexandria, *iuxta veterem conſuetudinem a Marco Euangeliſta, ſemper Eccleſiaſticos doctores fuiſſe.* Clementem Alexandrinum, Pantaeni auditorem, *poſt eius mortem Alexandriae Eccleſiaſticam ſcholam tenuiſſe, & κατηχήτεων magiſtrum fuiſſe*, iidem (*p*) teſtantur. Origenem Adamantium *a Demetrio, Alexandrinae vrbis Epiſcopo, in locum Clementis presbyteri confirmatum per multos annos floruiſſe*, ſcribit idem (*q*) Hieronymus. Huic forte Dionyſius ſucceſſit, de

(*l*) *Lib. VII. cap.* 15; Philoſtorgius *lib. VIII. tm.* 9.
(*m*) *Col. de vet. iure enuct.*
(*n*) *Lib. V. Hiſt. eccl.*
(*o*) In *libro de ſcript. eccl. cap.* 36.
(*p*) Ibidem *cap.* 38.
(*q*) Ibid. *cap.* 54.

25

quo (r) Hieronymus: *Dionyſius, Alexandrinae Vrbis Epiſcopus, ſub Heracla ſcholam κατηχήσεων presbyter tenuit, & Origenis valde inſignis auditor fuit.* Forte & Pierius ſub Caro & Diocletiano eodem perfunctus eſt munere: hic enim Alexandrinae Eccleſiae presbyter, teſte eodem (s) Hieronymo, *florentiſſime docuit populos, & tantam ſermonis diuerſorumque tractatuum, qui vsque hodie exſtant, inuenit elegantiam, vt Origenes iunior vocaretur.* Sanctum Didymum caecum, (t) Sozomenus ſcribit, ſacrae ſcholae Alexandrinae, in qua literae ac diſciplinae docebantur, fuiſſe praefectum. Vbi omnino videtur loqui de illo Pantaeni ludo: a quo κατηχήσεων ſcholam fuiſſe diuerſam, veroſimile eſt. Quicquid eius ſit, certum eſt, Alexandriae ſcholam fuiſſe Eccleſiaſticam, & quidem illo aeuo nusquam terrarum aliam illi conſimilem: quod admiratione videtur maxime dignum. Non poſſum hac occaſione non afferre in medium querelam, quam ſuper hac re Caſſiodorus, vir vtique & dignitate & pietate magnus, iam olim (u) inſtituit. Cum ſtudia, inquit, ſaecularium literarum magno ſtudio feruere cognoſcerem, ita vt multa pars hominum per ipſa ſe mundi prudentiam crederet adipiſci, grauiſſimo ſum, fateor, dolore permotus, quod ſcripturis diuinis magiſtri publici deeſſent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent, niſus ſum cum beatiſſimo Agapito, Romae Epiſcopo, vt, ſicuti apud Alexandriam multo tempore traditur fuiſſe inſtitutum, nunc etiam in Niſibi, ciuitate Syrorum, Hebraeis ſedulo fertur exponi; collatis expenſis in Vrbe Romana profeſſos doctores ſcholae potius acciperent Chriſtianae, vnde anima ſusciperet aeternam ſalutem, & caſto atque puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur. Addit ſtatim Caſſiodorus, *deſiderium ſuum non potuiſſe compleri propter bella* (vt inquit,) *feruentia & turbulenta nimis in regno Italico certamina, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis.* Et vero hac occaſione ſcripſit ille ſuos *de diuinis & humanis lectionibus*

26

(r) Ibid. *cap. 69.*
(s) Ibid. *cap. 76.*
(t) *Lib. III. cap. 14.*
(u) *Praef. in libros diuin. & hum. lect.*

bus libros, qui hodieque ſuperant, licet in particulis huc illuc miſere disiectis. De Niſibi porro quod ait Caſſiodorus, confirmat σύγχρονον, ſed ex Africa, teſtimonium, vt tamen non Hebraeis, ſed Chriſtianis videatur ludum iſtum tribuere, Iunilii (x) Africani. *Vidi* (inquit ille,) *quendam Paulum nomine, Perſam genere, qui in Syrorum vrbe Niſibi eſt edoctus, vbi diuina lex per magiſtros publicos, ſicut apud nos* (in Africa ſcilicet,) *in mundanis ſtudiis Grammatica & Rhetorica, ordine & regulariter traditur.* Etiam Antiochiae tamen ad Orontem Chriſtianam Philoſophiam & ſacras literas celebribus auditoriis profeſſos Carterium & Diodorum, S. Ioannis Chryſoſtomi magiſtros, auctor eſt (*y*) Sozomenus. Sed haec opera fortaſſis priuato ſtudio fuit ſuſcepta: qualem multos paſſim terrarum praeſtitiſſe, vel vna famoſi Aëtii hiſtoria nos docet: a quo Tarſi Epiſtolas Pauli explicantem Antonium presbyterum, Antiochiae Prophetas exponentem Leontium, auditum, memorat (z) Philoſtorgius. Caeterum hoc obiter. Obſeruandum autem eſt, ne quidem illam Alexandrinam Eccleſiae ſcholam publica fuiſſe auctoritate roboratam, ſed priuatim inſtitutam, forte a S. Marco aut ſecutis eum Alexandrinis Epiſcopis. Fortaſſis quoque non magna fuit in exiſtimatione, vtpote cum illuc ſacrorum ſtudiorum cauſa Chriſtianos multos ex aliis terris confluxiſſe, haud temere legas. Ab Antonini Caeſaris aeuo, quem audiuimus ſalaria doctoribus conſtituiſſe, videtur Alexandriae floruiſſe ſchola etiam medica, ἰατροσοφιστῶν nuncupata, & quidem publica. Quarto ſane ſaeculo fuit illa longe florentiſſima, vt & ſaeculo quinto. Tum enim ibi docuerunt Zeno Cyprius, Magnus, Geſſius, Palladius, Ioannes, alii. Quod alias latius fortaſſe (*a*) narrabimus.

XXX.

(*x*) *Lib. de partibus diuinae legis.* (*y*) *Lib. VIII. cap. 2.*
(*z*) *Lib. III. cap. 15.* (*a*) Vide librum meum *de Hermetica Medicina cap. 9.*

XXX.

Obſignabimus vero hunc de Alexandrina ſchola ſermonem encomio Ammiani (*b*) Marcellini quantumuis prolixiore: vti liquido appareat, ſaltim qualis fuerit illa ſchola ſaeculo Chriſtiano quarto. Alexandria ipſa non ſenſim, vt aliae vrbes, ſed inter initia prima aucta per ſpatioſos ambitus, internisque ſeditionibus diu aſpere fatigata, ad vltimum multis poſt annis, Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgiis ad certamina internecina prolapſis, dirutisque moenibus, amiſit regionum maximam partem, quae Bruchion appellabatur, diuturnum praeſtantium hominum domicilium. Vnde Ariſtarchus, Grammaticae rei doctrina excellens, & Herodianus, artium minutiſſimus ſciſcitator, & Sacas Ammonitus, Plotini magiſter, aliique plurimi ſcriptores multorum in literis nobilium ſtudiorum. Inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis ſcientiae coepto memorabilis: qui in illis ſex libris, vbi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, Syllographos imitatus, ſcriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incuſat, & immania frementem leonem putredulis vocibus vanus catulus longius circumlatrat. Et quanquam veteres cum his, quorum memini, floruere complures, tamen ne nunc quidem in eadem vrbe doctrinae variae ſilent: nam & DISCIPLINARVM magiſtri quodammodo ſpirant, & nudatur ibi GEOMETRICO radio, quicquid reconditum latet, nondumque apud eos penitus exaruit MVSICA, nec HARMONIA conticuit, & recalet apud quosdam adhuc literatos conſideratio MVNDANI MOTVS & SIDERVM, doctique ſunt haud numero pauci: ſuper his ſcientiam callent, quae FATORVM VIAS oſtendit. MEDICINAE autem, cuius in hac vita noſtra, nec parca nec ſobria, deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur indies, vt, licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.

XXXI.

Hactenus Ammianus. Sed & de Alexandrina ſchola for-

(*b*) *Lib. XII. cap. 42.*

fortasse plus satis. De aliis Orientalis Imperii Romani scholis eiusmodi dicere nihil attinet. Non possumus tamen omittere praeconium, quo CAESAREAM, PALAESTINAE μητρόπολιν, prosecutus est S. Gregorius Nazianzenus oratione, qua defunctum Basilium Magnum laudauit. „Hinc, „*dicit*, Caesaream, vt scholarum vrbis illius particeps esset, „contendit. Hanc aio illustrem ciuitatem, & nostram (nam „meorum quoque studiorum dux & magistra extitit,) non „minus literarum & doctrinae, quam vrbium, quibus prae„cellit atque dominatur, metropolin. Quam si quis do„ctrinae palma spoliauerit, rem omnium pulcherrimam, „ipsique maxime propriam, eripuerit. Nam cum aliae „ciuitates aliis ornamentis vel antiquis vel nouis glorientur, „prout, opinor, vel historiis vel rebus quibusdam visendis „ornatae sunt, hanc contra, vt arma atque tragoedias notae „quaedam atque insignia, sic literarum gloria nobilitat atque „illustrem reddit.

28

XXXII.

Hae praecipuae fuerunt scholae publicae: haec fere earum fuit facies ad saeculum partim sextum, partim septimum nati Saluatoris. Namque a sexto saeculo omnes eiusmodi scholae, imo tantum non omnis eruditio, in tota Occidentali Romani Imperii parte, per Italiam aio, Galliam, Hispaniam & Africam; a septimo autem per omnem Orientalem regionem, Asiam nempe, Graeciam & AEgyptum, funditus, alibi Germanicarum Scythicarumque gentium, alibi Saracenorum, florentissimas Romani Imperii prouincias occupantium, barbarie deletae sunt. Imo, quod mireris, ipsemet Iustinianus Caesar scholarum fortunam haud parum labefactauit. Diserte enim Ioannes Zonaras (*) de Caesare illo: *Neque vero hoc duntaxat, sed & alia plura templa extruxit: ad quorum aedificationem cum infinitis egeret pecuniis,*

 de

(*) *Tom. III.* in *Iustiniano.*

SVPPL. XVIII. *de consilio praefecti stipendia liberalium artium magistris olim constituta in omnibus vrbibus sustulit, quas, vacantibus literarum ludis, rusticitas inuasit.* Idem plane iam memorauerat (c) Procopius, Iustiniani σύγχρονος: imo ex Procopio haec descripsit forte Zonaras. Verane haec sint, an in odium ficta, haud dixerim. Id certum est, praeter exiguas reliquias CONSTANTINOPOLI superstites, in omni isthoc Christiano orbe scholam illustrem nullam, post Muhamedis tempora superstitem, memorari. Et tamen etiam illae tandem extinctae sunt per Leonem Isaurum εἰκονομάχον saeculi Christiani octaui initio. Rem omnem, prout narrat is, quem modo laudauimus, Ioannes Zonaras, forte haud abs re fuerit hic audire: *Domus erat* (inquit (d) ille,) *in regia ita dicta siue basilica, in qua multi codices humanae ac generosioris & diuinae sapientiae asseruabantur, ab antiquis temporibus ad inhabitandum ei attributa, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus praebebatur. Hos eruditionis & cognitionis auidi accedebant. Hos Imperatores ad rerum gerendarum consilia adhibebant. Eos Leo si cepisset & in suam sententiam pertraxisset,* (περὶ εἰκονομαχίας scilicet,) *omnia sibi confecta putabat.* Mox cum narrasset Historicus, quemadmodum illi sint Caesari reluctati, addit: *Sed cum saepe cum iis egisset frustra, eos domum dimisit in illas aedes regias, multamque materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi iussit, atque ita aedes cum libris & doctos illos ac venerabiles viros combussit.* Hactenus Zonaras. Idem aut simile facinus forte respexit Paulus Diaconus, ex Theophane indubie, vt solet, descriptum. *A Leone,* inquit (e) *ille, multi pro veritate puniebantur membrorum detruncationibus, & flagris, & exiliis, & rerum acturis, maximeque illi, qui nobilitate ac verbo clari esse videbantur: ita vt eruditionum scholas & piam eruditionem a Constantino*

29

(c) In *Arcana historia p. 113.*
(d) *Tomi III. in Leone Isauro.*
(e) *Lib. XXI. cap. 19.*

tino Magno hucusque seruatam extingueret. Vtrum ex vero nata sit omnis haec historia, haud temere affirmauerim. Nec enim Zonaras profecto idoneus est tantae rei testis, siue animum scriptoris videas, siue tempus, quo vixit. Ad hoc *oecumenici* alicuius *doctoris*, & tam illustris quidem collegii, memoria alibi forte nulla reperitur. Forte tamen significatur hic regia illa aedes, quam non multo ante a Constantino Magno liberalium artium studiis fuisse exstructam, indicauimus. Et vero in ea Latinae literaturae decem fuere Grammatici, Rhetores tres, ex Constantini instituto: quorum vnus collegii praeses dictus deinceps forte est οἰκουμενικὸς διδάσκαλος. Vt proinde illud collegium vna cum regia aede Leonis Isauri scelere perierit. 30

XXXIII.

Caeterum omnia etiam illarum, quas modo commemorauimus, scholarum instituta intuentibus, facile patet, etsi fuerint illae nostris affiniores, quam istae veterum Graecorum, permultum tamen iis fuisse inferiores. Nusquam enim omnia doceri sunt solita, vt apud nos fit in plerisque Academiis paulo melioribus. Inprimis rara fuit Theologica professio & Medica: quibus tamen melior orbis non potest nec debet carere. Deinde nec iurisdictionis nostrae vestigia illo etiam in aeuo comparent: quae est inter potissima eorum, quae ad dignitatem scholasticam faciunt. Dubito etiam, an omnes discentes per gradus ad honores aliquos eruditionis sint ducti: quomodo nos benemeritos titulis suis donamus. Omnes, inquam. Namque in Philosophorum & Rhetorum scholis videtur nonnihil simile obseruatum, vt alias narrabimus. Postremo in nostris Academiis plerumque multis discentibus solet victus ex publico dari: quod similiter in illis Romani Imperii scholis non obseruo, nisi quod obiter Lampridius scribat in Alexandri Seueri vita: *Doctoribus auditoria & salaria decreuit, & in di-*

ſcipulos, pauperum filios, modo ingenuos, annonas dari iuſſit. Sed haec procul dubio non fuere diuturna, ſi modo vnquam in vſum recepta ſunt.]

XXXIV.

Sed etiam de illis ſcholis publicis, quae ſub Caeſaribus Romanis floruerunt, ſatis forte eſt dictum. Quanquam enim & Iudaeis illa tempeſtate non defuerint ſcholae, & quidem ſic ſatis celebres, in Tiberiade & alibi, tamen & illae auctoritate publica non ſteterunt, eoque ad noſtrum hoc inſtitutum non pertinent. Tempus eſt, vt SARACENICAS luſtremus. Quamuis enim per eius gentis irruptiones omnem orientalis Imperii eruditionem ante diximus euerſam, per eandem tamen poſt iterum haud leuiter nitori ſuo illa reſtituta eſt: quanquam ducentis demum fere poſt Muhamedem annis. Scilicet initio quidem ſuae potentiae, quam ductu Muhamedis acquiſiuerunt, doctrina aliqua neque ipſimet erant inſtructi Saraceni, neque in aliis videntur potuiſſe eam aequo animo ferre. Prae zelo ſcilicet religionis aut potius ſuperſtitionis ſuae, ipſi cum eſſent imperiti omnis culturae melioris, eandem ceu pietati aut certe ſuperſtitioni ſuae aduerſam exſcindere potius, quam fouere, in parte videntur (*f*) religionis collocaſſe. Nec mutata in iis haec barbaries fuit fere ante ſaeculum IX. hoc eſt, ducentis prope a Muhamede annis. Prope, inquam. Nam & ſaeculo octauo iam coepiſſe apud eos melioris doctrinae nonnihil, negari merito haud debet. Secuto autem tempore haud parua in exiſtimatione fuiſſe omnia illam apud gentem ſtudia, reperio. De Arone Raſiida, ſexto poſt viceſimum Chalifa, illo, quem munera ad Carolum Magnum ex Perſia vsque miſiſſe, in Francorum (*g*) annalibus & Eginharto (*h*) legitur, ſcribit Saracenicae hiſtoriae

31 SVPPL. XIX.

(*f*) Vid. Ioan. Leo *Hiſt. Afric.* p. 26.

(*g*) *Annales Francorum ad annum 801.*

(*h*) In *Vita Caroli M.*

historiae auctor, Georgius (*i*) Elmacinus, Abulcasini filius, haec in verba, prout quidem illa vertit Thomas Erpenius: *Quod ad naturam, summae inter Chalifas fuit humanitatis & liberalitatis, maxime in Poëtas: vehementer enim delectabatur bonis versibus, eorumque auditu & imitatione. Cum peregrinaretur, peregrinari cum eo solebant centum docti: cum autem non peregrinaretur, trecentos homines ad peregrinationem instruebat, sumtus iis suppeditans & vestes mundas. Neque in aula vllius Chalifae tot conuenerunt consiliarii, iudices, docti, eruditi, & poëtae, atque in aula Rasiidae.* De filio huius, Abulabbate Almaimone, qui & Abu Giafar Abdalla fuit dictus, scribit idem: *Inter Abbasidas nemo quisquam eo fuit eruditior, nec praestantior. Didicerat egregie Astronomiam & ventorum stationes: vnde & inter peritos huius scientiae etiamnunc notus est ventus Almaimonis.* Et vero hic est ille Mamumus Zonarae (*k*) dictus, qui victor licet, pacis publicae pretio, a Theophilo, Constantinopolitano Imperatore, Leonem philosophum, mathematicarum artium peritia insignem hominem, mitti sibi petiit, nec impetrauit: qua de re post disserendum. Eo etiam curante instituta est in Babyloniae campis ab eius aetatis celeberrimis mathematicis illa telluris dimensio, quam Maimonis vocant Geometrae Arabes. Ex libro *Iuchasin* (inde enim hausit, etsi dissimulauerit,) Abrahami Zacuti notauit Iosephus (*l*) Scaliger, *Maimonem scientiarum doctorumque hominum fuisse studiosum*; multos etiam libros eius aetate ex Graeco sermone in Arabicum conuersos esse. De Mutetzan Chalipha, Maimonis successore, tradit idem Zacutus, fuisse illum summum medicorum amatorem. Quo tempore Chorasenae, AEgypto, & Syriae praefuit Abdalla, filius Taheri, filii Huseini: ad quem confluxisse viros doctos, quemue poëtas muneribus ditasse, refert (*m*) is, quem ante laudauimus, Elmacinus. Qui non multo post scribit,

32

 aetate

(*i*) *Lib. I. Hist. Sarac.*
(*k*) *Tomo III.* in Theophilo.
(*l*) *Canon. Isag. lib. II. p. 139.*
(*m*) *Hist. Sarac. lib. II. cap. 10.*

aetate Giafaris Abulfadli Mutewakkeli, primi & tricesimi Muslimorum regis, floruisse viros excellenter doctos atque eruditos. Vnde manifestum est, nono isthoc saeculo haud parum viguisse omnis generis doctrinam in Asiatico illo Saracenorum imperio.

XXXV.

Non autem illo tantum tempore in pretio habuit ASIA SARACENICA eruditionem, sed multis etiam secutis saeculis. Ex quibus Latino quoque orbi innotuerunt cum alii, tum hi inprimis: Abunasar Alpharabius Babylonius, & Abensina, quem Auicennam vulgo nuncupamus, Bochara oriundus, summus medicus, & Abunasar Giaphar, Balachensis, Astrologus Chorasena ortus, quem nostri Albumasarum appellant, atque Albategnius Muhamed, patria Araccensis, Mesopotamius, Ioannes etiam Mesue, Damascenus, & Haly Abas atque Isaac, medici sane doctissimi. Vt nunc alios taceam: qui ne nos lateant, effecerunt & Rasis *Continens*, & Serapionis Mesuaeque *practici*, qui appellantur, *libri*. Nec difficile est ostensu, nullum fere non Asiae angulum in Indos vsque Arabicam eruditionem occupasse: donec tertio decimo saeculo Turcarum Tatarorumque gentes, exciso Saracenorum imperio, tantum non omnia barbarie sua Scythica impleuerunt. Illis igitur quadringentis annis multas illustres scholas in omnibus celebrioribus Asiae vrbibus floruisse, non tantum coniectura licet assequi, sed haud obscuris potest monumentis comprobari, in illo magno etiam librorum defectu. Neque enim nobis nisi rari libri sunt ex Arabico conuersi: contra vero hodieque nobiliores Asiae vrbes bibliothecis vberrimis instructae sunt, adeo vt paucis abhinc annis Constantinopoli superfuerint (n) duae bibliothecae Arabicae, quarum singulae aestimatae centum ducatorum

(n) Vid. Tho. Erpenii *Oratio II. de lingua Arabica.*

torum millibus; vna item, quae non nisi quadringentis millibus ducatorum fuerit venalis.

XXXVI.

Verum quandoquidem de Asiaticis scholis, quem illae in modum fuerint constitutae, non possunt multa dici, satius fortasse fuerit in AFRICAM nos conuertere: quam & ipsam vna cum Hispaniae maxima parte longo tempore Saraceni tenuerunt. Annus Hegirae erat quasi CCLV. qui Christianus est DCCCLXXVII, cum facto schismate nouus Chalifatus in AEgypto enatus est. Ex eo tempore, incumbentibus eam in rem Chalifis illis, vt & post Saladini familia, imo ipsis etiam Mamaluccis, qui rerum ibi sunt potiti, floruerunt & viri eruditi multi in AEgypto, & scholae quoque publicae omnium artium. Etsi enim varias vicissitudines experta sit regio isthaec, tamen nec ipsi Mamalucci intermiserunt scholas magnifice in nobilioribus vrbibus exstruere. Tradit Ioannes (o) Leo Afer, Alexandriae multa studiosorum collegia esse. Iam ante quadringentos annos circiter Beniamin Tudelensis Iudaeus (p) narrauerat, visum sibi Alexandriae *extra urbem aedificium magnum & spatiosum, quod fuisse dicebatur Aristotelis gymnasium, Alexandri praeceptoris: in quo viginti fere scholae fuerint, a totius orbis hominibus frequentatae.* Quod indubie fuit vnum horum paulo ante memoratorum: Aristotelis enim fuisse, ridiculum est vel inepti erronis vel vulgi commentum. Testatur praeterea (q) Leo, etiam Alcairi multa admirandi operis collegia siue ἀκροατήρια passim reperiri: interque ea vnum a Sultano Gaurio exstructum, illo, quocum, a Selymo Turca deuicto, concidit in AEgypto Mamaluccorum imperium; in suburbio Betzuaila (r) item esse celebre collegium Hesen Sultani, concamerationum altitudine moeniumque vastitate adeo memorandum,

SVPPL. XX.

34

(o) *Lib. VIII. Hist. Afric.* (p) In *Itinerario.*
(q) *Lib. cit. p. 267.* (r) Ibid. *p. 268.*

randum, vt rebellionem Sultano intentantes ſe in eo contra vrbem communire auſi ſint, Sultanique arcem tormentis impetere; in ſuburbio (*s*) Beb Elloch videri collegium memorandi operis Mamalucci Iazbach, cuiusdam Sultani conſiliarii, a quo locus *Iazbachium aedificium* appelletur: Bulacum (*t*) poſtremo ſuburbium pulcherrimis ſtudioſorum collegiis refertum eſſe. Ex quibus ſane manifeſtum eſt, non minus egregie erga literas affectos fuiſſe ipſosmet Mamalucchos, ſeruili quamuis genere natos, quam olim nobilisſimos illos Ptolemaeos; imo maiorem forte his laudem deberi ob exſtructa tot regia aedificia; cum contra ab illis non niſi vnum legamus *μουσεῖον* literariae rei eſſe conſecratum. Caeterum quae facies harum ſcholarum fuerit, non poſſum dicere. Et nunc illas tantum non penitus frigere (*u*) conſtat, ex quo in Turcarum ditionem Mamluchorum imperium deuenit. Quare in AFRICAM PENITIOREM pergamus.

XXXVII.

Et ſane obſeruare eſt, vix alibi Saracenicae ſectae hominibus ſcholas aut plures fuiſſe aut celebriores. Etſi enim ad annum vsque milleſimum noſtrae aerae omnia videantur a ſeaculo vsque quinto poſt Vandalicos furores pene intermortua ibi fuiſſe, ſecuta tamen tempeſtate mirum in modum cuncta coeperunt refloreſcere. Loco quippe ſcriptorum Latinorum (quae neſcio cuius Caliphae rabies ſaeculo circiter nono, quo Muhamediſmus barbarie inducta ſecurius regnaret, incendio juſſerat (*x*) conſumere, vt pauca eorum Arabice verſa ſint, ſecus quam nonnulli perſuadere conantur,) omnis generis Arabici libri copioſe aut aliunde aduecti illuc ſunt, aut vero primum tunc conſcripti. Hactenus nimirum, ex quo Muhamedanum virus ibi diſſeminatum, Maurita-

(*s*) Ibidem. (*t*) Ibidem *p.* 269.
(*u*) Ibidem *p.* 272. (*x*) Vid. idem Leo *Lib. I. p.* 36.

Mauritaniam vtramque, Tingitanam ac Caeſarienſem, Africam item proprie dictam, quae hodie Barbaria dicitur, Cyrenen denique & Marmaricam, ſparſi Arabes, *Arabi Muſtehgeme*, quod eſt Arabes barbari, hinc ſuis (y) nuncupati, partim Chalipharum vel Bagdadenſium vel AEgyptiorum duces, partim alii duo ſchiſmatici Chaliphae, Caruanenſis ſcilicet in oriente, & Feſſanus in occidente, tenuerunt. Quibus omnibus equidem non inuenio magnam aliquam melioris doctrinae fuiſſe curam. Sed horum imperium excepit, imo deleuit gens Luntuniorum, Abul Taxifio circa annum Chriſti CIↃLI. auctore orta. In tantam enim potentiam breui familia illa creuit, vt imperio ſuo vtramque Mauritaniam, Barbariam item, adeoque & Tunetanum regnum, Baeticam denique integram, aliasque Hiſpaniae regiones, complexa ſit. Auxerunt idem imperium & late firmauerunt Almuachedini ſeu Almohadi Pontifices, qui deuictis Luntuniis rerum potiti ſunt (z) anno circiter Chriſtiano CIↃCXL, aula ſua Marocchi conſtituta. Quod licet, concidente & hac familia, ſaeculo ſequente tria noua regna pepererit, Feſſanum, Telenſinum & Tunetanum, ad noſtra fere vsque tempora tamen perductum eſt. Ab illa autem vsque Luntuniorum aetate, incredibile dictu, quantum ſcholarum in Africa ac Hiſpania ſit enatum. Non enim temere celebrior aliqua aut Africae aut Hiſpaniae vrbs ſub illis Mauris fuit, quin eadem nobiliſſimis fuerit ſcholis exornata: incumbente huc inprimis Iacobo Manſore, tertio Almuachedinorum ſectae Rege ac Pontifice, cui ad fortunae amplitudinem ſcientiarum etiam cognitio acceſſerat. Is autem eſt ille, cuius auſpiciis docuit in Marocchana Academia Auerroës, magnus ille Ariſtotelis commentator. Cuius ſcholae florentiſſimae hisce verbis meminit (a) Leo: „Habet & haec arx regia nobiliſſimum quoddam collegium, „cui

SVPPL. XXI.

36

SVPPL. XXII.

(y) Ibidem *p. 16.*
(z) Vid. Thuanus *lib. VII. Hiſt.*
(a) *Lib. II. p. 60.*

„triginta insunt aulae. Huius medio visendae amplitudi-
„nis quaedam est, in qua publice maximoque apparatu prae-
„legere solebant, dum adhuc apud illos literaria floreret
„respublica. Qui in hoc collegio recipiebantur, his victus
„dabatur atque vestitus. Professorum alius centum, alius
„ducentos quotannis pro lectionis qualitate aureos accipie-
„bat: neque quenquam praelectioni admittebant, qui non
„exactissime calleret, quae ad eam artem, quam profitebatur,
„pertinere putabant. Locus ornatissimus parietes habet
„opere vermiculato elegantissimos, eaque praesertim aula,
„in qua publice semper praelegere solent. Omnes porticus
37 „omnesque adeo conuexitates ex lapide depicto vitreoque
„compositi sunt: apud illos *Ezzulleia* dici solet, cuiusmodi
„adhuc apud Hispanos in vsu est. Huius structurae medio
„egregius limpidusque admodum est fons, cuius murus ex
„marmore candido atque elaborato. Audiui, frequentem
„quondam hic fuisse discipulorum numerum, verum meo
„tempore non plures quinque inueni. Praelectorem nunc
„habent stupidissimum atque ab omni humanitate alienissi-
„mum.„ Haec Leo de sua aetate. Vixit autem ante hos
centum amplius annos, captus a piratis, ac Leoni decimo
Pontifici in mancipium donatus, a quo manumissus vtrum-
que patroni nomen *Ioannis Leonis* consecutus est.

XXXVIII.

Non adducam nunc, quae idem tradit de aedibus scho-
lasticis aliarum per Africam vrbium, ne vos, Auditores,
nimis onerem hisce audiendis. Per enim ille multa affert:
certe plura, quam quis facile credat. Exornarunt enim A-
fricam splendidissimis Musarum aedificiis non tantum Al-
mohadi, quos ante laudaui, sed & Marini, Fessae reges, qui
Marocchanum Almohadorum imperium deleuerunt saecu-
lo tertio decimo: imo non illi tantum, sed & ipsi Tunetani
ac Telensini reges. Non possum vero a me, vtut festinem,
impetrare, quin ex Leone recitem saltim illa, quae de FES-

SANAE

SANAE scholae aedificiis & statu prolixe satis (*b*) commemorat.
„Sunt, *inquit*, in hac vrbe duo celeberrima collegia, multis ae-
„dificiis multoque opere musiuo elegantissima: horum omnes
„trabes incisae, parietes tum marmorei, tum cretacei. Sunt,
„quae centum habent museolos; sunt, quae plures; sunt,
„quae pauciores. Omnia autem a diuersis regibus, qui ex
„Marinis oriundi erant, condita sunt. Atque horum quod-
„dam est amplitudine & elegantia admirandum visuque di-
„gnissimum, quod a quodam rege conditum est, quem illi
„Habu Henon vocabant. Hic egregium quendam fontem
„reperias marmoreum, cuius vas duas cupas continet. Prae-
„terfluit quoque in hoc collegio riuulus intra canalem niti-
„dum atque elegantissimum, cuius margines marmore &
„maiorica sunt elegantissime constructi. Tria item
„hic visuntur deambulacra tecta, miro artificio atque labore
„ornatissima, quae columnis quibusdam innituntur octogo-
„nalibus variis coloribus distinctis. Ab vna autem colu-
„mna ad aliam arcus videas labore musiuo, auro atque cae-
„ruleo colore conspicuos, tectum autem ligneum est miro
„artificio incisum. Porticus cancellis elegantissimis sunt se-
„creti, adeo vt, qui foris sunt, illos videre nequeant, qui intus
„deambulant. Murus vndique, quantum manu contingere
„licet, opere cretaceo, quod *maiorica* vocant, depictus est.
„Reperias multis in locis carmina quaedam, quae annum in-
„dicant, quo exstructum fuit collegium, item & permulta in
„conditoris laudem conscripta epigrammata. Sunt & chara-
„cteres magni admodum nigro colore obducti, qui a longe
„optime leguntur. Portae collegii istius aereae multo artifi-
„cio ornatissimae, cubiculorum vero ianuae ligneae miro
„item artificio incisae. Aula, quae orationibus est dicata,
„suggestum habet, ad quem nouem gradibus ebore & hebe-
„no constructis adscenditur. Absoluto collegio, dicunt non-
„nulli, Regem, quantum pecuniarum in eo exstruendo con-
F 2 „sum-

(*b*) *Lib. III. p. 110.*

38

„ ſumſiſſet, ſcire voluiſſe, moxque folio vno aut altero per-
„ luſtrato, quadraginta millium aureorum ſummam repe-
„ riſſe quare omnino lacerum librum in eum fluuiolum
„ coniecit, hoc addens ex cuiusdam Arabis ſcriptis dictum:
„ Quicquid carum, quamuis carum, ſi pulchrum, carum non
„ eſt: neque nimio conſtitiſſe dicendum, quod animo arridet.
„ Fuit tamen Regi quidam a theſauris, qui ſumtum accura-
„ tiſſime annotauit, atque in egregium hoc opus quadringen-
„ ta & octoginta aureorum millia inſumta, collegit. Reli-
„ qua Feſſae collegia cum hoc aliquam habent ſimilitudinem:
„ habetque quodlibet ſuos profeſſores, quorum quidam ante
„ meridiem, alii horis pomeridianis praelegunt: his autem
„ optime a conditoribus prouiſum eſt. Olim, qui hic literis
„ incumbebant, toto ſeptennio veſtitus atque victus dabatur:
„ at nunc illis nihil praeter cubiculum obtingit gratis. Bel-
„ lum enim Sahidicum multas deleuit poſſeſſiones, quarum
„ emolumentis alebantur ſtudia: nunc autem ducenti huic
„ collegio, illi vero centum vix aurei in annum redeunt; qui
„ profeſſoribus enumerantur. Haec fortaſſe inter alias per-
„ multas vna ratio eſt, cur tam minutum ſit non Feſſanum
„ imperium modo, verum & totius Africae ciuitatum. Iam
„ nullos habent haec collegia praeter exteros quosdam ſcho-
„ laſticos, qui ciuium victitant eleemoſynis: &, ſi quis e
„ ciuibus inhabitet, numerum duorum vel trium non tran-
„ ſcendunt. Profeſſore lectioni parato, ex auditoribus quis-
„ quam textum praelegit, cui poſtea praelector commen-
„ tum addit atque locorum obſcuriorum interpretationem
„ aliquam. Solent & interdum praeſente praelectore diſci-
„ puli inter ſe de lectionibus certare.„ Haec omnia Leo,
qui alibi paſſim, in ſchola illa Feſſana etiam ſeſe edoctum,
profitetur. Neque vero vel tum deſiiſſe ibi omnigena ſtu-
dia audiuimus: vt, nec alibi illa tum interiiſſe, idem
teſtatur.

39

XXXIX.

XXXIX.

Quantum apparet tamen, fuerunt illa occupata cumprimis in ſuae religionis & ſuarum legum diſciplina. Eoque idem diſerte (c) ſcribit: *Qui in Barbaria* (haec autem eſt quatuor Africae partium nobiliſſima,) *ac in maris mediterranei tractu habitant Arabes, maxime trahuntur ad ſcientiae ſtudium atque cupiditatem: habentque apud illos locum principem ea, quae ad illorum fidem atque religionem ſpectant. Fuerunt olim & Mathematicarum diſciplinarum, philoſophiae atque Aſtrologiae, ſtudioſiſſimi; ſed abhinc annis fere quadringentis ea ſtudia ab illorum principibus atque fidei profeſſoribus e medio fuerunt ſublata.* De Numidis idem ait, eruditione quidem ab his vinci Arabes χοινίτας, *phyſicae tamen & philoſophiae nullam aut paruam habere notitiam.* Eosdem (d) *omnes rerum omnium naturalium, domeſticarum, & politicarum imperitiſſimos* pronuntiat: vt Lybiae incolas *literarum bonarumque artium negligentiſſimos.* Neque vero ab eo tempore melior videtur reddita ſcholarum illius Africae facies: vtut etiamnum ibi bibliothecae librorum veterum ampliſſimae (e) reperiantur. Quicquid autem ſit, vel ex his tamen compertum eſt, primo ingentes ſumtus publicos factos ab Africae regibus in ſcholaſtica aedificia, adeoque hac parte longe illos ſuperaſſe non tantum veteres Graecos, ſed & ipſos Caeſares Romanos: deinde profeſſoribus ſalaria atque victum ac amictum ex publico ſatis liberaliter eſſe conceſſa. Ergo, & noſtris ſcholis fuiſſe illas Africae ſimiliores, nullum dubium. Imo veroſimile eſt, noſtras ex illarum inſtitutis atque moribus permultum accepiſſe. Verum quae ratio docendi, quae coërcendi petulantem iuuentutem fuerit ibi obſeruata, non legimus. Illud tamen vel ex vno Leone eſt notum, olim quidem Marocchi ac Feſſae, imo alibi per

40]

SVPPL. XXIII.

 Afri-

(c) Lib. I. p. 33. (d) Ibidem p. 36.
(e) Vid. Erpenii Oratio II. de lingua Arabica p. 64. & 65.

Africam paſſim, & Artem medicâm, & Muhammedanae religionis dogmata, & vniuerſam Philoſophiam, & Poëticen, publice magno conatu doceri ſolita. Quin liquet, Iuris diſciplinam ſummo fuiſſe ſtudio cultam, non Romani quidem, (nec enim illud Afris cognitum,) ſed naturalis & ciuilis illius Africani, ex naturalibus nempe & poſitiuis gentium ac Muhammedis aliisque conflati. Etſi igitur omni ex parte noſtris ſcholis illae haud fortaſſe ſimiles fuerint, nullum tamen eſt dubium, omnium fuiſſe ſimillimas.

XL.

Caeterum de Saracenicis etiam ſcholis ſatis fortaſſe pro ratione inſtituti eſt dictum. Tempus monet, vt tandem aliquando & de iis, quas ab illo, quem ſupra memorauimus, interitu recepit CHRISTIANVS ORBIS, ſermonem ſaltim paucis faciamus. Vereor tamen, ne tam diu haeſerim in ſuperioribus, vt, ſi pari prolixitate ſitis detinendi in iis, quae ſuperſunt, taedium vos capiat mei audiendi, & ego in vos, Auditores, ſim iniurius. Neque enim poſſum diſſimulare, iuſto diutius in illis ab aeuo & loco noſtro remotioribus me verſatum. Exiſtimaui tamen, operae me aliquod pretium facturum, ſi iſtaec accuratius nonnihil recenſeam: partim, quod perpauca de iis memorari vulgo ſoleant vetuſtatis praetextu; partim autem, quoniam ea, quae ſolent vulgo memorari, parum cum vero conuenire ſemper mihi ſint viſa. Sed quoniam mea prolixitate tempus illud, quod diſtinctius narrandis noſtrarum ſcholarum rebus eſſet impendendum, mihi praeripuerim, agite, Auditores, ſaltim liceat mihi illas nunc quidem quaſi per ſaturam vobis exhibere, in commodius ac vacuum tempus vberiore narratione reiecta.

41

XLI.

Igitur ſaeculum agebatur poſt natum Saluatorem mundi nonum, quando poſtliminio literarum ſtudia, ſimulque

cum illis ſcholae publicae, in Europam, adeoque in Chriſtianum orbem, reuerti coepere. Plane ſcilicet eo tempore, quo ante diximus inter Saracenos fuiſſe excitatam ſapientiae facem, ſimul & Conſtantinopoli & in Gallia, curantibus illic quidem Barda Caeſare & Photio Patriarcha, dum rerum potiretur Michaël, Theophili filius, princeps ignauus; hic ipſo Carolo Magno Imperatore ſatagente, in lucem iterum hactenus aliquot ſaeculis contemta atque abiecta eruditio nonnihil producta eſt. Quo apparet, Deum Opt. Max. tandem tum miſertum fuiſſe humani generis, ac barbariem, in qua omnis plane orbis cubabat, vbiuis pene terrarum vno quaſi momento voluiſſe hominum animis detergere.

XLII.

42

Quemadmodum res illa geſta ſit CONSTANTINOPOLI, narrabimus verbis Ioannis (f) Zonarae, prout tamen illum Latine loquentem fecit Hieronymus Wolfius. „Nihil Bardas fecit boni, niſi quod eruditionis prouehendae „magnum ſtudium habuit. Nam Philoſophia neglecta iacebat, ac prope omnino extincta erat, vt ne ſcintilla quidem eius ſupereſſet. In cauſa fuerat Imperatorum inſcitia. Sed hic cuique diſciplinae ſcholas conſtituit, & doctores deſignauit, ac ſingulis publica ſtipendia decreuit, & „omnibus magnum & communem doctorem praefecit, Leonem Philoſophum, cuius doctrinae inclyta fama erat, etiam ab imperatore Theophilo honoratum, hac „occaſione. Cum multos haberet diſcipulos, accidit, vt „eorum quidam accurate in Geometria eruditus, dum in „Oriente peregrinatur, a Saracenis captus, cuidam inter „Barbaros illuſtri in ſeruitutem traderetur. Agarenorum „porro Princeps theoremata & philoſophica ſtudioſe audiebat: tamen & geometricis methodis erat deditus. Cum autem

tem

(f) *Tomo III. in Michaële.* Plenius haec narrat Cedrenus.

„tem captiui herus auditorium frequentaret, aliquando &
„ipſe eum comitatus, auditis doctoribus, qui figuras geo-
„metricas delinearant, &, triangulum omnis figurae princi-
„pium eſſe, docebant, omnesque figuras ex eo & oriri & in
„idem reſolui, & circulum omnium figurarum, quae am-
„bitu aequali contineantur, eſſe capaciſſimum, & eius ge-
„neris alia; rogauit dominum, an liceret magiſtros de iis,
„quae docerent, percontari. Quod cum ille permiſiſſet,
„petiit, rationes eorum, quae docuiſſent, ſibi declarari.
„Verum illis, quod reſponderent, non habentibus, Aga-
„renorum Princeps captiuo accerſito, Num ipſe id poſſet,
„interrogauit. Eum, ſe ſcire, affirmantem, afferri in me-
„dium iuſſit. Captiuus igitur ab initio declarat ſingula, ra-
„tionibus adductis & cauſis expoſitis. Auditores verbis
„eius intellectis, theoremata acutius perſpexerunt, quaſi
„dilatatis ingeniis, virumque admirati rogarunt, an Con-
„ſtantinopolis alios ſimiles haberet. At ille: Multos, in-
„quit, me praeſtantiores habet, ſed vnum magiſtrum omni-
„um, virum in philoſophicis rationibus incomparabilem.
„His auditis Agarenorum Princeps, amore illius magiſtri
43 „captus, eum & videre & audire deſiderauit, ac literas, qui-
„bus hortabatur, ut ad ſe veniret, ſuamque ſapientiam ſibi
„communicaret, captiuo, liberaliter & benigne tractato,
„ad illum perferendas tradit. At Leo veritus, ne in cri-
„men veniret ob miſſas ab hoſte literas, epiſtolam Dromi
„Logothetae tradit, captiuo etiam adducto, qui argumen-
„tum eius exponeret. Ex hoc Theophilo innotuit, & be-
„neficiis affectus publice docere iuſſus eſt: poſt etiam Thes-
„ſalonicae Pontifex deſignatus. Verum Theophilo mor-
„tuo, inter caeteros Iconomachos pontifices & ipſe ob ho-
„norem ſacris imaginibus non delatum eſt ea dignitate pri-
SVPPL. „uatus. Hunc igitur Bardas cum otium agentem inuenis-
XXIV. „ſet, caeteris magiſtris praepoſuit: itaque effecit, vt lite-
„rae refloreſcerent, exiguoque tempore incrementa cape-
rent.

„rent. Idem etiam leges ciuiles, quarum cognitio iam „pene omnino obſoleuerat, reuocauit, cum ipſe iudicia fre-„quentaret.„ Hactenus Zonaras. Adeo feliciter autem ceſſit haec ſcholae reſtitutio, vt non niſi cum Imperio ipſo defecerit. Eoque nunquam ex eo defuerunt Conſtantinopoli viri literarum omnis generis cultu praeſtantes. Imo ex Latino orbe illuc ſtudiorum gratia nonnulli commigraverunt: ceu de ſemetipſo teſtatur Petrus Aponenſis, Philoſophiae & Medicinae peritia nemini ſuo aeuo ſecundus. De illa recenter a Turcis occupata in haec verba ſcripſit Aeneas (g) Syluius: *Manſerat Conſtantinopolis ad noſtrum vsque tempus vetuſtae ſapientiae monumentum, literarum domicilium, & arx philoſophiae. Nemo Latinorum ſatis doctus haberi poterat, niſi Conſtantinopoli aliquandiu in literis vixiſſet. Quod florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenae, id noſtra tempeſtate Conſtantinopolis obtinebat. Inde multa veterum ſapientum volumina nobis reddita, multa quoque in futurum reddenda ſperabamus.* Haec Syluius: cui fidem derogare haud licet, etſi id de Latinorum frequentibus illuc peregrinationibus minus ſit veroſimile. Conſtat ſane, 44 iſtam ſcholam praeclara illa doctrinae lumina, Argyropylos, inquam, Chryſoloras, Beſſariones, Gazas, Trapezuntios, Plethones, alios, quibus Graecam diſciplinam Latinus orbis debet, circa ipſum excidium ſuum protuliſſe.

XLIII.

Sed non licet huic narrationi immorari. Addendum paucis aliquid eſt de OCCIDENTALIVM SCHOLARVM noua origine. Atque huius quidem primum initium factum eſt Lutetiae PARISIORVM auſpiciis Caroli, cui ſi vlli alii, virtus, pietas ac res geſtae *Magni* cognomentum merito indiderunt. Ille enim cum alunde, tum ex Angliae monaſteriis accitis, quos illa aetas habebat, doctioribus,

G ex

(g) *Epiſt.* 162.

ex consilio magistri sui, Albini Alcuini, publicum literarum forum suis impensis instituit. Steterunt tamen initia illa intra rudem aliquam liberalium, quas vocant, artium professionem: quod & captus eius temporis non esset maior, & sacra studia, quantum videtur, maluerit Imperator Episcopis demandare: quomodo &, ludos pueriles habere, omnibus item Episcopalibus collegiis iniunxit. Certe Theologica professio, etsi illa nihil aliquot saeculis fuerit floridius, sub Capetanis demum regibus accessit, vt nec ipse Ioannes (*h*) Filesacus, Doctor Sorbonicus, diffitetur. Scilicet tum demum, alia potius curantibus Episcopis, quam quae erant sui muneris, visum ex re Ecclesiae fuit, Theologicam professionem literariae adiungere. Manet hodieque memoria eius rei. Nam & hodie suprema scholae istius Parisiensis praefectura (nos Rectoratum appellamus,) solis iis, qui Facultatis sunt Philosophicae, (liceat nunc receptis vti vocabulis,) conceditur. Sola etiam illa Facultas suum habet Cancellarium, & quidem ex Camera (vti loquuntur,) Apostolica S. Genouefae: cum contra tribus aliis Facultatibus vnus sit Cancellarius, Episcopus Parisiensis. Sed illa post acciderunt.

45

XLIV.

Sicut autem initio saeculi istius noni coepit Parisiensis schola, ita sub eius finem ab Alfredo, Anglorum Rege, in Britannia etiam excitatus est doctrinae publicus mercatus OXONIAE per S. Neotum Monachum. Memorat Arnoldus (*i*) Wion, factum id anno DCCCXC. atque initio statim tria fuisse exstructa collegia, Grammaticis vnum, Philosophis alterum, & tertium Theologis. Id verum sit nec ne, haud facile dixerim. Certe non potuit illud gaudium esse diuturnum ob subsecutas statim ingentes illius regni ca-

(*h*) *Lib. de Statut. Facult. Theol. Paris. origine.*

(*i*) Vid. Arnoldus Wion in *Ligno vitae lib. V. cap.* 25.

calamitates ab Danorum & Normannorum incurſionibus, & inprimis Haraldi regis immanitate. Vtraque hac antiquiorem ſe iactat CANTABRIGIENSIS ſchola in eadem Britannia; ſed itidem incerta fide. Quin imo (*k*) conſtat, Henrico I. demum Rege quatuor monachos conducto publico horreo, in Aurelianenſis Academiae aemulationem, Grammatica, Dialectica, Rhetorica profeſſos, vno illorum verba ad populum de religione in templo dominicis diebus faciente: neque ante Eduardum I. iſtam ſcholam faciem Vniuerſitatis (vt loqui mos eſt,) accepiſſe.

XLV.

Quicquid horum ſit, certe cis Oceanum Occidentalis orbis nullam pene habuit ſcholam publicam vsque ad ſaeculum XI. praeter vnam Pariſienſem. Illa vero tum temporis iam florebat non ſolis amplius Facultatis Philoſophicae, verum etiam Theologicae clariſſimis Profeſſoribus. Vixerunt enim ea aetate atque in Pariſienſi ſchola docuerunt Anſelmus Laudunenſis, Guilielmus Campellenſis, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, & Petrus Lombardus, nobilis ille *ſententiarum magiſter*. Confluxerunt etiam illuc ex omni terra iuuenes innumeri ſtudiorum gratia. Eodem autem ſaeculo & Ius Romanum BONONIAE in Italia doceri publice coepit, ſumtibus & cura reipublicae illius, per Irnerium. Quin eodem tempore SALERNI in Picentibus ſchola Medica publica per Rogerium regem inſtituta eſt: iam licet ab antiquo florentibus rebus medicis in vicino monaſterio Caſſinenſi. Exeunte illo ſaeculo anno 1196. a Philippo Auguſto, Galliae Rege, idem Ius Romanum doceri publice eſt inſtitutum MONPESSVLI. At ſaeculo decimo tertio, condito nouo Iure Pontificio, ſtatim ſub initium diſciplina Iuris illius in Bononienſem, Pariſienſem ac Monpeſſulanam, imo & Oxonienſem Angliae,

(*k*) Vid. idem Wion loco citato.

46

quae ſolae tum erant ſcholae publicae, auctoritate Pontificum Regumque introducta eſt. Videtur plane eodem tempore easdem ſcholas intraſſe & Medicae artis profeſſio publica: vt iam ſcholae illae non vno literarum genere, ſed omnigena doctrina perſonarint. Nec tamen vel Bononiae tum Theologiam quis docuit, vel Pariſiis prudentiam Romani Iuris. Namque illud quidem Innocentio VI. Pontifice primum coepit anno ſaeculi quarti decimi 62; hoc vero vix ante centum annos, quoniam id olim prohibuiſſet Innocentius IV. Quo factum, vt iſta quidem tempeſtate vtriusque Iuris profeſſio Bononiae, Theologiae & Medicinae Pariſiis, maxime floruerint. Acceſſit eodem tempore in parem gloriam Bononienſis ſcholae aemula PATAVINA, a Friderico II. Caeſare inſtituta. Quinimo & PERVSII circa annum 1290. Ius vtrumque coeptum eſt doceri.

XLVI.

Saeculo decimo quarto in maiorem numerum excreuerunt ſcholae illae publicae, quaeque iam omnia noſtrum in morem docerent. Nam & in Galliis inſtitutae Aurelianenſis, Andegauenſis, Lugdunenſis, & Toloſana: & in Italia Ferrarienſis ac Genuenſis. Quin illo ſaeculo & in Poloniam a Caſimiro Rege inducta eſt ſchola publica Cracouienſis. Imo & Germania noſtra coepit non amplius extra hanc laudem eſſe. Namque primo per Carolum IV. Caeſarem PRAGAE Bohemorum, mox & per Rupertum Palatinum HEIDELBERGAE illuſtres ſcholae conditae ſunt. Iacta tum & fundamenta VIENNENSIS Academiae per fratres Archiduces: ampliſſimis vero etiam priuilegiis exornatae ſunt ERPHORDIENSIS ac COLONIENSIS. Semel autem illecti laudis hac adorea Principes Germanici, ſequente ſaeculo decimo quinto longe plurimas alias his addiderunt. Ita Herbipolenſis a Ioanne Epiſcopo anno eius ſaeculi tertio, Lipſienſis a Friderico primo Electore anno IX, Roſtochien-

47

ſis

ſis a Ducibus Mechlenburgenſibus & Senatu oppidano anno decimo quinto, Baſilienſis item a Senatu oppidano & Epiſcopo anno quinquageſimo nono, Gryphiswaldenſis a Vratislau, Duce Pomeraniae, anno quinquageſimo ſexto, Friburgenſis ab Alberto Auſtriaco anno 60, Ingolſtadienſis a Ludouico, Bauariae Duce, anno ſeptuageſimo ſecundo, Tybingenſis ab Eberhardo Wirtenbergico anno ſeptuageſimo ſeptimo, Moguntina denique a Dithero Archiepiscopo anno octogeſimo ſecundo, inſtitutae ſunt.

XLVII.

Quanquam vero iam tum numero ſcholarum omnes reliquas partes Europae vinceret Germania, nec ſic tamen deſiderium earum expletum eſt. Quapropter ſaeculo ſequente prioribus acceſſerunt Wittebergenſis anno tertio, Francofordienſis anno ſexto, Marpurgenſis anno vigeſimo ſexto, Regiomontana in Pruſſis anno quadrageſimo quarto, Ienenſis anno quadrageſimo octauo, Argentinenſis anno ſexageſimo ſeptimo, Altorfina anno ſeptuageſimo quinto, Lugdunenſis in Batauis eodem anno, & denique anno ſeptuageſimo ſexto noſtra haec Iulia, ſororibus ſuis vt aetate inferior, ita literarum gloria ſi non maior, certe ſuppar. Noſtra memoria nata eſt & Rinthelienſis, & in Belgis vna atque altera. Sic longi temporis barbariem compenſauit intra ducentos annos Germania.

48

XLVIII.

Serius ſcholarum inſtitutio coepit etiam in Hiſpania: pleraeque enim eius regni ſcholae erectae demum ſuperiore ſaeculo: & quae olim quidem inſtituta fuerat Salmanticenſis, illa primam lucem fere a Franciſco Victoria accepit, vt ipſimet Hiſpani (*l*) non diffitentur. Dania quoque anno 1539.

(*l*) Vide late differentem Dominicum Bannez in *Secundam Secundae* Thomae *Quaeſt. I. Artic. VII.*

SVPPL. XXV.

1539. demum ſcholam publicam ſuam Chriſtierno Rege florentem vidit. Vpſalienſis Suecorum ſchola origine quidem nonnihil antiquior eſt, vt quae coeperit Sixto IV. Pontifice anno 1476: inter rudimenta tamen haeſit & illa pene ad haec vsque tempora, quando eam regio beneficio Guſtavus Adolphus, regum maximus, locupletauit. Non multum melior fuit Scotiae fortuna, etſi illa non vnam Academiam inſtituerit. Polonia vero nec ipſa fauentiorem fortunam experta eſt Cracouiae. Verum non licet hisce narrandis immorari.

XLIX.

Haec itaque (vt tandem deſinam,) eſt origo ſcholarum noſtrarum, Auditores. Ita paulatim in hunc ſtatum deventum eſt. Non morabor autem vos amplius, poſtquam breuiter iſthaec recenſuimus. Voto tamen finienda oratio fuerit. Deus, bonorum omnium factor & dator, qui cum vnigenito Filio & S. Spiritu trinus, ſapientia vero, bonitate, voluntate atque omnipotentia vnus es & indiuiſus, qui omnem doctrinam omnemque ſcientiam, abs qua ſi eſſet, nec homines eſſemus, humanis mentibus inſeuiſti; qui docentium diſcentiumque ordines, quibus vita ipſa nititur, & inſtituiſti & ſpiritu tuo ſemper gubernas: Te ego, Deus, publica voce oro hodie & obteſtor, vt, quamdiu homines vis hoc in mundo viuere, tamdiu inter eosdem ſapientiae & doctrinae ſtudia tuearis ac conſerues. Redde, Pater, Germaniae noſtrae, quae, merentibus ita peccatis noſtris, diu illi bona denegaſti, ac recluſo tandem aliquando in vaginam infeſto irae tuae gladio, pacis illam ſtricturam, qua nunc laetamur, in maiorem lucem extende, ſimulque tanto muneri adde diuturnitatem. Effice, vt, ſopitis religionum diſſidiis, extinctis ſectarum monſtris, abolitis ciuilibus odiis, remoto tyrannidis metu, & frenata improborum licentia, pax in domo tua, in animis quies & fu-

49

co

co carens fides, securitas in republica, in omnibus mutuus amor reparetur. Serua Caesaream Maiestatem, Imperii illud caput, cuius auspiciis nostra haec Iulia est instituta. Serua Serenissimam familiam Brunsuicensium ac Lyneburgensium Ducum, eamque ab hostibus inter tot hostes defende, vt sub eorum tutela prisca fides, antiqui mores, & ius ac fas instaurari rursus queant ac vigere. Ad extremum, o Deus, nostram quoque hanc Iuliam, cui post tot damna & naufragia tabulas nonnihil colligere nunc concedis, respice clementiore oculo. Liceat nobis, qui in hoc scholastico ordine excubamus pro salute publica, aut tam sancto muneri se suaque inposterum dedicabunt, sub alis tuis tranquille degere, praeclaras pacis artes excolere, iuventutem ad rempublicam atque Ecclesiam educare, literasque, omnis boni fundamentum, promouere. Imple etiam spiritu tuo discentium animos, vt relictis mundi huius vanitatibus, damnata iuuentutis petulantia, tibi soli viuant, & ad tui nominis gloriam reipublicaeque emolumentum omne suum studium, omnem sumtum, omnes denique conatus vnice dirigant. Hoc te quaeso, Pater, obsecroque. 50

DISSERTATIO SECVNDA
RECITATA XXIV. OCT. CIↃ IↃ C XXXVII.

cum Procancellarii Academici munere fungerer.

In hac notatur naeuus earum ciuitatum, in quibus cuiuis licet facere medicinam, simulque laudantur eae, quae vetant quenquam exercere illam artem, nisi rite examinatum.

I.

Non possum non laudare consilium Medicae laureae Candidatorum, quos mihi hic sistis, *Spectabilis D. Deca-*

Decane, quod, etſi iamdudum notiſſima omnibus ſit illorum in noſtra arte peritia, tamen non quorundam ſciolorum aut potius tenebrionum more ſua priuata, ſed publica Academiae auctoritate artem malint facere. Enimuero cum multa alia ſunt hisce proximis aliquot ſaeculis in commune reip. commodum conceſſa ſcholis illis Regiis, quas Academias aut Vniuerſitates vſurpare conſuetudo eſt; tum illud profecto longe & vtiliſſime & praeclariſſime eſt conſtitutum, vt nemini liceat vel docere quicquam vel facere, quod maiorem ſapientiam requirit, quin de illius eruditione in ſcholis ab hominibus doctiſſimis publice latum ſit teſtimonium. Neque enim forte quicquam eſt, cuius obſeruatio aeque beare remp. poſſit, aut quo neglecto aeque ſalus publica periclitetur. Etenim illam demum beatam eſſe ciuitatem, nemo eſt, qui ignoret, cuius clauum moderantur ſoli ſapientes, nec attingere datur rerum imperitis. Hos vero quis dignoſcat, quis a vulgo ſeparet rectius, quam illi, qui in ſapientiae ac doctrinae profeſſione reliquis antecellunt, omnemque operam ac aedatem ſuam huic ipſe negotio impendunt? Sunt autem prorſus eius ordinis Profeſſores Academici. Quae autem ratio ſcientiarum eſt omnium, eadem ſeorſim, & quidem iure meritiſſimo, artis eſt medicae. Quanto enim nobilius eſt obiectum illud, circa quod ipſa verſatur, quantoque errores eius ſunt faciliores pariter ac cum maiori periculo coniuncti, tanto magis opus eſt, vti caueatur, ne ad artem faciendam admittantur, niſi qui id quod artis eſt, praeſtare norunt. Agitat ſcilicet vitam ipſam humanam medicus, conſeruans illam, ſi ſapit ac bonus eſt; tollens, ſi fuerit imperitus. Quo ſcelere vix aliud grauius eſt.

51

II.

Tantum vero cum interſit humani generis, ſolos artis peritos artem facere, merito ſane quis miretur, qui paucae adeo reſpublicae, in tam multis toto paſſim terrarum orbe, ſeriam

ſeriam atque eam, quam oportet adhiberi, eius rei curam habuerint. Enimuero apud AEgyptios (*a*) conſtat artem medicam inter ſacras diſciplinas habitam, adeoque nonniſi ſelectis ingeniis concreditam eſſe. Tradit etiam (*b*) Ariſtoteles, & repetit poſt illum Diodorus (*c*) Siculus, in AEgypto vsque adeo legibus adſtrictam fuiſſe medendi artem, vti ante quartum diem exhibito pharmaco purgare aegrotum non licuerit medico, niſi capitis periculo. Contra tamen plane apud Graecos obtinuit. Conqueritur de aetate ſua princeps artis noſtrae (*d*) Hippocrates, ὅτι ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δε πάγχυ βαιοὶ, *nomine multos eſſe medicos, reipſa perpaucos;* itaque artem medicam, cum ſit longe nobiliſſima, tamen propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam omnibus artibus multo inferiorem haberi. Huius autem rei ille cauſam non aliam coniecit eſſe, quam eam, quod ſoli arti medicae nulla in vrbibus praeterquam ἀδοξίας (quod *infamiam* nonnulli vertunt Latine, cum fortaſſis nihil hic ſignificet, quam aliquam exiſtimationis iacturam,) poena poſita ſit: quae videlicet minime tangat homines frontis iam tum perfrictae. Ipſemet tamen Hippocrates, quo huic incommodo mederetur, quemadmodum non minus optimus artis doctor fuit, quam optimus factor, neminem ad diſcendam artem admiſit, niſi iuramento adſtrictum. Exſtat hodieque illud inſigne vetuſtatis (*e*) monumentum, quo dubites ſanctiusne quid aut doctius aut prudentius excogitari poſſit. Videbat ſcilicet vir ſummus, ita fere vbivis comparatum eſſe, quod (*f*) Plinius ait, *vt in hac arte ſola eueniat, vt cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur,* cum

52

SVPPL. XXVI.

H

(*a*) Vide notata mihi in libro de *Herm. Medic. cap. 9.*
(*b*) *Lib. III. Polit. cap. 11.*
(*c*) *Lib. I. cap. 28.*
(*d*) In Νόμῳ.
(*e*) Hippocratis Ὅρκος.
(*f*) *Lib. XXIX. cap. 1.*

cum sit periculum in nullo mendacio maius: itaque id maxime accurandum prudentissime duxit, vti malis omnibus atque ineptis occasio praeripiatur, in medicum nomen inuolandi, & quaestum ex mortibus hominum faciendi. Id vero rectius fieri nequit, quam si paucissimi, & illi quidem boni atque εὐφυεῖς seu ab ingenio instructi, ad artis auditiones admittantur: prorsus scilicet vt in sacris fieri amat, quae non patent nisi iam initiatis. Nempe (vt verbis vtar ipsius (g) Hippocratis,) τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δ' οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσι ὀργίοισιν τῆς ἐπιστήμης.

III.

Verum haec laus priuatim Hippocratis est, aut si quis alius Hippocratem in illo negotio prudenter est aemulatus: ipsae vero Graecorum respublicae nequaquam sibi hac parte cauerunt. Graeci mores autem Romanum etiam populum afflauerunt. Etsi enim ille primis sexcentis annis caruerit medendi arte, simul ac tamen illam a Graecis accepit, etiam vitia quoque Graecarum rerumpublicarum eum inuaserunt. Tragice isthac de re conqueritur passim C. Plinius, vt propemodum ipsimet arti conuicium dixisse queat 53 videri. *Nulla* (ait (h) ille,) *lex est, quae puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictae. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum, hominem occidisse, impunitas summa est. Quinimo transit conuicium, & intemperantia culpatur, vltroque, qui periere, arguuntur. Sed decuriae pro more censuris Principum examinantur: inquisitio per parietes agitur, &, qui de nummo iudicat, a Gadibus columnisque Herculis accersitur: de exilio vero, nonnisi die quadragesimo quinque electis viris datur tabula. At de iudice ipso quales in consilium eunt? Statim occisuri.* Ex quibus videre est, pessime tum quidem apud Romanos rem fuisse

(g) In Νόμῳ.

(h) *Lib. XXVII. cap. I.*

fuiſſe medicam conſtitutam; vt quam ſine diſcrimine cuiuis, medicum ſe profeſſo, ſine vlla praeuia cenſura, ſine vllo etiam examine operum artis ſubſequente, exercere licuerit.

IV.

Neque vero illud vel ſequentibus temporibus videtur emendatum legibus fuiſſe. Sane conſtat, Archiatrorum, hoc eſt, eorum, qui valetudinem Caeſarum curabant, (quorum aliqui reapſe id praeſtabant, aliis titulus hic pro dignitate erat:) collegio, inquam, illi fuiſſe ſua examina eorum, qui erant cooptandi, praeterea ſummum praefectum (ipſi Comitem nominabant,) fuiſſe datum, atque adeo quaſi iudicem aliquem ſummum. At apud alios medicos idem obtinuiſſe, non reperio. Vt in collegium illud illuſtre Archiatrorum nonniſi facto per archiatros examine nemo admitteretur, ante ſaeculi quarti poſtremos annos vix coepit, ex Valentiniani ſcilicet & Valentis Imperatorum inſtituto: quod alias (i) latius probabitur. Itaque illo quidem aeuo obſeruare eſt, ampliſſimas quidem dignitates medicis conceſſas: legem, quae bonos a malis diſtingueret, aut quae puniret inſcitiam capitalem, non temere eſt reperire.

SVPPL. XXVII.

V.

Similiter Romano Imperio collapſo primi quidem Arabes artem hanc excoluerunt: caeterum ipſine rectius ſibi cauerint, quam Graeci ac poſt Romani, non habeo dicere. Certe hodie per Aſiam omnem & Africam, imo vbicunque Arabum ſacra in pretio ſunt, longe infra Chriſtiani orbis noſtri conditionem ars iſthaec depreſſa eſt.

54

VI.

Saeculo vndecimo in Occidentali quoque hoc orbe coepit

H 2

(i) Vid. infra *Diſſ. IV.*

pit ars medica, Salerni cumprimis, reflorefcere, Conftantino potiffimum Africano auctore, certe adiutore. Eam tempeftatem fubfecutus ftatim Rogerius primus, Siciliae vtriusque (vt loquuntur,) Rex & Salerni Princeps, cum multas leges fanxiffet, octauam decimam (*k*) tulit *de probabili experientia medicorum:* qua cauetur, ne quis medicinam exerceat, nifi prius a magiftratibus & iudicibus probatus; vtque fecus faciens bonis omnibus fpoliatus in carcerem compingatur. *Hoc enim profpectum eft*, ait Rex, *ne in Regno noftro fubiecti periclitentur ex imperitia medicorum.* Caeterum haec lex affinior eft conftitutioni Caefarum antiquorum de Archiatris. Non multo poft, vt quidam opinantur, Fridericus I. Ahenobarbus, Imperator nofter, occupato regno Neapolitano eandem legem ibi non confirmauit tantum, fed & ampliauit. Ne quid tamen diffimulem, videtur hoc non ab illo Friderico, fed demum ab huius nepote Friderico II. profectum effe. Superat in Legibus Neapolitanis (*l*) antiquis, quas poft alios edidit Fridericus Lindenbrogius, vir doctiffimus, conftitutio illius prudentiffimi pariter ac fortiffimi Germanicorum Caefarum, quae fit huius argumenti, non vna; interque eas vna, qua prohibetur, ne quis ad faciendam medicinam admittatur, nifi a medicis collegii Salernitani aut Neapolitani probatus & poteftatem medendi fit confecutus, quam licentiam vocant, fub poena annui carceris & omnium bonorum confiscationis. Fortaffis licebit ipfiusmet Caefaris verba quaedam ex legibus illis adducere in medium. *Attendentes*, inquit, *graue difpendium & irrecuperabile damnum, quod poffet contingere ex imperitia medicorum, iubemus, inpofterum nullum medici titulum praetendentem audere practicare aliter vel mederi, nifi Salerni primitus & in conuentu publico magiftrorum iudicio comprobatus, cum teftimonialibus literis de fide & fufficienti fcientia tam*

SVPPL. XXVIII.

55

(*k*) Vid. *Conftitutionum Sicularum Friderici II. lib. III. tit. 34.*

(*l*) *Leg. Sicul. loc. cit.*

tam magiſtrorum, quam ordinatorum noſtrorum, ad praeſentiam noſtram, vel nobis a regno abſentibus, ad illius praeſentiam, qui vice noſtra in regno remanſerit, ordinatus accedat, & a nobis vel ab eo medendi licentiam conſequatur; poena publicationis bonorum & annalis carceris imminente his, qui contra huiusmodi Serenitatis edictum inpoſterum auſi fuerint practicare. Ejusdem verba ſunt: *Praeſenti etiam lege ſtatuimus, vt nullus in medicina & chirurgia, niſi apud Salernum, legat in Regno, nec Magiſtri nomen aſſumat, niſi diligenter examinatus in praeſentia noſtrorum officialium & magiſtrorum artis eiusdem. Ordinati vero,* (illi erant bini ſacramento adſtricti,) *quorum fidei praedicta ſunt commiſſa, ſi fraudem in credito ipſis officio commiſiſſe probetur, vltimo ſupplicio feriendos eſſe cenſemus.* Non poſſum quoque non recitare eiusdem Caeſaris legem de ſtudiis ipſius artis noſtrae: *Quia nunquam ſciri poteſt ſcientia medicinae, niſi de ſcientia Logicali praeſcribatur, ſtatuimus, quod nullus ſtudeat in medicinali ſcientia, niſi prius ſtudeat ad minus triennio in ſcientia Logicali, poſt triennium, ſi voluerit, ad ſtudium medicinae procedat,* (videtur addendum, *per quinquennium,*) *ita quod chirurgiam, quae eſt pars medicinae, intra praedictum tempus addiſcat. Poſt quod, & non ante, concedatur ſibi licentia practicandi, examinatione iuxta curiae formam praehabita, & nihilominus recepto pro eo, de praedicto tempore ſtudii, teſtimonio magiſtrali.* Item in eadem lege infra: *Nec tamen poſt completum quinquennium practicabit, niſi per annum integrum cum conſilio experti medici practicauerit. Magiſtri vero intra iſtud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis, quam Galeni, in ſcholis doceant tam in theorica, quam in practica medicina. Salubri etiam conſtitutione ſancimus, vt nullus chirurgicus ad practicam admittatur, niſi teſtimoniales literas offerat magiſtrorum in medicinali facultate legentium, quod per annum ſaltim in ea medicinae parte ſtuduerit, quae chirurgiae inſtruit facultatem, & praeſertim*

56

anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, & sit in ea parte medicinae perfectus, sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt, nec fracturae curari. Hactenus ille Caesarum Germanicorum eruditissimus.

VII.

Subsecutae autem statim sunt passim alibi scholae regiae: atque procul dubio hoc initio nata optima illa lex Academica, cuius initio meminimus. Quo paret profecto, nos hic sane iure gloriari posse prae Graecis ac Romanis: vtut illi leges suas iactent, multisque hodie etiam sit persuasum, illorum institutis nihil prudentius fingi posse aut exquisitius. Vtinam vero tam recte obseruaretur lex illa, quam illa recte constituta est! Nunc eorum, quorum auctoritate leges vnice consistunt, vitio ita fere comparatum est, vt parum absit, quin Plinii querelae in nostrum quoque aeuum congruant. Passim enim nullo doctore exculti, illotis, vt sic dicam, manibus, illotis pedibus, medicorum professione se induunt, carnificinam ampla mercede exercituri. Etiam audent hi male feriati Academicis institutis maledicere: quorum nempe sanctitate ipsi ab arte facienda procul arcentur: ostentantes interim sese arcanorum remediorum possessione, in crassissima faciendae artis imperitia. Et tamen huic hominum generi passim creditur: cum contra in quauis meliuscule constituta ciuitate nemini ephippiario, non cerdoni, non vilissimo cuique ministro atque artifici sordidissimo, artem suam liceat exercere, cuius ille specimen aliquod non ediderit primoribus in arte viris comprobatum. *In Montepessulano, antiquissimo & celeberrimo Artis nostrae emporio, si quis medicum se mentiatur,* (verba recito Ioannis (m) Libautii, medici Parisiensis clarissimi,) *mox rapitur in asinum strigosum, &c. si inuenitur, scabidum, tollitur sublimis, auersus tota vrbe circumducitur, ludibrio omnibus est, conspuitur, vapulat, laceratur, sordibus*

57

(m) *Praef. in* Hollerii *Comment. in Aphor.*

bus omnis generis conspurcatur, ceu olim sacra illa Massiliensium victima, postremo expiata vrbe eiicitur, illuc nunquam rediturus, nisi maximo suo malo. Vtinam vero & alibi passim idem fieret! Certe plures hodie viuerent, & inposterum pauciores morerentur.

VIII.

Sed quo prolabor? Id volebam. Cum reipublicae tam sit vtile institutum illud Academicum, neminem ad artem faciendam temere admittendi, nisi probatum a magistris & quasi architectis nostrae artis, non posse me non laudare hos, quos mihi sistis, Spectabilis D. Decane, candidatos, viros doctissimos: quippe qui non quorundam more nullo facto examine nulloque specimine in publicum edito ad artis opera voluerint accedere, sed sanctissime scholarum instituta obseruauerint. Est autem illud iamdudum ab iis factum magno omnium applausu. Quae enim exiguntur ab omnibus artem facturis, illa constat ita eos esse persecutos, vt nullius non publicam laudem impetrauerint. Accessit post & vsus artis insignis, nec minore cum laude, iam aliquot per annos: quo sese Principibus ac ciuitatibus multis probauerunt. Eapropter non est etiam, cur me, Spectabilis D. Decane, multis roges, vti facultatem tibi concedam, commeritis dudum honoribus hosce viros afficiendi, iis, inquam, quos solent Scholae nostrae exhibere omnibus, qui suam in arte nostra peritiam satis probauerunt. Quae enim omnia Hippocrates *(n)* noster requisiuit in eo, ὅστις (vt ipse loquitur,) μέλλει ἰητρικῆς ξύνεσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι, illa omnia abunde his viris esse, dudum perspectum habui. Neque enim aliqua illis dos ingenii deest: doctorum etiam optimorum praeceptis ceu optimo semine illum ingenii agrum conseuerunt. Vixerunt praeterea non vno loco studiis medicis dicato, in clarissimis nimirum Germaniae Academiis. Nec minus accurate a pueris vsque in-

stituti

5§

(n) In Νόμῳ.

ſtituti ſunt: ſicut nec φιλοπονίην quis vnquam in iis potuit deſiderare. Omnia ſane tempus haud paruum ad maturitatem perduxit. Tales vero cum iam dudum ſeſe probauerint, oſtenderintque iam tum ſeſe medicos μὴ λόγῳ μοῦνον ἀλλά καὶ ἔργῳ, (liceat mihi verbis Hippocraticis vti,) quis nolit illos honores atque illud nomen publica auctoritate iis deferre, quos iamdudum publico omnium conſenſu commeruerunt? Ego ſane tantum abſum, vt iis petentibus quicquam cenſeam denegandum, vt & vltro ipſis nec petentibus & hoc & longe plura offerri debere arbitrer.

IX.

Quando igitur Sereniſſimus & Reuerendiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Dei Gratia Dux Brunſuicenſis & Lyneburgenſis, Poſtulatus Coadiutor Epiſcopatus Ratzeburgenſis, Electus Praepoſitus Archiepiſcopatus Bremenſis, huiusque Academiae Iuliae pro tempore Rector ac Cancellarius magnificentiſſimus, Dominus noſter clementiſſimus, Procancellariatus munus me hodie voluit adminiſtrare, non morabor ego neque Tuum, Spectabilis D. Decane, neque, quos ſtitiſti, Candidatorum, virorum ſane doctiſſimorum, deſiderium. Pro numeris itaque mei, quo hodie fungor, auctoritate concedo tibi poteſtatem, hosce viros, D. N. N. N. vbi ſe ſolenni Facultatis Medicae iuramento obſtrinxerint, Doctores Artis medicae creandi, creatos renuntiandi, & omnibus priuilegiis, immunitatibus, indultis, beneficiis ac iuribus donandi, quibus ille ordo a ſummis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ac Principibus vnquam condecoratus fuit, aut quibus alias gaudere, vti, frui poteſt ac debet ſiue de iure ſiue de conſuetudine. Deum Opt. Max. oro obſecroque, vt iſthuc ipſum in nominis diuini gloriam, publicae rei emolumentum, ſimul etiam in Candidatorum vergat inſigne commodum.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA

HABITA XVI. OCT. ANNO CIϽ IϽ CXXXIIX.

cum Decanus Collegii Medici vni Candidato titulum Doctoris concederem.

In hac de ortu Academiarum agitur, nominatim Oxonienſis, Cantabrigienſis, Pariſienſis, Bononienſis, & Salernitanae.

Cuius rei gratia huc potiſſimum acceſſerimus, neminem ſane latet. Mihi vero etiam ſcio, praeter illud potiſſimum munus, incumbere ex conſuetudine Academiae huius & alterum, minoris quidem momenti & quaſi ſecundarium, aeque grauis tamen operae, nec minori diligentia peragendum. Scilicet antea quam hunc Candidatum noſtrum publicis honoribus inaugurem, ſermo aliquis mihi ex more habendus eſt quaſi in anteceſſum. Vtrumque agam, & breuibus quidem, quod hodie ſacra ex ſacris nobis naſcantur, quorum τελεταὶ quaelibet haud exiguum temporis ſpatium exigunt. Nec tamen vos morari, Auditores, longis aut ſermonibus aut ceremoniis fas eſt, multo minus fatigandi eſtis: vtpote cum aduentu veſtro atque illa veſtra frequentia Candidatum noſtrum ornare velitis. Sane gratias vobis deberi maximas, ipſimet fatemur: qui niſi fateremur, profecto eſſemus impii. Itaque ego quidem nemini moleſtiam creabo prolixo quodam praeloquio. Dicam vero de argumento auditu nec iniucundo, niſi fallor, nec inutili, de ortu, inquam, Academiarum ſiue Regiarum ſcholarum vnius Europae noſtrae. Cui vero non iucundum fuerit, id audire? Imo cui non fuerit vtile? Nobis certe, qui aut Senatores aut ciues Academici ſumus, non poteſt non maximam parere voluptatem, ſi cognoſcas reip. illius exordia, in qua omnes viuimus, atque vnde tot indies nobis profluunt commoda. Etſi vero iam ante annum eodem de argumen-

gumento mihi haud pauca dicta ſint, perſecutus tamen tunc maxime ſum inſtituta ſcholarum veterum, Graecarum, Latinarum, AEgyptiacarum, Perſicarum, atque Saracenicarum, ſaltim quo clarius pateſceret, quantum illa a noſtris fuerint remota. Noſtra equidem non niſi leui brachio perſtrinxi, in commodius tempus eorum narratione reiecta. Nec tamen vel hodie propoſitum habeo omnia illa tangere, quae ad Academiarum noſtrarum faciunt inſtituta. Iſthaec narrantem dies me deficeret, Auditores. Nunc vero ne morandi quidem eſtis. Itaque illa duntaxat perſequar, quae faciunt ad originem Europaearum ſcholarum: quae, niſi admodum fallor, valde latet in obſcuro. Dicam ergo, quo tandem tempore quorumque auſpiciis ſcholae Europaeae hanc quaſi ciuitatis formam aſſumſerint. Nec illas metas egredietur oratio mea. Quae differentem vti me benigne audiatis, etiam atque etiam rogo.

61

II.

Quintum a Seruatoris noſtri natalibus ſaeculum agebatur, cum iuſto Dei iudicio in cultiſſimas Romani Imperii occidentalis terras effundentibus ſeſe Germanicis potiſſimum gentibus, non multo temporis ſpatio omnis Africa, potioresque Europae prouinciae, Hiſpania, Gallia, Britannia, Pannonia, Italia, ſpiſſa imperitiae caligine quaſi obducerentur. Ex eo nulla amplius Profeſſorum ſalaria, nullae ſcholae publicae, per omnem illum terrarum tractum. Scribit M. Aurelius (a) Caſſiodorus, ſe auctore Agapetum, Pontificem Romanum, Theologicam ſcholam Romae ad inſtar Niſibenae inſtituere conatum quidem; irritum tamen illud conſilium fuiſſe prae temporis illius calamitatibus. Exſtat etiam apud eundem Caſſiodorum *lib. 9. epiſtola viceſima prima* Athalarici, Oſtrogothorum in Italia Regis, qua ille iubet ſalaria ſolui ex more antiquo Profeſſoribus in vrbe Roma

(a) *Praef. in libros diuin. lect.*

ma *ſine deductione*, (ita loquitur,) *ſemeſtribus etiam ſingulis*. Quin legimus, eodem tempore & Anicium Manlium Seuerinum Boëthium, virum & dignitate & opulentia & virtute & eruditione longe maximum, Ariſtotelicam philoſophiam Romae docuiſſe: quanquam ſalario docuiſſe non dixerim. Incidit autem haec aetas in tempora Theodorici, Oſtrogothorum Regis, vel ſaeculi quinti ac ſexti confinia. Porro non multo poſt conſtituit, aut renouauit potius, Iuſtinianus etiam Imperator nonnulla de Grammaticis, Rhetoricae & Iuris Romani Profeſſoribus in vrbe Roma: vti in eius legum Codice (*b*) hodieque legere eſt. Verum enimvero vltra bonos conatus non fortaſſis omne hoc negotium progreſſum eſt. Quî enim felicius potuit in eo omnium rerum interitu, deſtructo ſcilicet Gothorum ſic ſatis iuſto imperio per immania bella, & Italiam denuo mox inuadentibus Langobardis per Narſetem inuitatis? Nec tamen ego negauerim, primae ac rudioris literaturae ſcholas Romae ſemper ſuperfuiſſe. Forte nec doctores defuere alii. Certum quippe eſt, eo loci aliqua ſemper eruditonis priſcae ſaltim veſtigia remanſiſſe. Sed dubio procul per fuerunt rudia omnia.

62

III.

Eadem tempeſtate floruit S. Benedictus, omnium occidentalis Eccleſiae monachorum hodie pater. Hic etſi ordinis ſui homines non iuſſerit publicas habere ſcholas, inſtituit tamen, vti ſaltim illi, quibus ex nouae Regulae praeſcripto viuere animus, in monaſteriis docerentur. Iam ante per Orientem, vbi primum nata ſunt τὰ ἀσκητικὰ inſtituta, in coenobiis nonnullis videntur ſacrae ſcholae habitae, vt quidem ex Ioannis Chryſoſtomi tertio *contra vituperatores monaſtices* libro manifeſtum eſt. Etiam Occidentis quibusdam coenobiis ſuae iam videntur ſcholae fuiſſe. De

SVPPL. XXIX.

(*b*) Vid. *tit. de ſtud. lib. Vrbis Romae.*

eo ſane, quod in Lerinae, inſulae Tyrrheni maris Galliae Narbonenſi adiectae, eremo exſtruxerat Honoratus Maſſilienſis, vetant nos dubitare non tantum clara illa aeui ſui & Eccleſiæ Gallicanae lumina, praeter Honoratum ipſum Maximus, Fauſtus, Hilarius, Caeſarius, Vincentius, Eucherius, Saluianus, Salonius, eremi illius alumni, ſed & ipſa Eucherii Lugdunenſis verba, quibus ad Salonium filium in *poſteriorem librum Inſtructionum* ſuarum eſt praefatus. *Dignum eſt*, (c) inquit, *quacunque cura mea ingenium tuum reparari, qui vixdum decem annos natus eremum ingreſſus, inter illas ſanctorum manus non ſolum imbutus, verum etiam enutritus ſis ab Honorato, patre, inquam, illo, primo inſularum, poſtea Eccleſiarum magiſtro, cum te illic beatiſſimi Hilarii, tum inſulani tironis, ſed iam nunc ſummi Pontificis,* (Arelatenſis videlicet,) *doctrina formaret per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas: adhoc etiam te poſtea conſummantibus ſummis viris, Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter & ſapientia praeeminentibus.* Caeterum prae aliis huic rei operam nauaſſe iure dixeris, quae ad Benedicti regulam inſtituta ſunt coenobia. Hinc ſane ipſimet Benedicto erudiendum filium Placidum tradidit Tertullius patricius, vt refert *Hiſtoria Caſſinenſis*. Et de Mauro, Benedicti diſcipulo in Gallias miſſo, refert (d) Iuo, in Aurelianenſi monaſterio multos nobilium Francorum liberos ab eo pietatis fuiſſe ſtudiis imbutos. Sunt autem ex Benedicti praeſcripto tantum non omnia totius occidentis monaſteria cum vetera reformata, tum noua conſtituta. Quo factum, vti ab illo vsque tempore Benedictini Ordinis monaſteria non pietatis ſolum, verum & doctrinae ſcholae fuerint, vix tamen extra ſua clauſtra ſeſe porrigentes. Neque enim verum eſt, quod nonnulli tradunt, ex primo inſtituto ſuo ἀσκητήρια iſthaec ſcholas fuiſſe publicas promiſcue omnium, etiam ordini iſti non addictorum: quippe quam ſententiam & Regula ipſa S. Benedicti & hiſto-

63

(c) *Praef. lib. II. Inſtruct.*
(d) In *Chron.* in *Vita Iuſtiniani.*

hiſtoria temporum falſi coarguant. Stetit vero omnis iſthaec doctrina intra leuem Latinae linguae peritiam, & Chriſtianae Theologiae vſum: quibus nonnulli mathematicum quid, computi Eccleſiaſtici rectius cognoſcendi gratia, (poſtquam illam curam Dionyſius Exiguus Romae accenderat,)parumque artis medicae addiderunt. Idipſum abunde liquet cum ex monumentis illius aeui omnibus, tum ex Caſſiodori opere *diuinarum humanarumque lectionum*, quo vir optimus monachos ad literarum ſtudia manuducere inſtituit. Obſeruatu autem omnino dignum eſt, ſexto, ſeptimo atque octauo ſaeculis neminem fere per Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, vno verbo, in Occidentalis Eccleſiae toto orbe, nomen aliquod ſcripto libro obtinuiſſe, qui non in monaſterio educatus ſit atque inſtitutus. Igitur vbi meliora atque plura tum temporis monaſteria, ibi & plures & meliores viri docti floruerunt. Qua felicitate cumprimis tum Britannia fuit, vt quae ipſam quoque Italiam, aut luxu aut bellis impeditam, longo poſt ſe intervallo reliquerit. Non enim Britannicis monachis quicquam tam ingenti temporis tractu aut melius aut doctius totus Occidens habuit. Qui inter illos eminet, Beda, idem omnium illius tempeſtatis per Occidentem vniuerſum fuit doctiſſimus. Nos ipſi Germani prima Chriſtianae doctrinae exordia illis coenobitis debemus. Imo debemus illis initia omnis culturae melioris atque eruditionis: ſicut Angli ipſi ac Scoti a monachis Romanis eam aliqua ex parte antehac acceperant.

64

SVPPL. XXXI.

IV.

Praeter has autem Monachorum ſcholas per ducentos amplius annos toto in Occidentali orbe nulla Philoſophiae, nulla Romani Iuris, nulla humaniorum literarum, nulla Chriſtianae doctrinae, nulla Medicae artis denique cathe-

 dra

dra vspiam fuit. Nam quod narrant (*e*) nonnulli, Cantabrigiae in Anglia a Sigeberto Rege anno Christi sexcentesimo tricesimo publicam Academiam esse institutam, id vero dubia annalium fide nititur: Cantabrigiensium quoque aemuli Oxonienses pernegant fortiter. Et vt quaedam fuerit instituta, procul dubio rudis illa fuit, nec in longum tempus. Caeterum nono saeculo maiori verisimilitudine laus illa competit. Sicut enim plane illo tempore & inter Saracenos sapientia fuit accensa, & protracta est iterum in lucem Constantinopoli eruditio per Bardam Caesarem ac Photium patriarcham, quod alias narrauimus; ita etiam Occidentalis hic orbis nunquam satis memorando Dei beneficio barbariem suam coepit non leuiter tum discutere. Primum enim MONASTICAE scholae longe, quam antehac, plures institutae, non modo per Italiam, Galliam, Britanniam, Hispaniam, vbi ante nonnisi paucae erant, verum etiam per Germaniam nostram, vbi antehac vix vlla. Ex istis autem phrontisteriis magna statim copia monachorum profluxit, qui vt non minus pietate, quam doctrina, eluxerunt, ita amplissimis Episcopalibus muneribus summa cum laude, imo cum Ecclesiae fructu maximo, sunt praefecti. Quantos sane viros vel sola tum Germania statim protulit! Rabanum Maurum, Strabum Fuldensem, Haymonem, Walafridum Strabonem, Paschasium Ratbertum, Amalaricum Treuirensem, Halitgerium, omnes scriptis editis clarissimos. Taceo enim nunc alios: quamuis vna ad Visurgim Corbeia nostra Bremae dederit ordine integros quinque priores Episcopos, eosque omnium optimos, nec minus alibi pari virtute aliquammultos: imo quamuis Sturmo Abbate vna Fulda (*f*) simul triginta doctores artium linguarumque, & sexcentos genere claros discipulos aluerit. Adhoc vero passim locorum cum EPISCOPALIBVS

65

SVPPL. XXX. & XXXII.

SVPPL. XXXIII.

COL-

(*e*) Polyd. Virgilius *lib. V. Hist. Angl.* Rectius Cambdenus in *Britannia*, vbi de Cantabrigia.

(*f*) Kirchnerus in *Oratione de Doctoribus magnatibus*.

COLLEGIIS nouum ſcholarum genus coepit. Eius inſtituti exordia quaedam, vt S. Baſilius in Oriente, ita in Africa princeps fecerat iamdudum ante S. Auguſtinus. *Factus enim presbyter* (verba ſunt Poſſidii in vita (g) S. Auguſtini,) *monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere coepit ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maxime vt nemo quisquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuique, prout cuique opus erat. Quod iam ipſe prior fecerat, dum de transmarinis ad ſua remeaſſet.* Laudabile iſthuc S. Auguſtini facinus imitantibus paulatim ſponte ſua Epiſcoporum nonnullis, magis magisque increbuit coenobitarum iſtud genus Episcopalibus ſedibus adiunctorum, quos etiam tunc ab obſeruato ſingulari viuendi canone *Canonicos* aut *Regulares* vſurparunt. Scholas tamen an & hi, ſiue in publicum, hoc eſt, quosuis admittentes, ſiue fratribus ſuis, iam tum temporis habuerint, mihi quidem non liquet. Imo potius vero abſimile videtur, cum nihil iſthac de re ſcitum inuenias in *Regula* ab ipſomet ſanctiſſimo illo patre ſuis illis Canonicis praeſcripta. Nec enim fortaſſis cauſae quicquam eſt, cur illam *Regulam*, quam Patri iſti tribuerunt tot ſaecula, ac commentariis Hugo de S. Victore & Humbertus illuſtrarunt, cum nonnullis in alium auctorem referamus. Inuenio autem in illa *Regula* nihil, quod huc faciat: niſi forte eo trahere quis velit: *Codices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat.* Quae tamen verba nequaquam de ſchola loquuntur habenda, ſed de lectione.

66

SVPPL. XXXIV.

V.

Caeterum nono, quod diximus, ſaeculo & haec Canonicorum aut Monachorum (perinde enim propemodum tunc quidem fuit,) collegia frequentius ſunt inſtituta, & ſimul pas-

(g) Cap. V.

paſſim locorum iis iniunctum ſcholarum habendarum negotium, auſpicio cumprimis atque auctoritate Caroli Magni ac Ludouici Pii, primorum Francicae ſtirpis Caeſarum. Nec enim vllam ibi Epiſcopalem conſtituerunt cathedram, niſi adiuncto ſimul Canonicorum collegio, cui ex praeſcripto S. Auguſtini fuerit viuendum. Ex eo igitur non in monaſteriis duntaxat, ſed vbicunque etiam locorum Epiſcopalis cathedra erat, ſcholae exerceri coeperunt: & quidem, vt tempora tum ferebant exigebatque neceſſitas in illa rudium hominum frequentia, cum literaturae Latinae potiſſimum, tum interdum aliqua ex parte etiam Theologiae Chriſtianae, vix tamen aliis, quam clericae vitae addictis, auſcultantibus: quos ſcilicet ſacrorum Latina lingua celebrandorum neceſſitas ad aliquam ſaltim eius literaturae peritiam acquirendam adigebat. Et vero omnibus illis in collegiis quis eſt conſtitutus, qui ſcholas haberet, non minus, atque in aliis monaſteriis. Meminit eius rei Anſegiſus hiſce verbis: *Carolus ſiquidem conſtituit, in ſingulis monaſteriis & Epiſcopiis ſcholas eſſe, vbi ingenuorum & ſeruorum filii Grammaticam, Muſicam & Arithmeticam doceantur.* In Cabilonenſi quoque Concilio *cap. 43.* ipſa illa Conſtitutio hiſce verbis laudatur: *Oportet enim, ſicut Dominus Imperator Carolus, vir ſingularis manſuetudinis, fortitudinis & prudentiae, iuſtitiae & temperantiae, praecepit, ſcholas conſtitui, in quibus literaria ſolertia, diſciplinae, & ſacrae ſcripturae documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur a Domino: Vos eſtis ſal terrae.* Memorabile etiam eſt, quod in Priuilegio Oſnabrugenſi Epiſcopatui anno 804. conceſſo (*h*) legitur: *Inſuper* (verba Caroli ſunt,) *eidem Epiſcopo eiusque ſucceſſoribus concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio abſolutionem. Niſi forte contingat, vt Imperator Romanorum & Rex Graecorum coniugalia foedera inter filios eorum contrahere diſponant: tunc Eccleſiae illius Epiſcopus cum ſumtu a Rege vel ab Imperatore adhibito laborem*

67

SVPPL. XXXV.

SVPPL. XXXVI.

(*h*) Vid. Cranzius in *Metropoli lib. I.*

borem simul & honorem illius legationis assumet. Et ea de causa statuimus, quod in eodem loco Graecas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinauimus, nec vnquam clericos vtriusque linguae gnaros deesse confidimus. Ab illo instituto est, quod hodieque plerisque Canonicorum claustris scholae habendae locus adiunctus sit: quodque vni Canonicorum etiamnum *Scholastici* appellatio maneat. Porro quod praeclare Carolus Magnus instituerat, non minori diligentia curauit filius Ludouicus, cui virtus *Pii* cognomentum conciliauit. Extant hodieque in laudem illius Principis cum alia, tum inprimis canones Aquisgranensis magni conuentus, quibus multa ad Ecclesiasticum statum pertinentia quam sanctissime sancita, tum Canonicorum collegia ordinata sunt. Lothario quoque imperante anno 855. Concilii Valentini in Galliis celebrati caput octauum decimum itidem scholas in singulis Episcopiis fieri iussit. Quod quarto post anno iterum repetitum, Lothario, Lotharii Imperatoris filio, regnante, in Concilio Tullensi. Canon eius hic est: *Vt scholae sanctarum Scripturarum & humanae quoque literaturae, vnde annis praecedentibus per religiosorum Imperatorum studium magna illuminatio Ecclesiae & eruditionis vtilitas processit, deprecandi sunt pii Principes nostri, & omnes fratres & Coëpiscopi nostri instantissime commonendi, vt, vbicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id est, fideliter & veraciter intelligentes, donare dignatur, constituantur vbique scholae publicae, vt vtriusque eruditionis, & diuinae videlicet & humanae, in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. Quia (quod nimis dolendum est & perniciosum maxime,) diuinae Scripturae verax & fidelis intelligentia iam ita dilabitur, vt vix iam extrema eius vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & summo studio remedium procurandum est.* Hactenus canon. Apparet autem ex isthoc canone, optime quidem sancitum tunc temporis hoc scholarum genus, cum Carolo tamen & Ludouico Pio fere iterum concidisse.

68

SVPPL. XXXVII.

VI.

Quanquam vero a principe Carolo profluxiſſe id inſtituti quis crediderit, & multi hodie credant, non fraudanda tamen forte gloria huius inuenti Anglia videtur. Scribit enim ad annum 761. Cardinalis Baronius: *Hoc anno in Anglia Egbertus, Epiſcopus Eboracenſis, Regis germanus, ſcientia & ſanctitate clarus diem clauſit extremum. Fuit iſte magiſter Albini, qui & Alcuinus Flaccus dictus inuenitur, qui ipſum pluribus laudat in literis ad Carolum Magnum ſcriptis, vtpote quod inter alia inſignia opera publicum ſacrarum literarum gymnaſium Eboraci inſtituit, eamque Eccleſiam nobili bibliotheca ditauit.* Conſtat etiam ex vita Ludgeri, ipſum Albinum Eboraci ſacras literas eſſe profeſſum. Itaque vero eſt ſimile, ex Albini conſilio, atque ad exemplum Egberti illius, laudabile hoc Caroli Magni inſtitutum profectum eſſe: vtpote cum notum ſit, ad reparandam rem literariam Albini praecipue conſiliis Carolum eſſe vſum. Caeterum de Albino etiam poſt diſſerendum fuerit.

68

SVPPL. XXXVIII.

VII.

Praeter haec autem duo ſcholarum genera etiam TERTIVM, atque adeo illud, quod originem noſtris Academiis dedit, coepiſſe eodem illo ſaeculo nono videtur; nec vno quidem loco. Vt enim de Anglia dicam prius, vnde nobis ipſa illa doctrinae rudimenta redierunt, ab Alphredo Rege ſcholam publicam Oxoniae eſſe conſtitutam anno Chriſtiano ſeptuageſimo tertio vel potius nonageſimo quinto, ex Oxonienſium monumentis haud pauci hodie narrant. Eius tamen non meminerunt vel Wilhelmus Weſtmonaſterienſis vel Abbas Ingulphus, qui res Anglicanas illius temporis ſatis diligenter tradiderunt: doctrinam duntaxat prope emortuam cum literariam, tum Eccleſiaſticam ab illo Rege eſſe reſuſcitatam, illis auctoribus eſt traditum. In id enim libros complures ex Bibliotheca Romana regiis ſumtibus deſcriptos, ac viros eruditos ex Galliis & aliunde euocatos

os. Inter quos Ioannes Erigena Scotus fuit, ille, qui Dionysii dicti Areopagitae opus *de diuinis nominibus* ex Graeco in Latinum vertit, suspectae alias & dubiae in religionis negotio fidei. Sed bonas artes disciplinamque restitutam nonnihil a Rege hortatu S. Neoti monachi, apud quem Rex profugus ante aliquamdiu delituerat, certum videtur. Erat is Neotus natione Anglus, vitae instituto Benedictinus monachus, nisi malis anachoretam fuisse, ac porro (vt quidem Arnoldus (*i*) Wion, eiusdem ordinis monachus Duacensis, opere, cui titulum fecit *Ligni vitae*, tradit,) Diaconus in Hermstoke, postque obitum catalogo Sanctorum adscriptus. Auctor vero est Guilielmus (*k*) Cambdenus, seu potius ille ante laudatus Arnoldus, tria tum ab Alphredo rege Oxoniae auditoria constructa esse, vnum Grammaticis, alterum Philosophis, Theologis tertium. Quae si vera sunt, (quod dubito, de Theologica saltim cathedra,) ex parte coniectura facile colligi potest, quae docendi ratio isthac in schola tum obtinuerit. Sed quaecunque illa fuerit, omnes narrant, parum illam felicitatem diuturnam fuisse, excipientibus illam paucis post annis Danorum incursionibus, & Haraldi praecipue Regis barbara immanitate, quibus omnis Anglia, cumprimis vero ipsa Oxonia, tantum non in cineres abiit ac sanguinem. Illa autem calamitas in Normannorum vsque dynastiam, adeoque finem prope saeculi vndecimi, sese extendit. Quo tempore superfuisse Oxoniae, licet exhausta in vrbe, literarum & philosophiae disciplinam, recte quidem colligit Wion, &, qui hunc descripsit suppresso nomine, Cambdenus, ex hisce Ingulphi verbis: *Ego Ingulphus, constitutus primum Westmonasterio, postmodum Oxoniensi Studio traditus, cum in Aristotele arripiendo supra multos coaetaneos profecissem, &c.* Non minus tamen recte obseruat Cambdenus, refloruisse ibi li-

 teras

(*i*) *Lib. V. Ligni Vitae cap. 37.*
(*k*) *Descript. Britanniae*, in vrbe Oxonia.

70

teras, praesertim Roberti Polenii cura & fauore Henrici secundi ac Richardi Regum, hoc est, sub finem circiter saeculi Christiani duodecimi. Et vero, eodem teste, *Polenii conatus adeo feliciter cessit, vt regnante Ioanne* (is autem praefuit regno ab anno 1199. vsque ad 1216.) *tria millia studiosorum in hac vrbe fuerint.* Henrico III. autem rege, qui Ioanni patri succedens obiit demum 1272. *tanta iam erat eruditorum copia, vt innumeri diuinis humanisque artibus instructissimi cum in Ecclesiam, tum in rempublicam fuerint propagati, Matthaeusque Parisiensis Vniuersitatem Oxoniensem secundam a Lutetia Ecclesiae scholam, Ecclesiae imo fundamentum, diserte appellarit.* Non patitur hic locus, addere ex Cambdeno, quae subiungit de collegiis illic loci secuto tempore exstructis summo literariae reip. bono. Non possum tamen non adducere, quod narrationi illi addit, elogium: *His collegiis, quae numero sunt sedecim, & aulis praeterea octo, elegante structura, opimis reditibus, & instructis bibliothecis ita floret Oxonia, vt reliquas orbis Christiani Academias superet omnes.* Verum praestat fortassis de ipso Alphredo rege eiusque nunquam satis laudando instituto recitare, quae habet politissimus Anglicarum rerum scriptor, gente Italus, Polydorus Virgilius. *Dedit Alfredus*, inquit (l) ille, *iam viginti natus annos operam literis, atque ita doctus euasit breui, vt diui Gregorii Dialogos, opus Boëtii de Consolatione Philosophiae, & Psalmos Dauid, ex Latino in patrium sermonem verterit, quo a cunctis facile intelligerentur. Licet Dialogos & Boëtii opus quidam tradant eius rogatu Verefredum, antistitem Vigorniensem, transtulisse: quibus minus consentio, cum ipse sic eruditus esset, vt par sit credere, eius fuisse opera. At Psalmos, morte intercedente, non omnes omnino interpretatus est. Studebat Rex optime animatus per id tempus, quo literae apud Occidentales longe rarissimae erant, suos quouis modo bene viuendi rationem docere, mortaliumque animos ad bonas artes discendas genera-*

(l) Lib. V. Hist. Angl. sub finem.

neratim inflammare: quare summe fauebat ingeniis, fouebat hominum dignitatem, amplectebatur nobilitatem, & omnes denique diligebat, in quibus virtus inesset. Memoria quoque proditum est, Alfredum haud facile pati consuesse, quempiam in sacerdotum collegium venire, nisi vir probus atque bene literis institutus esset: vtpote qui probe sciret, sacerdotes secundum vetus verbum spectaculum factos esse mundo, ac propterea alios mortales viuendi modum facile ab illis mutuari. Et quoniam perpaucos admodum tales apud se esse cernebat, idcirco vndecunque viros vitae sanctitate & doctrina claros arcessebat, qui regale sacerdotium, vti apostolorum princeps appellat, obirent. Atqui Neotum inprimis, monasticae professionis virum sanctissimum, ob eximiam eruditionem miro amore complexus est: quo hortante Oxonii gymnasium instituit, proposita mercede omnibus, qui publice bonas artes profiterentur. Quo multi doctrina clari confluxerunt docendi gratia. Haec Polydorus. Non multo post addit idem nonnulla de ipsa Oxoniensi schola eiusque institutis, quae itidem non possum hic omittere. „Haec statim a principio, inquit, tum diuinarum humanarumque „literarum studiis, tum mira hominum in doctrinas incumbentium frequentia multo celeberrima esse coepit: deincepsque vsque eo floruit, vt iam facile cum quouis alio „totius orbis gymnasio de nominis gloria certare posset. In „qua scholastici ipsi, vt cuiusdam religionis obseruatione „a primo imbuti, neutiquam minus animos bonis moribus, „quam literis, excolunt. Habent enim coenobia magnifico „apparatu constructa, multorumque cum episcoporum, „tum regum hominumque nobilium ac foeminarum probatissimarum muneribus opulentissima, quae *Collegia* vo„citant, quod eorum collegia eo loci collocata sunt: quorum „magistri sunt viri doctrina inprimis probati & honesti. I„gitur ibi cum abunde suppeditentur facultates, communi„ter viuunt, ac quotidie bene mane aut rem diuinam faci„unt aut sacris intersunt, antequam ad rem literariam, ag-

73 „grediantur: atque ita Deum cumprimis venerantes, sese „castissimo simul viuendi genere & doctrinarum omnium „studiis exercent: vnde iugiter singulari pietate & eruditio-„ne viri, velut ex quodam totius orbis amplissimo discipli-„narum theatro, existunt, qui tam pie, quam vtiliter, nunc „docendo, nunc scribendo, mirum in modum rem Christia-„nam iuuant, celebrant, tuentur. Quemadmodum ex non-„nullis, paucis quidem, nihil floret: qui omne vitae cur-„riculum ibidem sese molliter curando transigunt, qui ma-„lis exemplis iuuentuti plurimum interdum nocent. Quae „sane morum labes minime fieret, si illi, qui etiam nunc „noua in dies singulos instituunt Collegia, tandem aliquan-„do certos darent scholasticis annos, vt aut docti suo tem-„pore domum redirent, aut veluti asini ad lyram, vt dici-„tur, loca aliis relinquerent, qui valde multum possent in „literis proficere„. Haec iterum elegantissimus Polydorus. Quae pro dignitate expendere tamen non licet, cum ab instituto nimis alienum, & nunc propositum sit, duntaxat in originem Academiae Oxoniensis, qualis illa facta est saeculo nono, inquirere. Eadem sane de causa non est etiam, vt CANTABRIGIENSIS scholae hic faciamus mentionem. Etsi enim apud Arnoldum (m) Wion scribat Robertus de Remington: *Regnante Eduardo primo de Studio Grantbrig* (illa est Cantabrigia,) *facta est Vniuersitas, sicut est Oxoniae per Curiam Romanam:* adeoque possit cui videri non alienum esse ab hoc tempore, cum rerum in Anglia potitus sit Eduardus I. in confiniis noni atque decimi saeculi; reuera tamen loquitur auctor ille de Eduardo, Normannicae stirpis id nominis primo, qui regnum adiit demum anno 1272, quo rege primum, quod vocant, Collegium ibi exstruxit (n) Episcopus Eliensis.

VIII.

(m) Loco citato.

(n) Vid. Cambdeni *Britannia*.

VIII.

Nos Britannia relicta in GALLIAS transfretabimus. Ibi vero, & quidem Lutetiae PARISIORVM, isthac aetate iacta tum initia fuisse scholae illius toto iam orbe celeberrimae, magis certa est fide cognitum. Etsi enim vnum alterumque esse sciam, id qui neget, adeo multis tamen saeculis atque adeo diuersis gentibus id traditum est, vt illi consensui repugnare sit pene frontem ferire. Scilicet quamvis, vt de re vetusta, non idem omnes narrent, Caroli tamen Magni auspiciis scholam publicam Lutetiae apertam esse, in id vero doctissimi quique consentiunt. Non abs re fuerit fortassis, quid eo de negotio referant vnus atque alter, hic recitare. Georgius igitur Buchananus, exquisiti vir iudicii, cum libro quinto *Scoticarum rerum*, ab Achaio primum Rege inter Francos & Scotos initam esse amicitiam, dixisset, secundam eius amicitiae causam hanc adducit: *Deinde etiam a Carolo Magno, qui Galliam non minus literis, quam armis, illustrare cupiebat, accersiti e Scotia, qui philosophiam Lutetiae Graece & Latine docerent. Apud Scotos enim adhuc erant monachi, vetere disciplina nondum extincta, literis & pietate insignes. Quo e numero erat Ioannes, cognomento Scotus siue Albinus, quod idem valet, (Scoti enim se Albinos sua lingua vocant,) Caroli praeceptor, qui plurima ingenii sui monumenta reliquit: e quibus nos* (verba recito Buchanani,) *Rhetorica praecepta vidimus, cum inscriptione Joannis Albini. Clementis quoque Scoti, qui eodem tempore Lutetiae literarum insignis professor erat, quaedam scripta adhuc supersunt.* Haec Buchananus. Nonnulli Scoti tunc missos ab Achaio (*o*) scribunt praeter alios Mailrosium & Clementem: fuit autem fortassis Ioannis cognomentum Mailrosius. Quae vt vera sint, Albinum tamen siue Alcuinum, Caroli magistrum, aut Scotum fuisse, aut ex Scotia ab Achaio missum, quod scribit Buchanannus

(*o*) Liddelius *Praef.* in *Artem Medicam.*

nanus, vix adducor, vt credam. Quos enim equidem alios legi, hi Anglum fuiſſe narrant. Certe S. Ludgerus, popularis meus, idemque monaſterii illius omnium in Saxonia antiquiſſimi, quod oppido huic adiacens Ludgeri nomine vſurpatur, conditor, vberioris doctrinae gratia ad Albinum audiendum Eboracum contendit, vt in eius Vita legitur. Ipſe Albinus epiſtola, quam ad Eadbaldum, Epiſcopum Eboracenſem, conſcripſit, Egbertum, Archiepiſcopum Eboracenſem, praeceptorem ſuum profitetur. Eginharto, locupletiſſimo vtique teſti, diſerte (*p*) appellatur *Saxonici generis Britannus.* Ipſemet Egbertum magiſtrum agnoſcit, vt & Angliam patriam ſuam, in *epiſtola ad Carolum Magnum* hisce verbis: „Date mihi exquiſitioris eruditionis ſcho„laſticae libellos, quales in patria habui per bonam & deuo„tiſſimam Egberti Archiepiſcopi induſtriam. Et, ſi placet ſa„pientiae veſtrae, remittam aliquot ex pueris veſtris, qui „excipiant inde quaeque neceſſaria, & reuehant in Franci„am flores Britanniae: vt non ſit tantummodo in Eboraco „hortus concluſus, ſed etiam in Turonica emiſſiones Para„diſi„. Ex quibus verbis ſimul manifeſtum eſt, falli illos, qui Alcuinum Bedae diſcipulum profitentur: cum tamen etiam alias Alcuino non audiat Beda, quam *ſacerdotis & doctoris eximii* titulo. Egberti vero Auctor anonymus, is, qui Anglicanam Bedae hiſtoriam perſecutus eſt, ita meminit: *Hic omnium liberalium artium, vt ita dicam, armarium, imo ſacrarium fuit, & nobiliſſimam Eboraci bibliothecam inſtituit.* Idem auctor, quisquis ſit, homo certe non vulgaris doctrinae & fidei, ab Offa, Merciorum Anglorum Rege, pacis cauſa ad Carolum narrat Albinum eſſe miſſum, atque inter „alia haec ſcribit: "Hic eſt Albinus, qui, vt dixi, pro pace „ad Carolum directus, & ibi ſeu terrae amoenitate ſeu regis „humanitate captus reſedit, magnique apud eum habitus „Impe-

(*p*) In *Vita Caroli M.*

„Imperialem animum (quantum ab aulicis curis vacabat,) „Dialectica, Rhetorica, vt etiam Astronomica composuit. „Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legeris, post „beatum Adelmum & Bedam doctissimus. Arnoldus Wion *lib. V. Ligni Vitae* scribit, Albinum vel Alcuinum, cognomento Flaccum, *natione Anglum fuisse, patria Eboracensem, Monachum primum S. Petri Londinensem.* Sed nec alius quis temere praeter Buchananum notauit, Albini praenomen fuisse Ioannem. Attamen Ioannem aliquem Scotum cum socio Clemente prima iecisse fundamenta Parisiensis scholae, etiam alii testantur. Nec minus tamen etiam id certum arbitror, quicquid scholae fuit a Carolo Lutetiae conditum, illud deberi consilio potissimum Albini siue Alcuini, vtpote cuius hortatu & eas, quas supra laudaui, scholas constituerit. Vita autem ille functus est anno 804: quod ex Odoranno notauit eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor, (q) Baronius. Quo iterum refellitur Buchanani narratio, si Achaius Rex, a quo ille missum scribit Albinum, anno demum octingentesimo septimo coeperit imperare, quod nonnulli docent; non item tamen, si Buchanani sequamur rationes.

IX.

Verum haec scrupulosius hic differere taediosum fuerit atque inutile. Scribit autem Vincentius (r) Belluacensis: *Alcuinus de Roma studium Parisios pertulit & transtulit, quod fuit illuc translatum a Romanis de Graecia.* Huius auctoritate idem & alii narrant. Vt autem meam profitear sententiam, eius viri auctoritas in historia doctorum consensu perleuis est: vtpote quam eum sine iudicio tractasse, res docet. Nec tamen negauerim, aliquem Roma in magisterium potuisse accersiri. Imo diserte id narrat Auctor (s) anonymus *Vitae Carolinae* vetustissimus, quem P. Pithoeo debemus. *Dominus*

L *rex*

(q) Ad *annum* 804. (r) In *Speculo Historiali.*
(s) Scriptor *Vitae Carolinae*, p. 252. edit. Francof.

77 *rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticae & computatoriae magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & vbique ſtudia literarum expandere iuſſit. Ante ipſum enim dominum regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat liberalium artium.* Ita ille. Tantum non extrema tamen barbarie Romam tum laboraſſe, luculente docent epiſtolae (*t*) eius aeui Pontificum, quas edidit Gretſerus. Ne quidem in Italia tum quempiam mediocriter literatum in ſuperſtitibus monumentis reperire eſt, praeter Paulum & Paulinum Aquilegienſes: quorum hunc artis Grammaticae fuiſſe magiſtrum, diſcere eſt ex tabulis Caroli Magni, quas recitat Baronius ad annum 802, donati fundi Laberiani. Arnoldus Wion (*u*) porro narrat, Alcuinum Lutetiae Pariſiorum bonas literas profeſſum, nec multo poſt a Carolo circa annum 792. Gymnaſium ibi conditum eſſe; Alcuino autem iam defuncto duos monachos ex Scotia mari traiecto ſponte ſua aduenisſe, Clementem alterum, alterum Ioannem Scotum: qui cum, ſapientiam ſe venalem habere, ſi mercedis loco victus atque amictus praeberetur, publice clamarent, re ad Carolum delata, qui impenſe fauebat literarum doctoribus, Clementem quidem Lutetiae detentum, Ioannem vero Scotum miſſum Ticinum in Italiam, docendarum literarum gratia. Idem neſcio quis alius Annalium Arelatenſium antiquus ſcriptor apud (*x*) Middendorpium narrat: tantum in eo diſſentit, quod ante aduentum Alcuini contigiſſe id ſcribat, non poſt eius mortem. Explicatius etiam idem addit: *Clementi Carolum nobiles pueros inſtituendos commiſiſſe in aedibus publicis; Ioanni vero in monaſterio S. Auguſtini, quod Ticini eſt, datum locum, quo promiſcue omnes diſcendi gratia confluentes exciperet; Alcuino vero in eundem uſum Lutetiae conceſſam Abbatiam S. Martini.* Polydorus (*y*) Virgilius Offae, Merciorum regis, geſta enarrans ſic inter alia loquitur: *Carolum*

78 *Ma-*

(*t*) Adde *Epiſtolas Leonis III. Papae*, a nobis editas.

(*u*) *Lib. V. cap. 95.*

(*x*) *Lib. VI. de Academiis.*

(*y*) *Lib. IV. p. 99.*

Magnum, regem Galliarum, missis legatis sibi amicum facere ac suorum simul beneuolentiam reconciliare summopere studuit. Traditur vnus legatorum fuisse Albinus siue Alchuinus: quo suasore Carolus duo gymnasia condidit, prout in vita Alvredi dicetur. Et vero ibi Polydorus rem hanc omnem prolixius hunc in modum (*t*) est persecutus: „Carolus Magnus Albinum seu Al„chuinum ab Offa, Merciorum rege, vti alibi est expositum, „in Galliam missum conciliandae amicitiae causa, cum vi„deret, in homine plurimas esse literas, quamobrem merito „ei honor esset habendus, ex legato hospitem fecit suum, „ex hospite praeceptorem: vetus Athenienfium, credo, „imitatus exemplum, qui Gorgiam a Leontinis publice ad „se missum, legationis munere defunctum, Athenis deti„nuerunt, eius capti eloquentia. Alchuinus itaque, homo „Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetiae Parisiorum „bonas literas profiteri coepit, eoque autore non multo post „ipse Carolus in ea vrbe primus Gymnasium collocauit, & „in Italia Ticini, quae nunc Papia nuncupatur, alterum. „Fuit is annus salutis nostrae circiter DCCXCII, cum du„os ferunt monachos ex Hybernia, siue ex Scotia, vt qui„busdam placet, in Galliam delatos, se sapientiam venalem „habere, magna voce testantes, mercedis loco cibaria & „vestiaria duntaxat petiisse; & istorum alterum, qui Cle„mens nominabatur, a Carolo Lutetiae retentum, eique ex „omni ordine ciuitatis traditos iuuenes in disciplinam; alte„rum vero in Italiam transisse, ac Ticini docuisse. Non„nemo id assignat quatuor Bedae discipulis, Rabano, Alchui„no, Claudio, & Ioanni Scoto. Sed vtcunque res se habeat, „satis constat, Anglos primos Lutetiae bonas artes publice „docuisse, quandoquidem Alchuinus & Ioannes, cognomen„to Scotus, in primis inter Anglos doctissimi fuerunt„. Caeterum quid horum verum, quid fallum, non est meum dicere: rem vetustate dubiam satius est in medio relin-

(*t*) *Lib. V.* sub finem *p. 129.*

quamus. Vnum eſt monendum, intolerabili errore a nonnullis Ioannem Scotum hunc credi eundem cum Ioanne Erigena Scoto, vtpote cum is Hincmaro Rhemenſi, Igomaro Lugdunenſi, adeoque & Alphredo regi, aliisque coaevus fuerit, iam declinante ſaeculo nono.

SVPPL. XXXIX.

X.

Quemadmodum autem non Lutetiae ſolum, ſed & TICINI, ita & ſuis in vrbibus conditas a Carolo ſcholas cum Bononienſes, tum Patauini iactitant, ſed non tam annalium (*a*) fide, quam vana fortaſſis antiquitatis affectatione. Qua certe ita olim, rudibus adhuc ſaeculis, laboratum eſt iſtic, vt Bononienſes non dubitauerint fingere literas Theodoſii Imperatoris nomine de Academia Bononiae inſtituenda; at tam ineptas & barbaras, vt vel puero hodie ſuboleat fraus, *qui* (vt ille ait,) *nondum aere lauatur*. Quo magis mirandum eſt, Bartolum, ac Iuris Canonici Gloſſatorem, imo & Middendorpium, illis ineptiis paſſos eſſe ſibi imponi: quorum illos vt aeui vitium, ita, quid hunc poſſit excuſare, haud apparet.

XI.

At quaecunque fuerit origo Pariſienſis ſcholae, id certum eſt, a noſtra Academiarum forma iſto quidem tempore & illam & Oxonienſem & omnes ſiue monaſteriorum ſiue Epiſcopales ſcholas longe abfuiſſe. Nec enim habuerunt tum illae quicquam praeter magiſtros liberalium, quae dicuntur, artium: etſi conatus forte ſit Theologiae Profeſſionem iungere iam Carolus. In rei memoriam etiamnum Rectorem Pariſienſi ſcholae ſemper ex ordine Philoſophico praefici, auctor eſt ipſemet Ioannes Fileſacus, Theologus Sorbonicus, libro, quo *originem Statutorum Facultatis Theologicae*

(*a*) Vide *Hiſtoriam Bononienſem & Patauinam.*

logicae Parisiensis descripsit. *Rector nouus*, inquit ille, *quouis anni quadrante eligitur, in festo natalitio, festo annuntiationis Mariae, festo Ioannis, & Dionysii. Eligitur autem a procuratoribus quatuor nationum ex Philosophis & Artium Magistris: quia sub primam institutionem Caroli Magni sola haec Facultas in vsum est recepta.* Nulla ergo tum Theologiae, nulla Artis medicae, multo minus vlla aut Romani aut Pontificii Iuris, fuit Professio. Porro & Liberalium ipsa illa Artium disciplina arctis literaturae rudioris limitibus circumsepta fuisse videtur. Triuio videlicet potissimum, vt tum loquebantur, hoc est, Grammatica, Rhetorica, & Dialectica. Quadriuium tamen, hoc est, Arithmeticae, Geometriae, Musicae, & Astronomiae rudimenta, quadam ex parte accessisse, non negauerim: cum, Arithmeticae magistrum a Carolo Roma esse adductum, iam supra audierimus; & canendi peritiae studuisse Carolum, cum ex iis appareat, quae Auctor anonymus *Vitae Carolinae*, cura Pithoei primum editus, narrat (*b*) de contentione Gallicorum Romanorumque cantorum, & Romanis modulis in Galliam eius auctoritate post Pipinum adductis; tum ex hisce Eginharti (*c*) verbis: *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit: erat enim vtriusque admodum peritus.* Fuisse vero eundem Carolum & reliquarum Quadriuii artium amatorem magnum, idem testatur Eginhartus. „Artes, inquit, liberales studio„sissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus ma„gnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum „Pisanum Diaconum senem audiuit: in caeteris disciplinis „Albinum, cognomento Alcuinum, item Diaconum, de „Britannia Saxonici generis hominem, virum undecunque „doctissimum, praeceptorem habuit: apud quem & Rhe„toricae & Dialecticae, praecipue tamen Astronomiae, edi„scendae plurimum & temporis & laboris impertiit: disce„bat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cur-

80

SVPPL. XL.

(*b*) *Pag.* 250. edit. Francof. (*c*) In *Vita Caroli*.

81 „ſum curioſiſſime rimabatur„. Cum eo autem fuerit animo Carolus, per ſane eſt veroſimile, illud plane ſtudiorum genus etiam ſcholae illius curae eſſe demandatum. Verum nulla tum in ſcholis Academici magiſtratus in diſcipulos iurisdictio: nulla titulorum publica collatio: nulla graduum (vti loquuntur,) diſtinctio: nulla denique immunitas auditorum: quibus omnibus nunc potiſſimum Academiae cenſentur.

XII.

Et tamen ne illud quidem maioris eiusmodi ſcholae rudimentum fortaſſis manſit diu integrum. Lupus ſane, Ferrarienſis poſt in Gallia Abbas, Epiſt. 1. ad Eginhartum ſcribit: *A Grammatica ad Rhetoricam, & deinceps ordine ad caeteras diſciplinas liberales* (triuii ſcilicet & quadriuii,) *tranſire, hoc tempore fabula eſt.* Idem probro & vitio tum verſum ſcribit, literis operam dare. Audiuimus item non multo ante conquerentes Gallicanos Epiſcopos in Synodo Valentina imperante Lothario, *intelligentiae Scripturarum vix extrema amplius veſtigia reperiri.* Carolum tamen Caluum aetas iſthaec ceu magnum eruditionis Maecenatem coluit. Qua de re memorabilia cumprimis ſunt, quae ex Erico monacho ſcribit Caeſar Baronius ad annum 876: *Quid Hiberniam (* inquit ille,) *memorem, contemto pelagi diſcrimine pene totam cum grege Philoſophorum ad litora noſtra migrantem? quorum quo quisque peritior eſt, vltro ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.* Nec profecto negari poteſt, ſuperfuiſſe etiam tum, in Gallia cumprimis & Germania, eximia quaedam, perpauca licet, aeui decora. Sed illos Pariſiis doctrinae aliquid accepiſſe, non videtur: certe nusquam eſt traditum. Adhoc omnis omnino ſapientiae, per Galliam ſane, breue fuit & illud gaudium. Namque ſaeculi quidem noni vltima, vt & decimi initia, perpetuis bellis, Normannicis praecipue, & ciuilibus, vehemen-

SVPPL. XLI.

SVPPL. XLII.

hementer concussa sunt. Diuitiae praeterea clericorum, & ex his nata luxuria, pene omnem, vt virtutis, ita & eruditionis curam apud clericos pariter plerosque & monachos extinxerunt.

82

XIII.

SVPPL. XLIII.

Non equidem dixerim, omnes scholas cum in collegiis Canonicorum, tum in monasteriis, vno tempore concidisse, sublatamque subito omnem cum pietatem, tum doctrinam: quae nonnulli haud dubitant profiteri. Vt enim GERMANICA duntaxat, & quidem nobis vicinissima, tangam, Albertus, Stadensis Abbas, ad annum nongentesimum sexagesimum primum loquitur in haec verba: „Hoc „tempore Bremae claruit Eilhardus, vir spontanea paupertate clarus, Ecclesiae praepositus, & regulae Canonicae „custos. Tunc & SCHOLAS ECCLESIAE rexit Tiadhelmus, qui fuerat magni Octrici Magdeburgensis discipulus.„ De Octhrico ipsemet (*d*) Crantzius, cum de Alberto, primo Magdeburgensi Pontifice, fecisset verba: „Successorem habuit Othricum, virum ea tempestate doctissimum, „cuius doctrinae fama celebris auditores etiam illius illustrauit. Qui enim Othricum meruit audire praeceptorem, aliquid sibi supra caeteros accepisse videbatur. Tam „celebris fama virum illum ad Archiepiscopatum subuexit. Fuerat scilicet ante etiam ille lector scholasticus in coenobio Corbeiensi. Idem Crantzius cum (*e*) narrasset, Odincarum, regii sanguinis nobilem Danum, in Bremensi schola ab Adaldago Episcopo esse educatum, subiungit: „Quippe apud insignes ecclesias ab antiquo docti viri fouebantur, qui publicas scholas sustinerent, priusquam publica literarum Gymnasia, quae nunc multa florent per Christianismum, erigerentur. Quae res apud nostrates pene he„sterna

(*d*) *Metrop. lib. III. cap. 37.* (*e*) Libro eodem *cap. 43.*

„ſterna eſt. Nam nulla eſt in Saxonia publica ſchola, quae „centeſimum longe ſuperet annum. Sed ea tempeſtate, „quam nunc explicamus, valuit vetus Eccleſiarum con- „ſuetudo, ab vsque Origene & Clemente, & primis eccleſiae „doctoribus traducta„. Idem porro Cranzius de Bennone ſecundo, ab qui per Henrici IV. tempora Oſnabrugenſi Eccleſiae praefuit: „Qui cum ſcholis praefuiſſet apud Eccleſiam „Hildeſemenſem, (docebant enim illa aetate Scholaſtici ſa- „cras literas, & habebant, qui ſubdocerent in triuialibus,) „clarum illi nomen ex doctrina & ex vitae religione conci- „liabat Imperatori Henrico„. Scotum quendam ſcholaſticis laboribus Wirzeburgi praefectum, temporibus Henrici V, laudat idem Crantzius in *Saxonia* ſua. Trithemius etiam in *Chronico Hirſaugienſi*, Addagenium, Abbatem Spanheimenſem, prius ſcholae publicae apud Moguntinos praefuiſſe, multosque inſignes diſcipulos produxiſſe eodem tempore, teſtatur. Quid? quod etiamnum ſaeculo duodecimo Paderbornae ſtudia literarum ſub nobili magiſtro Hermanno floruiſſe, prodat Helmoldus, ſcriptor σύγχρονος: laudetque idem Geroldum, Brunſuicenſis ludi (triuialis tamen, quantum videtur, & quidem eius, qui ad S. Blaſii Eccleſiam eſt,) gubernatorem? Poſt Helmoldum repetiit idem (*f*) Crantzius, memorans, Vicelinum, primum Lybecenſem Epiſcopum, adhuc iuuenem a ſacerdote quodam interrogatum, *legeritne Statium in Achilleide? propoſuitque* (inquit Crantzius,) *verſum illi ex Poëta, quem cum expedire non poſſet Vecilinus, erubuit: abiitque Paderburnam, & ibi ſub Hermanno, docente apud Eccleſiam, vigilantius literis incubuit.* Pro monaſteriis porro loquuntur itidem ſcripta monachorum, qui a ſaeculo nono vixerunt ad ſaeculum vsque tertium decimum. Quae profecto neque pauca neque inepta ſunt. Vbi autem monachi illi doctrina imbuti, niſi in ſuis ſcholis monaſticis?

XIV.

(*f*) *Metrop. lib. VI. cap.* iii

XIV.

Quin tamen & rarae fuerint ea aetate ſcholae iſtae omnes, & a doctrina non multum inſtructae, nullum dubium habet. Quis enim dixerit, ſaltim a Canonicis illis ſcholas multum curatas, omni vita canonica exuta? Nempe qui ex priſco inſtituto viuendi ratione nihilo a monachis fere differebant, viuentes ſcilicet in vno clauſtro, habentesque commune dormitorium, refectorium, lectorium, & ſimilia; clauſtri repagulis ſolutis, regulaque conculcata, tantum abſuere non multo poſt a Canonicae vitae obſeruantia, vti tandem nec erubuerint *ſeculares* ſemetipſos appellare *Canonicos*, quaſi tu dixeris *Canonicos non canonicos*. Eo autem eſt factum, vti & hodie maneant quidem priſcorum officiorum tituli, ſine re tamen atque inanes. Auctor eſt (g) Middendorpius, in plerisque Canonicorum collegiis die Dominico ſacerdotem e regione ſcholae ſtantem ſic hodieque precari: *Benedicere digneris, Domine, hoc ſcriptorium famulorum tuorum & omnes habitantes in eo, vt, quicquid ediuinis Scripturis ab iis lectum vel ſcriptum fuerit, ore perficiant, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Vrget iuſta indignatio, recitare hic verba nonnulla Alberti Crantzii, ſcriptoris Saxonicarum rerum luculentiſſimi, ſimulque prudentia & pietate eximii viri, qui & ipſe collegio Canonicorum, quod eſt Hamburgi, Decanus praefuit. *Iſte*, ait, *Archiepiſcopus* (loquens (h) de Vnwano Bremenſi, aetate Henrici II. Cæſaris,) *primus omnium congregationes apud eccleſias Cathedrales aliasque ad Canonicam perduxit regulam: quae antea quidem mixta ex monachis & Canonicis, vtraque conuerſatione turbata, degebat, non vigebat. Qua occaſione Fratres licentius de clauſtro egreſſi, mulierum conſortia primo petebant abſconſe, inde in maiorem diſſolutionem abierunt. Paulatim ergo deferueſcente in clero religione, apud eccleſias ex monachis Regulares Canonici, & ex his Seculares, ut nunc vocantur, Canonici prodierunt. Quid autem ex hac deinceps reſolutione ſit oriturum,* M *quis*

(g) *Lib. V. de Academiis* (h) *Metrop. lib. IV. cap. 1.*

85 *quis nouit? Interpretemur, oro, vocabulum. Si canon est regula, Canonici sunt regulares. Quid fiet de Canonico Seculari, nisi vt regularis sit irregularis? aut, si id malumus, regularis sine regula? Erat is deuotionis feruor sub sanctis Patribus, ut inter Fratres ipsi etiam Pontifices victitarent, quod de huius proximo legimus successore, Libentio. Iam ventum est ad Regulares, ut Canonici dicerentur & essent: vtinamque ibi perdurassent. Inferior inuentus est gradus, Canonicus Secularis, hoc est, monstram sine exemplo, Regularis sine regula, Canonicus sine canone.* In similia verba erumpit vir optimus etiam (i) alibi.

XV.

Sed quo primum tempore claustrum ruperint Canonici, non perinde certo videtur definiri posse, quoniam id ipsum non sit vno ab omnibus momento factum. In Germania initium pessimi facinoris a Treuirensibus coepisse, Ottone III. imperante, auctor est Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi.* Argentinenses tamen tardius id imitatos, ac non nisi sub Henrico IV. circiter, cum per dissensiones inter Imperatorem & Pontifices exortas ius & fas omne perruptum & ad cuiusque libidinem & arbitrium pleraque translata, scribit vir doctissimus, Christophorus Guillimanus, (k) opere *de Episcopis Argentinensibus.* Huic autem paene consentit Adamus Bremensis, vt & huius descriptor, Albertus Stadensis, de Canonicis Bremensibus. Scribit autem Adamus quidem in vita Bezelini, Albertus vero ad annum 1042. in haec verba: *Anno Archiepiscopi* (is erat Bezelinus,) *penultimo domus S. Petri Bremae conflagrauit: eiusque flamma incendii claustrum cum officinis, vrbem cum aedificiis omnibus, consumsit, veterisque habitaculi nullum remansit vestigium. Ibi sacri thesauri Ecclesiae, ibi libri & vestes, ibi omnia ornamenta consumta* 86 *sunt. Ex illo tempore Fratribus, qui ante canonice vixerant, extra claustrum vagantibus, Regula sanctorum Patrum, per multa prius saecula studiose conseruata, primo neglgentius haberi coepit, deinde*

(i) *Metrop. lib. VIII. cap. 30.* (k) In *Vita Conradi IV.*

deinde funditus abiecta consenuit. Annales quoque Hildeshei-mensses eodem plane anno 1042. & Hildesiae claustrum incendio periisse narrant, Azelino Episcopo: eaque occasione & ibi tum viuendi canonica instituta corruisse. Vereor tamen, ne quis error in hos annales ex Bremensibus irrepserit. De Bernhardo Paderbornensi, qui vixit aetate Friderici II. Caesaris, verba faciens (l) Crantzius: *Sub hoc*, inquit, *Pontifice in Ecclesia Paderbornensi adhuc obseruantia Regularis inter Canonicos viguit: & sub eo commutatio facta videtur de Regulari obseruantia ad statum Canonicorum Secularium.* Paulo post: *Idem arbitror factum per caeteras ecclesias. Sed Praemonstratenses, praeterquam in Magdeburg, suam regulam tenuerunt in Hauelberga, Brandenburg, & plerisque aliis.* Mitto nunc aliarum Ecclesiarum Canonicos: vtpote cum illa circiter aetate passim terrarum a priscis moribus Canonicos abiisse, bene sit notum.

XVI.

Certe operam lusit bonus Gratianus, *Decreto* suo (m) inserens illam ex saeculo IX. Eugenii secundi & Leonis IV. Papae constitutionem, factam in Synodis Romanis: *Necessaria res exigit, ut iuxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis Ecclesiasticis vacarent. Itaque omnibus vnum sit refectorium ac dormitorium, seu caeterae disciplinae ad vsus clericorum necessariae.* Similiter non possumus quidem non laudare Concilii Lateranensis, vt & Innocentii III. Papae, itidem in Concilio generali latum decretum, non minus, atque aliud eiusdem notae Honorii III, quae bono sane consilio Raimundus de Penna forti *libro quinto tit. V. Decretalium* inseruit, & auctoritate sua roborauit Gregorius nonus, Papa saeculo tertiodecimo. Attamen ne ita quidem effectum aliquid est, quod merito laudes: rem ipsam non qua par erat seueritate, vrgentibus Papis, & Episcopis Canonicisque in alia plane, imo aliena, intentis. Fortassis tamen non abs re fuerit,

M 2

(l) *Metrop. lib. VII. cap. 5.* (m) *P. II. causa 12. q. 1. cap. 3.*

rit, illa hic recitasse, saltim vt appareat, quaenam vtilitas publica & vis honesti illis etiam temporibus expresserit. Concilii itaque Lateranensis canon hic est: *Quoniam ecclesia Dei sicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per vnamquamque Cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium praebeatur. Pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicuius consuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quaerat; nec docere quenquam (qui sit idoneus,) petita licentia illis interdicat. Qui autem contra hoc venire praesumserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus. Dignum quippe videtur, vt in ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.* Vnde obiter colligere est, isthoc aeuo non tantum scholam Episcopalem nullam impensis communibus esse habitam, sed ne quidem admissum, qui doceret, nisi soluto pretio. Sed & Innocentius III. in Concilio generali ita pronuntiauit: *Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit constitutione prouisum, vt per vnamquamque Cathedralem ecclesiam magistro, qui gratis eiusdem instituerent ecclesiae clericos aliosque scholares pauperes, aliquod competens beneficium praeberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & iter pateret discentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesiis id minime obseruatur, nos praedictum roborantes statutum adiicimus, vt non solum in qualibet Cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus, a Praelato cum Capitulo, seu maiori ac saniori parte Capituli, eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis in Grammatica facultate & alios instruat iuxta posse. Sane Metropolis ecclesia theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his praesertim informet, quae ad curam animarum spectare noscuntur. Adsignetur autem cuilibet magistrorum a Capitulo prius praebendae prouentus, & pro Theologo a Metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docen-* 88

de-

do. Quod si forte de duobus Ecclesiae Metropolis grauetur, Theologo iuxta modum praedictum ipsa prouideat, Grammatico vero in alia ecclesia suae ciuitatis siue dioecesis, quae sufficere valeat, faciat prouideri. Haec Innocentius. Quibus praeter alia discimus etiam, non cuidam Canonicorum docendi munus tum fuisse, vt ante, impositum, sed alii alicui, & mercede quidem sic satis exigua. Verum praestat & Honorium audiamus. *Super specula &c. volumus & mandamus, vt statutum in Concilio generali de magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inuiolabiter obseruetur. Statuentes, vt, quia super hoc propter raritatem magistrorum se possent forsitan aliqui excusare, ab Ecclesiarum Praelatis & Capitulis ad Theologicae professionis studium aliqui docilibes destinentur. Qui cum docti fuerint, in Dei ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellae in perpetuas aeternitates mansuri ad iustitiam valeant plurimos erudire: quibus si proprii prouentus Ecclesiastici non sufficiunt, praedicti necessaria subministrent. Docentes vero in Theologica facultate, dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicae prouentus praebendarum & beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Haec illi. Nos nihil addimus, quoniam, latius haec persequi, non est propositi nostri. Tum vero iam ante satis ostensum est, cum Episcopalium, tum monasticarum scholarum eiusmodi mores nostris Academicis institutis, quae nunc illustrare nobis est consilium, valde fuisse dissimiles. Sufficit, hic annotasse, omnes istas scholas post annum millesimum sensim vbique terrarum defecisse, in otium & luxuriam prolapsis cum monachis, tum Canonicis. Et vero ne in coenobiis quidem scholae priscae posthac restitutae sunt in integrum: quamuis in illam laudem successerint saeculo decimo tertio Mendicantium noui ordines.

89

SVPPL. XLIV.

SVPPL. XLV.

XVIII.

XVII.

Ad TERTIVM igitur illud & Academicum ſcholarum genus reuertendum nobis eſt. Ac de Ticinenſi quidem, quam & ipſam Carolus creditur condidiſſe, nihil, quod ad illam pertineat aetatem, memoratum inuenio. In PARISIENSI ſchola primis temporibus liberales ſolum artes doceri ſolitas, ante audiuimus. Illis acceſſit deinde Theologica Profeſſio. Quod tamen quo tempore primum, aut quo Rege, factum ſit, nemo dixerit facile: ipſi Pariſienſes, ignotum id ſibi, confitentur. Ioannes Fileſacus, Doctor Sorbonicus, qui non ita pridem diligentiſſime Statuta Pariſienſis Theologicae Facultatis ſingulari libro eſt perſecutus, originem rei ſibi incompertam, non diffitetur. Alibi ſcribit in haec verba: *Perexigua fuerunt (fateor,) eiuscemodi initia, ſed, vbi ad Capetiorum gentem Gallicum imperium peruenit, & Academia & Facultas Theologica plane ex ephebis exceſsit: Philippo Auguſto rege etiam remotiſſimas gentes in ſui amorem & admirationem pellexit.* Atqui ad Capetanos demum respublica Gallicana ſaeculo decimo deuenit. Philippus Auguſtus autem rerum per Galliam eſt potitus ab anno 1180. vsque ad annum 1223. Sane, circa illa ſaeculi duodecimi ac tertiidecimi confinia Lutetiam Pariſiorum ex omnibus pene Europae regionibus innumeros diſcendi cauſa confluxiſſe, certiſſimum eſt. Videatur duntaxat *caput ſeptimum Hiſtoriae Occidentalis* Iacobi de Vitriaco, quo ille de diſſidiis Studioſorum Pariſienſium, malisque & horum & magiſtrorum moribus, conqueritur. At vero etiam ante illam Philippi Auguſti aetatem, integro ſaeculo duodecimo, Pariſienſem ſcholam ſtudiis fuiſſe florentisſimam, facile oſtenſu eſt ex laude eorum, qui tum & Philoſophiam & Theologiam ſunt profeſſi. Recte enim (n) Fileſacus: *Quae-*

90

(n) *In libro citato.*

Qualis fuerit Theologica Facultas sub Ludouico, Philippi Augusti patre, ex iis, qui tum erant, clarissimis Theologis perspicuum est. Agmen ducit Anselmus Laudunensis, quem sibi praeceptorem fuisse in Theologia, testatur Petrus Abaelardus epistola prima. Huic successit Guilielmus Campellensis. Docuit & ipse ibi Abaelardus. Gilbertus quoque Porretanus magister Theologicae scholae Parisiis aliquando fuit, teste Henrico Gandauensi. Petrus Lombardus, alias Nouariensis, Petri Abaelardi discipulus, qui non pauca demtis naeuis ex theologicis tractatibus praeceptoris sui Abaelardi mutuatus est, itidem Theologicae scholae Parisiis praefuit, teste eodem Henrico Gandauensi. Quanquam vero vsque adeo floruerint res studiorum sacrorum Parisiis iam tum illa aetate, non dubitauit tamen idem Filesacus in haec verba scribere: *Philippo Augusto rege nullae aut paucae leges, vt nec solennes ritus & formulae ad curriculum Theologicum emetiendum, vel Doctoralem lauream adipiscendam. Sed, vt ego arbitror, prout quisque in rerum Theologicarum cognitione sub Theologis, qui publicas habebant scholas, profecisset, communi velut auditorum consensu ad libros Veteris aut Noui Testamenti exponendos sese accingebat: quod ex Petri Abaelardi epistola prima colligi potest.* Idem non multo post ita (p) loquitur: *Ea vero isto aeuo* (Philippi scilicet Augusti regis,) *cura prima fuit iis, qui Magistri & Doctores haberi vellent, Sacram Scripturam interpretari: non quod ex ingenio aliquos de rebus Theologicis tractatus non interserent: ut de Abaelardo & caeteris supra visum est.* Item: *Cum scioli quidam, & qui vix Theologiam degustassent, illud publicum docendi munus vltro sibi arrogarent, doctorum melioris notae, qui tum erant, iudicio Ordo ille Theologicus formam legitimae societatis tum primum habere coepit. Hinc leges non nullae scriptae ab ipsis, & quidem ante annum trecentesimum supra millesimum: quod ex vtroque codice MSS. nostrarum legum, tum antiquiore, tum recentiore, firmari potest.* Haec Filesacus. Quibus si fides adhibenda est, (non possumus autem non adhibere,) igitur saeculo demum tertiodecimo circiter Collegium Theologicum Decano constituto coiit Parisiis: tum demum, a Theologis quidem, & gradus Magi-

91

SVPPL. XLVI. ET XLVII.

(o) Ibidem *p. 21.* (p) *Lib cit. p. 22.*

Magiſtrales aut Doctorales coeperunt conferri: primum quoque tum Examina atque Tentamina varia ſunt inſtituta. Vno verbo, iſthoc primum ſaeculo coepit Lutetiae condi aliquid in modum noſtrae, quam nuncupamus, Theologicae Facultatis. Si autem ibi tum primum illa coepit, alibi ante non coeperit, in Europa quidem. Nam ea quidem aetate nulla alia celebrior ſchola Theologica, imo vix ylla alia vſpiam extitit.

XVIII.

Theologicam Scholam Philoſophica Artiumque, Pariſiis quidem, antiquitate ſuperat: nullo tamen indicio probaueris, in noſtrum Academicum morem etiam 92. hanc formatam eſſe ante ſaeculum tertiumdecimum. Conſtat autem, iam ſaeculo etiam priore ſolito ſubtilius philoſophari Pariſiis coeptum per Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, & alios. Quorum diſciplina cum fuiſſet vſus ſummae nobilitatis vir, Otto, Friſingenſis Epiſcopus, primus SVPPL. XLVIII. (quod equidem ſciam,) Germanorum nouiter tunc inſtitutae Philoſophiae monumentum aliquod poſteritati (q) reliquit. Porro Ciuilis & Canonici Iuris ſtudia vix ante ſaeculum decimum tertium Pariſiis fortaſſis agitata ſunt. Et vero Iuris quidem diſciplina ne potuit quidem multo ante ibi exerceri, quoniam Irnerio demum & Gratiano ipſamet Bononia renouationis ſuae originem debet. Non etiam, qui Medicinam ibi antehac docuerit, quiſquam veterum memoratur. Ipſe ille, qui in epitaphio (r) audit

Phyſicus excellens Hugo, pietate refulgens;

obiitque *Anno milleno bis centum, ſed minus vno;* laudem nullam inuenit a magiſterio Artis, ſed duntaxat ab eo, quod

Pari-

(q) *Lib. 1. Chron.* (r) Vid. Gabr. Naudaeus *de antiq. ſchola Med. Pariſ. p. 31.*

Parisiis mortem non sustulit (hoc est, non passus est,) *esse minacem*, & *Quadriuium docuit*.
Vt proinde Artem ipsam Medicam non docuerit Obizo, sed duntaxat fecerit illam Parisiis. Saltim, num docuerit, incertum est. AEgidium Corboliensem, cuius *de Urinis & Pulsibus* poëmatia haud inconcinna etiamnum supersunt, & aetatibus aliquot magno in pretio fuere, Artem Parisiis docuisse, per est verosimile; sed illius vita in tertium decimum vsque saeculum excurrit. Circa cuius initia quatuor, quas appellamus hodie, Facultates Parisiis iam floruisse, vetat nos dubitare (s) Rigordi, eius temporis chronographi Parisiensis, testimonium: vt qui ad annum millesimum ducentesimum nonum disertis verbis annotauerit, non solum *de Triuio & Quadriuio, verum & de quaestionibus Iuris Ciuilis & Canonici, & de ea Facultate, quae de sanandis corporibus & sanitatibus conseruandis scripta est, plenam & perfectam doctrinam inueniri.* De Theologica schola extra controuersiam est: eoque addit Rigordus, *feruentiore desiderio doctrinam sacram & quaestiones theologicas doceri.* Tum etiam temporis honores Magisterii solennes in Medico pariter & philosophico ordine conferri Parisiis coepisse, manifestum est ex Bulla Gregorii noni Papae, quam ille Parisiensibus anno istius tertii decimi saeculi trigesimo primo concessit. Verba Bullae, qualia Gabriel (t) Naudaeus, ille Parisini *Flos delibutus populi Suadaeque medulla*, elegantissimae de Antiquitate scholae Medicae Parisiensis Dissertationi inseruit, haec sunt: *De Physicis autem & Artistis Cancellarius promittet, bona fide examinare Magistros, & non nisi dignos admittens repellet indignos.* Isthac vero aetate haud temere reperias vllam, quae iam tum quatuor Facultatibus istis fuerit instructa, praeter vnam hanc Parisiensem. Vt proinde videatur merito pronuntiari posse, saeculo demum tertio decimo Academias nostras originem suam debere, & inter omnes antiquitate antecellere Parisiensem. Meretur tamen obseruari, per

SVPPL. XLIX. 93

N Ho-

(s) In *Chronico*. (t) *Lib. cit. p. 18.*

Honorium III. Papam circa annum saeculi illius vicesimum Ciuilis Iuris disciplinam Parisiis lege publica (u) esse vetitam. *Firmiter interdicimus & districtius inhibemus*, inquit, *ne Parisiis vel in ciuitatibus seu aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire Ius Ciuile praesumat. Et qui contra fecerit, non solum a causarum patrocinio excludatur, verum etiam per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur.* Adeo seuero igitur edicto decessisse iterum nonnihil studiis Parisiensibus, quo minus nostro more fuerint perfecta, fatendum videtur.

XIX.

Caeterum prima Academiarum origine iam detecta, possumus forte non iniuria quiescere. Ne quid tamen in nobis desideretur, addemus nonnihil & de BONONIENSI & de SALERNITANA schola, quae Italicarum omnium sunt vetustissimae. Sane multum lucis haec narratio dabit iis, quae iam tum attulimus. Ac Bononiae quidem primo omnium videtur Schola quaedam fuisse liberalium Artium: saltim literatoria quaedam. Ferunt enim, Irnerium Rauenna, vbi artes illas profitebatur, Bononiam eodem fine euocatum, ibique super vera significatione vocis *As* cum aliis magistris contentione ipsi nata, tractum ita demum ad Romani Iuris disciplinam. Cardinalis certe Hostiensis initio saeculi tertii decimi (x) scripsit: *As, id est, duodecim vnciae. As etiam quandoque ponitur pro obolo: propter quod verbum venit Bononiam Studium Ciuile, sicut audiui a Domino meo.* Dominus autem ille est Azo, *Lucerna Iuris* suo aeuo habitus appellatusque. Huiusmodi scholae originem a Theodosio Caesare vulgo arcessi inepte ficta quadam tabula, iam ante diximus. Caeterum Ius Ciuile Romanum primus ibi docere coepit Irnerius: ceu omnium consensu vulgo traditur. Quod tamen passim itidem creditur, ita institutum esse a Lothario Caesare, id a ve-

94

(u) *Cap. super Specula tit. de priuil.*

(x) *C. 1. extr. de testam. n. 2.*

a vero esse alienum, alias (y) fortassis prolixius demonstrabimus. Id certum est, Iuris Ciuilis Romani disciplinam ipso iam tum saeculo duodecimo Bononiae magno auditorum concursu publica ex cathedra docuisse non Irnerium duntaxat, sed & Iacobum de Porta Rauegnana, Iacobum Balduinum, & Azonem: ne quid dicam de Bulgaro, Martino Gosio, Hugone de Porta Rauegnana, & aliis, qui tum itidem stipendio publico Bononiensium docuerunt. Eodem vero tempore & Ius Pontificium non tantum per Gratianum monachum anno 1151. in coenobio Felicis & Naboris conscribi isthac in urbe coepit, sed cathedram quoque & doctores statim est nactum, iam tum Eugenio (z) Pontifice, non minore discentium applausu, si non maiore. Ea sane Vtrumque Ius audientium fuit frequentia, vt Fridericus primus Caesar in publicis regni Italici comitiis, ex consilio omnium Ordinum, regiminis scholastici nouam formam (a) instituere sit adductus. Decem millia Studiosorum iam aetate Azonis Bononiae vixisse, testis locupletissimus est ipsemet Odofredus.

SVPPL. LI

95

XX.

Quemadmodum habuerit sese ibi tum temporis Philosophiae atque Artium, quas appellant, disciplina, non perinde constat. Illa tamen fuit in existimatione, vt Fridericus II. Caesar circa annum saeculi tertii decimi vicesimum sua cura & sumtu libros Aristotelis aliorumque Philosophorum, de Graeco partim, partim de Arabico Latine versos, huic vni Bononiensi Philosophicae Scholae obtulerit & quasi consecrauerit. Integra epistola Caesaris reperitur

in

(y) Vide librum nostrum *de origine Iuris Germanici cap. 21.*
(z) Auctor *Vitae Gratiani.*
(a) Vid. *Auth. Habita C. ne filius pro patre.*

in opere epistolico Petri de Vineis, Caesarei tum Cancellarii, ad exemplum Variarum Casſiodori, quantum coniicere eſt, in vnum collecto. Eius illam partem, quae huc maxime facit, non poſſumus non (b) recitare. *Poſt regni vero noſtri curas aſſumtas, quanquam operoſa frequenter negotiorum turba nos diſtrahat, & ciuilis ſibi ratio vendicet ſolicitudinis noſtrae partes, quicquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, tranſire non patimur otioſum, ſed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus, vt animae clarius vigeat inſtrumentum in acquiſitione ſcientiae, ſine qua mortalium vita non regitur liberaliter. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis diſtincta chirographa noſtrarum armaria diuitiarum locupletant, ſedula meditatione reuoluimus, & accurata contemplatione penſamus; compilationes variae ab Ariſtotele aliisque Philoſophis, ſub Graecis Arabicisque vocabulis antiquitus editae, in* 96 *Sermocinalibus & Mathematicis diſciplinis, noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt: quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas, & vetuſtarum veſtium, quas eis aetas prima conceſſerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad Latinae linguae notitiam non perduxit. Volentes igitur, vt veneranda tantorum operum ſimul authoritas apud nos, non absque commodis communibus, vocis organo traduce innoteſcat; ea per viros lectos, & in vtriusque linguae prolatione peritos, inſtanter iuſſimus verborum fideliter ſeruata virginitate, transferri. Quia vero ſcientiarum generoſa poſſeſſio in plures diſperſa non deperit, & diſtributa per partes minorationis detrimenta non ſentit, ſed eo diuturnius perpetuoque ſeneſcit, quo publicata foecundius ſe diffundit; huiusmodi celare laboris emolumenta noluimus, nec aeſtimauimus, nos eadem retinere iucundum, niſi tanti boni nobiſcum alios participes faceremus. Conſiderantes veruntamen, quorum conſpectibus quorumque iudiciis operis coepti primitiae poſſent decentius deputari; ecce, vobis potiſſime, velut Philoſophiae praeclaris alumnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curioſum ſtudium translatorum lingua non potuit fidelius inſtruere, conſulte prouidimus praeſentandos vel deſtinandos. Vos igitur, viri, qui de ciſternis veteribus aquas nouas prudenter educitis, qui fluen-*

(b) *Lib. III. epiſt. 69.*

fluenta melliflua sitientibus labiis propinatis, libros ipsos, tanquam xenium amici Caesaris, gratanter accipite: & ipsos antiquis Philosophorum operibus, qui vocis vestrae ministeriis reuiuiscunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata sternitis sapienter, vt expedit, aggregantes, eos in auditorio vestro, (in quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo consumitur, & latentis scripturae varietas aperitur,) cum mittentis fauore commoniti, tum clari transmissi operis meritis persuasi, ad communem vtilitatem studentium, & euidentis famae nostrae praeconium, publicetis. Haec omnia Caesar Fridericus. Quae, quamuis prolixiora nonnihil, adduximus eo libentius, quod simul doceant, beneficio literati Caesaris illius debere saeculum istud resuscitatae Philosophiae omnis studia. Hactenus nimirum Aristotelis aliorumque scripta Philosophica & Mathematica longe paucissima viderat Latinus orbis: ast ex eo multo plura, cumprimis de Arabico versa, in scholas translata sunt. Quo effectum, vt bonae artes nouam plane & hactenus insolitam faciem acceperint, inuolantibus quasi in recenter versos illos libros cum aliis, tum praecipue Dominici & Francisci sacris agminibus.

97

SVPPL. LII.

XXI.

Vt autem quasi in viam ex diuerticulo redeamus, ante saeculum tertium decimum fortasse nec Medica ars Bononiae doctores inuenit. Certe qui scriptis antehac ibi inclaruerit, nemo memoratur. Verum illo tamen ipso saeculo Artem hanc magno auditorum concursu ibi docuerunt Thaddaeus Florentinus, Petrus Aponensis, Gentilis Fulginas, &, nisi fallor, Turrisanus siue Drusianus, celeberrimi nominis magistri, quique aeternis scriptis simul Artem illustrauerunt, adiuti etiam ipsi paucis quidem Hippocratis & Galeni libris, compluribus tamen Arabum Medicorum Philosophorumque monumentis, quae vniuersa tum primum fuerunt Latine versa. Etsi autem vsque adeo floruerit (c)

 tunc

(c) Vid. Sigonii *Hist. Bonon. lib. III.*

tunc Bononienſis Schola, Theologiae tamen Profeſſoribus fuit deſtituta vsque in annum 1362. quando Innocentius id nominis ſextus Papa Theologiae docendae licentiam eximii muneris vice indulſit. Quo apparet, quam ſero perfectionem ſuam nacta ſit ipſa illa omnium celeberrima Schola, & quae cum numero Profeſſorum, tum opulentiſſima dote, (numerat enim ſubinde, & numerauit ante hos (d) decem annos, Profeſſores centum viginti ſex, & in his Vtriusque Doctores Iuris quadraginta nouem: ferturque, a Senatu Bononienſi quotannis in Profeſſorum ſalaria quadraginta prope coronatorum millia expendi:) vt alia nunc taceam, nulli hodie temere eſt ſecunda, Germanicas autem omnes longo ſuperat interuallo.

98 SVPPL. LIII.

XXII.

Sed de Bononienſi Schola ſatis fortaſſe diximus. Certe vt plura afferamus, non patitur propoſitum. SALERNITANA vetuſtate quidem Bononienſi non cedit, imo fortaſſis eam ſuperat; ſplendore vero & inſtitutis docendi eam plurimis ſequitur paſſibus, minime omnium aſſequitur. In vicino vrbi illi coenobio Caſſinenſi a S. Benedicto vsque ſcholam habitam monaſticam, veriſimile quidem eſt vel ex iis, quae ante diximus in vniuerſum de id generis phrontiſteriis; viris tamen doctis, perinde vt Fuldam & Corbeiam noſtram, claruiſſe illum locum vtut opulentiſſimum, haud temere probaueris. Saeculo autem vndecimo habuit Conſtantinum, hominem Afrum: quem poſt triginta novem annos ſtudiorum gratia peregrinationibus per Aſiam vniuerſam, ſub Muhammedanorum imperio doctrinae omni genere florentem, exactos, patria profugum Salerni primo, inde inter monachos coenobii, exceptum (e) ferunt. Et ſane ille Deſiderio, Abbati ſuo, qui poſt Victor III.

(d) Vid. Middendorpius *lib. IV. de Academiis.*

(e) Vid Arnoldus Wion *lib. I. Ligni vitae cap. 98.*

III. Papa fuit, circa annum ſexageſimum poſt milleſimum, haud pauca Medici argumenti ex Arabico Latine verſa,(vtut hoc plerumque disſimulet, ſibi arrogans ea, quae Iſaaci Aben Amram, Iudaei, aliorumque, eſſe, clariſſimum fit, ſi vtriusque ſcripta contenderis:) dedicauit. At vero iam tum in ipſo Salerni oppido ſcholam aliquam ſiue Medicam ſiue aliam fuiſſe inſtitutam, nullum indicium nobis ſupereſt. Occaſione tamen operum Medicorum a Con- 99 ſtantino editorum, per eſt veroſimile, excitata ibi potiſſimum Artis ſtudia. Etenim viderat quidem hactenus Latinus orbis libros aliquot Medicos partim Latine exaratos, partim ex Graeco in eandem linguam translatos, perpaucos tamen, eosque non magni pretii. Cuiusmodi maxime ſcriptis ſua aetate fuerit inſtructa Italia, colligere eſt ex ſermone (f) Caſſiodori, quo Monachos ſuos ad diuinas humanasque lectiones manuducit. *Quod ſi vobis non fuerit*, inquit, *Graecarum literarum nota facundia, inprimis habetis Herbarium Dioſcoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate diſſeruit atque depinxit. Poſt haec legite Hippocratem atque Galenum Latina lingua conuerſos, id eſt, Therapeutica Galeni ad Philoſophum Glauconem deſtinata, & Anonymum quendam, qui ex diuerſis auctoribus probatur eſſe collectus; deinde Coelii Aurelii de medicina, & Hippocratis de herbis & curis, diuerſosque alios de medendi arte compoſitos: quos vobis in Bibliothecae noſtrae ſinibus reconditos Deo auxiliante dereliqui.* Haec Caſſiodorus in opere illo: quod hactenus miſere per particulas disiectum in lucem prodiit, facile tamen reſtitui in integrum poterit, & reſtitui ſummo iure promeretur. Cum nemo itaque paene Latinorum Graecam linguam intelligeret, & Latine ſcripti libri Medici non niſi rariſſimi inuenirentur, hactenus quidem Medicae artis ſtudia ex dignitate coli haud potuerunt. At poſt Conſtantini operam facilius id effectu fuit, praeſertim eo loci, vbi ſcripta ipſius omnium commodiſſime haberentur

(f) *Lib. diuin. lect.*

rentur. Tum demum itaque, & hac, quam diximus, occasione, nata Salerni videtur schola quaedam Medica. Sane coepisse iam illam circa annum millesimum centesimum, haud iniuria forte dixeris, attendens, quam seuera lege (g) Rogerius primus, Siciliae vtriusque rex & Salerni Princeps, rem medicam facere iusserit. Saeculo certe duodecimo Schola isthaec celeberrimae fuit famae, imo in occidentali hoc orbe unica. Sub finem eius enim, communi Scholae istius magistrorum consilio, scriptus est libellus ille poëticus *de conseruanda valetudine*, in gratiam Roberti, Normanniae Ducis, qui tamen, quod sibi regiam Angliae dignitatem vindicaret contra Guilielmum Rufum, fratrem, Anglorum rex audiuit. Eodem tempore circiter AEgidius Corboliensis in opere, quod in Parisiensium gratiam *de compositorum medicamentorum virtutibus* itidem versibus lusit, graui censura in Salernitanos (h) animaduertebat, quod nullo facto discrimine, quibuslibet ad rem medicam admissis, concederent

Nondum maturas Medicorum surgere plantas,
Impuberes pueros Hipocratia tradere iura,
Atque Machaonias sancire & fundere leges:
Doctrina quibus esset opus ferulaeque flagello,
Et pendere magis vetuli doctoris ab ore,
Quam sibi non dignas cathedrae praesumere laudes.

Paulo post conditae sunt a Friderico II. Caesare praeclarae illae leges de re Medica vniuersa, quae liquido ostendunt, praeter reliquas Medicinae partes etiam illam, quae manu medetur, Salerni magistros suos accepisse; nec rem Anatomicam fuisse neglectam; Artem vero omnem ex Hippocraticis vsque fontibus petitam esse. Et vero ornauerunt Scholam hanc (i) Ioannes Platearius, cuius est liber *Circa instans* vulgo

(g) Vide *Constitutiones Sicula. lib. III. tit. 34. leg. 1.*
(h) Vid. Naudaeus *de antiq. scholae Medicae Paris. p. 21.*
(i) Vid. Ren. Moraei *Prolegomena in Scholam Salernitanam.*

vulgo dictus, Ioannes de Mediolano, praecipuus auctor libri *de conseruanda valetudine*, Saladinus de Esculo, Ioannes de S. Paulo, Guilielmus Placentinus, Hieronymus Balduinus, Beneuenutus Graphaeus de Ierusalem, Franciscus Alphanus, Rogerius, Ioannes & Gualtherus Salernitani. Quatuor magistrorum in chirurgia Salernitanorum libros Oxoniae reperiri, memorant (k) bibliothecarum scriptores. Eiusdem scholae videtur & Warmipotus fuisse, qui vulgo Garipontus audit. Simon quoque Ianuensis inde fortassis prodiit, qui tamen Nicolai IV. Papae egit archiatrum. Nicolaum, cuius *Antidotaria* celebri olim fama in vsu Medicis fuerunt, isthuc pertinere, certius est. Non possum hic omittere, quae de Nicolao illo omnique Salernitana Schola memorauit Christophorus de Honestis, Florentinus, quem circa annum Christi 1380. vixisse colligas ex eo, quod Thomam de Garbo passim laudet magistrum suum. *Intelligendum est*, ait (l) ille, *quod Nicolaus (qui etiam duo Aromataria composuit vtili sermone, quae ambo communiter habemus in vsu,) fuit Medicus diu exercitatus in Practica, & in naturali ingenio, natione Salernitanus, plenus diuitiis & ex nobili sanguine procreatus. Fuit autem temporibus suis primus. Et non est longum tempus elapsum, cum in dicta ciuitate Salerni, digna ac clamosa fama per orbem, vigebat fons scientiae, & maxime Practicae medicinae. Ibi enim florebat Studium principaliter, sequendo sententiam Galeni, tanquam principis medicorum, ejus libros legendo & vtiliter declarando, licet hodie fugiantur.* Haec Honestus, & recte quidem. Ex quo enim Arabum libri in Latinum orbem transiere, parum attento Hippocrate & Galeno, in scholas Auicenna, Rasis, Mesue, & Serapion penetrauerunt: nec Hippocratis aut Galeni libri vulgo in manibus relicti, praeter paucos, quos *Articella* dicta comprehendit.

101

SVPPL. LIV.

(k) Iamesius in *Ecloga Oxoniensi.*
(l) *Praef. Comment. in Antidot. Mesuae.*

XXIII.

Licet autem fortaſſis etiam hic recitare, quas modo laudauimus, Friderici Caeſaris (m) leges, vt eo rectius Scholae illius Medicae dignitas fiat conſpicua, etſi earum magnam partem iam ante aliquando hoc in loco adduxerimus. Videtur ſane & panegyris haec ipſa Medica exigere iure quodam ſuo, vt publica voce recitentur leges illae, quae de Arte facienda & docenda omnium hodie ſunt antiquisſimae. Prima itaque lex haec eſt: *Vtilitati ſpeciali proſpicimus, cum communi ſaluti fidelium prouidemus. Attendentes igitur graue diſpendium & irreparabile damnum, quod poſſet contingere ex imperitia Medicorum, iubemus, nullum Medici titulum praetendentem audere practicare aliter vel mederi, niſi Salerni primitus & in conuentu publico, Magiſtrorum iudicio comprobatus, cum teſtimonialibus literis, de fide & ſufficienti, tam Magiſtrorum, quam Ordinatorum noſtrorum, ad praeſentiam noſtram, vel nobis a regno abſentibus, ad illius praeſentiam, qui vice noſtra in regno remanſerit, ordinatus accedat, & a nobis vel ab eo medendi licentiam conſequatur: poena publicationis bonorum & annalis carceris imminente his, qui contra huiusmodi noſtrae Serenitatis edictum impoſterum auſi fuerint practicare.* Lex altera eiusdem Caeſaris ita ſonat: *Quia nunquam ſciri poteſt ſcientia Medicinae, niſi de ſcientia Logicali praeſcribatur, ſtatuimus, quod nullus ſtudeat in Medicinali ſcientia, niſi prius ſtudeat ad minus triennio in ſcientia Logicali: poſt triennium, ſi voluerit, ad ſtudium Medicinae procedat: ita quod & Chirurgiam, quae eſt pars Medicinae, infra praedictum tempus addiſcat. Poſt quod, & non ante, concedatur ſibi licentia practicandi, examinatione iuxta curiae formam praehabita, & nihilo minus recepto pro eo, de praedicto tempore ſtudii, teſtimonio Magiſtrali. Iſte Medicus iurabit ſeruare formam curiae hactenus obſeruatam, eo adiecto, quod, ſi peruenerit ad notitiam ſuam, quod aliquis Confectionarius minus bene conficiat, curiae denuntiabit; & quod pauperibus conſilium gratis dabit. Iſte Medicus viſitabit aegrotos ſuos ad minus bis in die, ad requiſitionem infirmi, ſemel nocte: a quo non recipiet per diem, ſi pro eo non egrediatur ciuitatem vel caſtrum, vltra dimidium tarrenum*

(m) Vid. *Conſtitutionum Sicularum lib. III. tit.* 34.

num auri. Ab infirmo autem, quem extra ciuitatem visitat, non recipiet per diem vltra tres tarrenos, cum expensis infirmi; vel vltra quatuor tarrenos, cum expensis suis. Non contrahat societatem cum Confectionariis. Non recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas, pro certa pretii quantitate. Nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarii vero facient confectionem expensis suis, cum testimonio Medicorum iuxta formam constitutionis: nec admittentur ad hoc, vt teneant Confectiones, nisi praestito iuramento, quod omnes confectiones suas secundum praedictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem Stationarius de confectionibus suis secundum istum modum de confectionibus & simplicibus medicinis, quae non consueuerunt teneri in apothecis vltra annum a tempore emtionis: pro qualibet libra poterit & licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, quae ex natura medicaminum vel ex alia causa vltra annum in apotheca tenentur, pro qualibet vncia licebit lucrari tres tarrenos. Nec rationes huiusmodi erunt vbique, sed in certis ciuitatibus per Regnum, vt inferius describitur. Nec tamen post completum quinquennium practicabit, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicauerit. Magistri vero intra istud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis, quam Galeni, in scholis doceant, tam in Theorica, quam in Practica medicina. Salubri etiam constitutione sancimus, vt nullus Chirurgicus ad Practicam admittatur, nisi testimoniales literas offerat Magistrorum in Medicinali facultate legentium, quod per annum saltem in ea parte Medicinae studuerit, quae Chirurgiae instruit facultatem; & praesertim Anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, & sit in ea parte Medicinae perfectus, sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt, nec factae (lego fracturae) curari. Hactenus lex secunda. Sequitur tertia: *In terra qualibet regni nostri nostrae iurisdictioni subiecta duos viros circumspectos & fide dignos volumus ordinari, & corporali per eos praestito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mittentur, sub quorum testificatione electuaria & sirupi ac aliae medicinae legaliter fiant, & sic factae vendantur. Salerni maxime per Magistros in Physica hoc volumus approbari. Praesenti etiam lege statuimus, vt nullus in Medicina vel Chirurgia, nisi apud Salernum vel Neapolim, legat in regno, nec Magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in praesentia nostrorum Officialium & Magistrorum artis*

 eiusdem.

eiusdem. Hae ſunt leges illae Friderici, dignae tanto Caeſare, dignae celeberima iſta Salernitanorum Medica Schola, digniſſimae, quae in omnem poſteritatem commendentur. Non patitur tempus in earum laudem hic excurrere: imo vetat, vel de ipſamet illa Schola vlterius quicquam addere.

XXIV.

Ideoque non niſi vnum hoc nunc adiicio: praeter Medicam, Iuris quoque ſcholam Salerni (n) olim floruiſſe, docente ibi Roberto Maranta, cuius eſt celeberimae famae *Speculum* illud *Aureum* ſiue *Lumen Aduocatorum*. An quae alia ibi in pretio fuerit, neſcio. Certum eſt & notum omnibus, cum temporis iniuria, tum aliarum Academiarum ſplendore Salernitanam omnem Scholam dudum non obſcuratam duntaxat, ſed plane interiiſſe.

XXV.

Caeterum ſaeculo demum tertio decimo Academias noſtras, ſi verum fatendum eſt, coepiſſe, & fruſtra iis vetuſtatem maiorem a nonnullis tribui, niſi admodum fallor, ex iis, quae dixi, iam eſt manifeſtum. Quapropter nunc quidem claudemus hunc ſermonem, de inſtitutis Academicis alias diſtinctius dicturi: ad alterum vero, & cuius potiſſimum gratia huc acceſſimus, progrediemur. Hoc eſt, tandem aliquando commeritis dudum honoribus Candidatum hunc noſtrum more rituque ſolenni decorabimus.

(n) Vid. Middendorpius *lib. IV. de Academiis*.

DIS-

DISSERTATIO QVARTA

RECITATA ANNO CIↃ IↃC XXXVIII. X. KAL. IANVAR.

cum Decanus Collegii Medici duobus eximiis Viris nomen & dignitatem Doctoris Medici conferrem.

In hac agitur de antiquis priuilegiis Professorum, item de titulis honorariis eruditorum apud Iudaeos & Sinenses, denique de ortu titulorum Academicorum DOCTORIS & MAGISTRI.

I.

INter multa praeclare instituta id hodie habent Scholae Academicae pene vtilissimum & omni dignissimum laude, quod nemini in republica aut Ecclesia liceat temere vel docere quicquam vel agere, quod quidem sit maioris momenti, nisi de cuius profectu ante in Scholis illis latum publice sit testimonium. Enimuero illo vno instituto florere ciuitas quaeuis potest, modo id probe obseruetur. Ita sane solis idoneis ad rempublicam atque Ecclesiam patet aditus: quo nihil potest esse exoptatius. Quis rectius vero idoneum dignouerit iis, quibus nihil antiquius est vera ac non fucata sapientia, quique id dant operam maxime, vt iuuentus omnis non virtute minus, quam bonis studiis imbuatur? Quemadmodum igitur in aliis artibus, de profectu iudicare tantum est magistrorum, eorumue, qui ἀρχιτεκτονικὴν, vt Aristotelice loquar, in iis obtinent, ita etiam virtutem ac sapientiam aliorum aestimare illi profecto possunt maxime, qui vnicum hoc agunt, omissis aliis negotiis, vtut magis lucrosis.

II.

Quanquam vero vsque adeo vtile sit, solis peritis Ecclesiam atque rempublicam committi; quod tamen mire-

ris, non tantum hodie minus, quam par eſt, hoc obſeruatur, imo in contemtum pene venit cum doctrinae omnis opprobrio, ſed & olim apud gentes etiam admodum elegantes illa noſtris Scholis laudatisſima probandi conſuetudo nullo pene in vſu fuit. Etenim AEgyptiis quidem, Chaldaeis, Perſis, imo & antiquis Gallis, omnis eruditio, ſiue illa liberalis, quam Philoſophiam θεωρητικὴν nuncupamus, ſiue illa, quae in vſum magis transfertur, qualis eſt, quae religionem, rempublicam, ſanitatem, ac forum moderatur, in ſacris fuit habita, adeoque non niſi a ſolis ſacerdotibus eſt exercita. Quantopere in AEGYPTO adſtricta fuerit Ars medendi, alibi diximus. Sed & veroſimile admodum eſt, fuiſſe illis gentibus ſuos ſtudiorum gradus, nec cuiuis temere quiduis agere permiſſum. Quae tamen illae fuerint leges, haud conſtat prae vetuſtate & defectu monumentorum.

III.

Verum apud GRAECOS nullam eruditionis partem publica auctoritate fuiſſe traditam, alias ex hoc loco manifeſtum itidem fecimus. Inde autem facillimum eſt collectu, non etiam in illo populo habuiſſe locum, quae nunc obtinet, creandi auctoritate publica idoneos Doctores conſuetudinem. Sane notum eſt, quid in docenda Philoſophia Pythagoras obſeruauerit. Nec minus notum eſt, quemadmodum eius leges imitati poſt ſint primum Plato, inde Ariſtoteles atque alii. Quos inter Ariſtippus παιδευτικῶν νόμων aliquot libros conſcripſerat, quod Diogeni Laërtio eſt proditum. Nec vero non optime ac prudentisſime ab illis fuit inſtitutum, quod non ſine diſcrimine quoſuis ad ἀκροάσεις ſubtiliores (a) admiſerint, ſed eos ſolos, quorum ante ingenium, laborum tolerantiam, veritatis ſtudium, eruditionis denique elementa exploraſſent. Hodie profecto id negligitur

(a) Vide, quae diximus in *Laudatione altera Ariſtotelis.*

gitur magno cum ſtudiorum omnium detrimento, ne quid dicam grauius. Etſi vero hac ratione multi ἀμύητοι fuerint a diſcendis ſubtilisſimis quibusque ſemoti, a docendo tamen ac faciundo (qua in re maximum tamen reipublicae momentum eſt collocatum,) arcere viri illi praeclari neminem potuerunt, idque, quoniam hactenus auctoritate publica, quae vnice ad hoc neceſſaria eſt, deſtituerentur. Quo etiam eſt factum, vti ne quidem diu ſuos illos ante laudatos diſcendi gradus conſeruauerint: quolibet nempe faciente id, quod libebat, aut ſuis rebus videbatur commodius, in tanta docentium vulgi multitudine.

IV.

Quae vero tum Philoſophiae fortuna, eadem etiam Artis Medicae fuit. De Iuris enim Profeſſione non eſt, quod dicam: cum illa aetate, paucis legibus apud Graecos obtinentibus, legum latarum quidem cognitio non fuerit aeſtimata pars eruditionis, ferendarum cura Philoſophorum fuerit, ad quos reapſe pertinet. Verum Artem etiam Medicam male tum & didicerunt plerique & docuerunt. Vnus Hippocrates forte meretur excipi: quem haudquaquam promiſcue omnes ad diſcendam Artem admiſiſſe, ſed eos tantum, quos ſingulari ſacramento ſimul ad virtutem atque honeſtatem ante adſtrinxerat, & notum eſt & alias a nobis laudatum. Neque vero auſim, quae eius nomine fertur Iurisiurandi formula, cum Hieronymo Mercuriali & aliis reiicere tanquam adulterinam: cum Hippocrati adſcripta ſit iam aetate Claudii Caeſaris, (vt ex Scribonii Largi ad Calliſtum epiſtola patet,) & probatores poſtilla inuenerit viros longe maximos aureae etiam aetatis. Etſi vero ipſe quidem Hippocrates feliciter dubio procul docuerit, cum tamen auctoritate publica non fuerit munitus, facile apparet, quousque illius moris obſeruatio ſeſe tum extenderit.

Certe in ipſamet Hippocratica ſchola diu illum iurandi o-
108 ptimum morem obtinuiſſe, haud eſt, quo temere probetur. Adhoc penes Hippocratem non ſtetit, probare, quinam Medicinae fuerint faciendae idonei: id quod hodie noſtra Academica inſtituta potiſſimum commendat. Quemadmodum porro alias habuerit ſeſe Ars Medica apud Graecos, vel ex vna illa Hippocratis querela, ὅτι ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ, nimis eſt manifeſtum: vt proinde noſtra Academiarum inſtituta longe hac parte ſint Graecis meliora & feliciora.

V.

Vt caetera autem pene omnia Graecorum vitia, ita & haec in doctrinae negotio ROMANVM quoque populum infecerunt. Neque enim melior docendi diſcendique ratio apud hos valuit, modo non fuerit peior. Et quidem initio ne apud hos quidem Iuris peritia (vt de illa primo loco dicam,) doctrinae ſubtilioris portio credi potuit, cum omnia nimirum manu regia adminiſtrarentur. Poſt Decemvirali imperio duodecim tabulis promulgatis, ſimiliter cuivis e vulgo fuit procliue, Ius cognoſcere. Inde autem *immenſo* (verba ſunt (b) Liuii,) *aliarum ſuper alias aceruato legum cumulo*, cum *ad multitudinem ac varietatem infinitam* eſſet perventum, iamque reſpublica Romana non minus legibus, quam vitiis laboraret, vt loquitur Cornelius (c) Tacitus, operoſa quidem coepit Iuris intelligentia eſſe, ſimulque orta eſt eiusdem profeſſio: certis tamen vel diſcendi vel docendi legibus minime obſeruatis, quantum apparet. Namque ante quidem Auguſti tempora, *vt quisque fiduciam ſuorum ſtudiorum habuit, ita conſulentibus reſpondit*, ceu narrat (d) Pomponius, ita etiam quisque procul dubio docuit. *Primus*

Auguſtus

(b) *Lib. III.* (c) *Lib. III. Annal.*
(d) *Tit. de origine iuris l. 47.*

Auguſtus (verba iterum ſunt Pomponii,) *vt maior Iuris auctoritas haberetur, conſtituit, vt ex auctoritate eius reſponderetur:* vnde illorum conſultorum Iuris ſententiis atque opinionibus ea quidem auctoritas nata eſt, vt Iudici recedere a reſponſis illis haud liceret. Verum ne ita quidem leges ac gradus diſcendi aut docendi inuenio obſeruatas. Nec reſpondendi illa de Iure facultas quicquam affine habet noſtris Doctoratus honoribus. Et vero ipſa illa facultas non cuiuis perito Iuris conceſſa, nec ab ipſis doctoribus, ſed paucis tantum, idque beneficio Caeſarum, nec in vſum ſcholae, ſed fori. Diſerte enim Pomponius: *Ex illo* (Auguſti ſcilicet) *tempore peti hoc pro beneficio coepit: & ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri Praetorii peterent, vt ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed praeſtari ſolere, & ideo, ſi quis ſui fiduciam haberet, delectari ſe: populo ad reſpondendum ſe praepararet. Sabino conceſſum eſt a Tiberio Caeſare, vt populo reſponderet.*

109

VI.

Quarto demum praeter propter a nato Seruatore ſaeculo in quasdam leges videtur conſenſum inter docentes: et quidem illas fortaſſe, quas ceu hactenus in diſcendo obſeruatas recitat Iuſtinianus Imperator conſtitutione illa, qua rationem diſcendi inpoſterum Iuris praeſcribit. Poſt Gaii enim, Pauli, & Papiniani aetatem, ordinem illum ſtudiorum Iuris Romani quadriennio definitum coepiſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod illorum ſcripta in ſcholaſticam illam Iuris diſcendi methodum fuerint recepta. Itaque gradus quidem tum obſeruati ſunt in Iure diſcendo, nondum tamen lege quadam publica Profeſſoribus licuit facultatem docendi cuiquam concedere. Quare nec Doctor aut Magiſter tum audiuit, niſi idem docendi munus publicum reapſe gereret, ſi paucos emeritos excipias, de quibus poſtea clarius. Quemadmodum id poteſt cuiuis patere, qui limis tantum oculis aut quaſi per tranſennam veterum monu-

 men-

menta, inque his ipſas Romanarum legum Pandectas aut Iu-
110 ſtiniani Codicem inſpexerit: vt proinde ea, quae a priſcis illis Caeſaribus conceſſa ſunt doctoribus, priuilegia ad ſolos ea aetate Profeſſores potiſſimum pertinuerint. Verum hoc obiter. Vt autem, reuertar in viam id patet, etſi Iuris diſcendi quidam gradus & iam ante & poſt a Iuſtiniano ipſo conſtitutus fuerit, illam tamen probandi ac iudicandi eos, qui Iuri dicundo ſunt apti, conſuetudinem noſtris ſcholis receptam, illi tempeſtati nequaquam fuiſſe vſitatam.

VII.

Non alia vero ratio fuit reliquarum etiam doctrinae melioris partium. Namque ante quidem Caeſarum aetatem, auctoritate quidem publica, nulla plane ſchola vllius diſciplinae fuit. Etſi vero, quod alias vberius a me narratum eſt, Caeſares publico ſalario inſtituerint paſſim ſcholas Rhetorum, Grammaticorum, & Philoſophorum, attamen neutiquam conſtat, num & his ſtatae quaedam ac certae fuerint ex publico quidem praeſcripto diſcendi leges: tantum abeſt, vt ea aetate tituli atque honores quiuerint a ſcholis illis cuiquam attribui. Sunt, fateor, nonnulla in iis Caeſarum conſtitutionibus, quae in Codicis Iuſtinianei *titulo de Medicis & Profeſſoribus* leguntur, quae fortaſſe non neminem aliam in ſententiam traxerint: imo traxere illa hactenus permultos. Imperator enim Gordianus ita ſanxit: *Grammaticos ſeu Oratores decreto Ordinis probatos, ſi non ſe utiles ſtudentibus praebeant, denuo ab eodem Ordine reprobari poſſe, incognitum non eſt.* Iulianus quoque Imperator in haec verba reſcripſit: *Magiſtros ſtudiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Sed quia ſingulis ciuitatibus adeſſe ipſe non poſſum, iubeo, quisquis docere vult, non repente nec temere proſiliat ad hoc munus, ſed iudicio Ordinis probatus decretum Curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu.* Adhoc Valentiniani & Va-
111 lentis de Philoſophis exſtat decretum in haec verba: *Red.*
datur

datur vnusquisque patriae suae, qui habitum Philosophiae indebite & insolenter vsurpare cognoscetur: exceptis his, qui a probatissimis approbati ab hac debent collusione secerni. Videri nempe possit, fuisse Philosophis & Magistris Artium, vt nunc, sua collegia suosque ordines: adeoque & tunc probatum idoneum quemque propriorum ordinum decretis. Sed ea quidem tempestate huiusmodi fuisse profitentium coetus, haud temere profecto quis probauerit. Omnino vero Ordinem hic non alium esse intelligendum, quam Decurionum qualibet in vrbe, liquido est manifestum ex multis aliis. Ita *Codice de decretis Decurionum* scribunt Imperatores Diocletianus & Maximianus: *Ordinis ambitiosa decreta sacris constitutionibus improbantur.* Iidem Augusti Codice *de Professoribus* scribunt: *Nec intra numerum praestitutum Ordine inuito Medicos immunitatem habere, saepe constitutum est, cum oporteat eis decreto Decurionum immunitatem tribui.* Digestorum quinquagesimo libro titulus decimus integer est de *Decretis ab Ordine faciendis.* Intelligitur autem & ibi Decurionum ordo: vti recte post alios notat Iuris consultissimus Dionysius Gothofredus.

SVPPL. LV.

VIII.

Scilicet ita sese res habet. Augustus ipse Imperator, postquam ex aduersa valetudine in optimam praeter omnium exspectationem esset ab Antonio Musa restitutus, vniuerso Medicorum Romanorum populo cum aurei annuli ius, tum & immunitatem munerum concessit: id quod Dion testatur. Vespasiano imperante publico salario primi omnium iussi docere Rhetores seu Oratores, quod ex Eusebio & Suetonio alias demonstratum est. Coeperunt fortassis eodem tempore & Scholae Grammaticorum Philosophorumque constituto salario haberi. Quicquid sit, his quoque eadem immunitas simul cum aliis priuilegiis obtigit. Cuius rei in testimonium non possum non adducere verba Arca-

112

dii Charisii, Iurisconsulti, quae habentur libro quinquagesimo Pandectarum titulo quarto *de muneribus & honoribus.* *Magistris*, inquit ille, *qui ciuilium munerum vacationem habent, item Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philosophis, ne hospitem reciperent, a Principibus fuisse immunitatem indultam, & Diuus Vespasianus & Diuus Hadrianus rescripserunt.* Quo respiciunt & Pauli verba, quae habentur eodem quinquagesimo libro, titulo *de Vacatione atque excusatione munerum: Angariarum praestatio & recipiendi hospitis necessitas & militi & liberalium artium Professoribus inter caetera remissa sunt.* Eo autem factum est, vti praeter Medicos, Grammatices & Philosophiae & Rhetorices Professores, & quidem hi inter doctores soli, immunitate illa aliisque priuilegiis frui coeperint. Certe ad solos illos spectasse tum quidem temporis isthaec priuilegia, sole clarius est ex Commodi Imperatoris verbis, quae recitat Modestinus libro vicesimo septimo Pandectarum, titulo primo, qui *de Excusationibus* inscribitur. Verba Modestini sunt: *Est autem Imperatoris Commodi constitutionibus inscriptum capitulum ex epistola Antonini Pii, in qua manifestatur, & Philosophos habere immunitatem tutelarum. Sunt autem haec verba : Consimiliter autem his omnibus Diuus pater meus mox ingrediens principatum, constitutione existentes honores & immunitates (*nempe quae iam ante illum coeperant.*) firmauit, scribens: Philosophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos, immunes esse gymnasii, sacerdotii, & neque ad frumenti & vini & olei emtiones, & praepositiones, & neque iudicare, neque legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi.* Verum sine discrimine concessa haec immunitas non potuit non multum saepe turbarum dare, subtrahentibus scilicet sese nimium multis publicis oneribus. Eapropter restrinxit idem Antoninus Imperator priuilegia haec ad certum aliquem numerum, communitati Asiae rescribens. Verba ipsa Imperatoris, quoniam digna sunt, quae hic audiantur, adducam ex eodem Modestini loco. *Minores quidem ciuitates possunt*

SVPPL. LVI.

113

possunt quinque Medicos immunes habere, & tres Sophistas, (hi sunt Rhetores,) *& Grammaticos totidem: maiores autem ciuitates septem, qui curent, quatuor, qui doceant vtramque doctrinam: maximae autem ciuitates decem Medicos, & Rhetores quinque, & Grammaticos totidem. Supra hunc autem numerum ne maxima quidem ciuitas immunitatem praestat. Decet autem maximo quidem numero vti Metropoles; secundo autem, quae habent vel forum causarum vel loca iudiciorum; tertio autem reliquas.* Addit de suo Modestinus: *Excedere quidem hunc numerum non licet, neque sententia Senatus, neque alia qua adinuentione: minuere autem licet, quoniam pro ciuilibus muneribus apparet hoc tale factum. Et vtique non aliter de immunitate hac fructum habebunt, nisi decreto Senatus inscripti fuerint numero concesso, & circa operationem se negligenter non habeant.* Ex eo ergo penes Decuriones fuisse videtur, inserere Medicos, Philosophos, Grammaticos, & Rhetores numero immunium ciuium. Inuito sane illi Ordini nemo obtrudi potuit, ceu de Medicis diserte cautum est constitutione (e) Diocletiani & Maximiani Caesarum. Atque hoc est illud ex Imperatoribus modo adductum: *Medicis oportere decreto Decurionum immunitatem tribui.* Et illud: *Iudicio Ordinis probatus decretum curialium mereatur.* Nec *probatissimi* in ipso Valentiniani & Valentis rescripto alii censendi videntur, quam qui fuere Ordinis Decurionum. Imo hic ille videtur esse *coetus amplissimus*, cuius iudicio submittuntur Professores Constantinopolitani, ex constitutione Theodosii Caesaris illa, quae conficit titulum quintumdecimum duodecimi Codicis Iustinianei libri. Quanquam quaesitam in his etiam ipsorum Philosophorum aliorumque magistrorum, vt & ex parte studiosae ipsiusmet adolescentiae, sententiam, per sit verosimile. 114

IX.

Licet vero ampla adeo potestas Decurionibus fuerit concessa, tamen praescriptum immunitate gaudentium numerum ne Iustiniani quidem aeuo licuit Decurionibus excedere.

(e) Vid. *tit. de Medicis & Professoribus.*

dere. Etenim Diocletiani Maximianique ea de re decretum, legem primam tituli quadragesimi sexti libri decimi Codicis sui, qui *de Decretis Decurionum* inscribitur, esse voluit ipse Iustinianus. Verba ita se habent: *Exceptis, qui liberalium studiorum antistites sunt, & qui medendi cura funguntur, Decurionum decreto immunitas nemini tribui potest.* Ex quibus verbis manifestum vtique est, ne tum quidem Decurionibus fuisse licitum, immunitatem aliis, quam Medicis, Grammaticis, Rhetoribus, & Philosophis tribuere, vt qui soli liberalium studiorum antistites semper audierunt.

X.

Scilicet ne Iuris quidem doctoribus, tametsi ea professio inprimis honorata esset, dari, nisi Romae duntaxat, tum temporis potuit ea, quae reliquis Professoribus, immunitas. Quod tametsi ex supra dictis satis per sese liqueat, cum illorum vtique nunquam inter immunes fiat mentio; magis tamen manifestum est ex verbis Modestini, quae duodecimo paragrapho, loco legis sextae, tituli *de Excusationibus*, primi, inquam, in libro vicesimo septimo Pandectarum, esse voluit ipse Tribonianus. Sunt illa: *Legum vero Doctores in aliquo praesidatu remissionem non habebunt, Romae autem docentes a tutela & cura remittuntur.* Vnde claret, tum quidem conditionem illorum fuisse infra immunitatem alio-
115 rum docentium. Postilla Theodosius & Valentinianus Caesares, vt aliis Professoribus in vrbe Constantinopolitana docentibus, ita & iurisperitis vicariam dignitatem impertierunt: non omnibus tamen, sed demum *cum ad viginti annos iugi ac sedulo labore peruenissent.* Quid? quod haud iniuria dixeris, Triboniani primum cura Romani Iuris doctoribus Professorum ac Medicorum antiqua priuilegia concessa esse. Hic enim princeps videtur *doctores legum* inseruisse illi Con-

stantini

ſtantini Magni conſtitutioni, quae hodie eſt lex ſexta Codidis Iuſtinianei *de Profeſſoribus & Medicis:* vt omnem illam conſtitutionem miris modis immutauit. Recitabo illam, prout habetur in Anianea Theodoſiani Codicis epitome: *Medicos, Grammaticos, & Profeſſores alios literarum, immunes eſſe cum rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident, & honoribus fungi, in ius etiam vocari eos vel pati iniuriam, prohibemus. Ita vt, ſi quis eos vexauerit, centum millia nummorum aerario inferat, a magiſtratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipſi hanc poenam ſuſtineant. Seruus eis ſi iniuriam fecerit, flagellis debeat a ſuo domino verberari coram eo, cui fecerit iniuriam: vel ſi dominus conſenſerit, viginti millia nummorum fiſco inferat, ſeruo pro pignore, donec ſumma haec exſoluitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & ſalaria reddi praecipimus. Quoniam grauiſſimis dignitatibus vel parentes vel domini & tutores eſſe non debent, fungi eis honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus.* Haec ſunt ipſiſſima Caeſarum verba, nulla Iuris doctorum facta mentione. Sed & omnino ad perpaucos trahi potuit immunitas ipſa a Iuſtiniano nouiter conceſſa. Vtpote cum nonniſi tribus in vrbibus, & a paucis admodum doctoribus, Ius doceri ille inſtituerit: & ſatis conſtet, Iuridicam ſcholam vtramque, quae Beryti, & quae Romae fuit, ſtatim a Iuſtiniani aeuo concidiſſe.

XI.

Verum quo prolabor? Id volebam, nequaquam oſtendi poſſe ex Iuſtinianeis quidem legibus, ea etiam tempeſtate inualuiſſe, quem nunc laudamus, ſcholarum noſtrarum morem, probandi idoneos, eosque multis priuilegiis atque honoribus auctoritate publica exornandi. Quanquam enim forte Decuriones optimorum artificum conſilio vſi ſint, (quod videtur innui lege octaua & decima tituli ſaepe laudati *de Medicis & Profeſſoribus,*) ipſa tamen poteſtas concedendi immunitatem iſtam penes Decuriones ſolos ſtetit. Quod multum a noſtris moribus differt. Quid? quod ipſamet Archiatrorum cooptatio videatur ordini Decurionum commiſſa, 116

Diſſer.

SVPPL. LVII. Diserte enim Valentinianus & Valens Caesares ad Olybrium Praefectum vrbis scripsere: *Si quis in Archiatri defuncti est locum promotionis meritis aggregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis, qui in Ordine reperientur, vel eo amplius iudicantibus idoneus approbetur.* Ad Praetextatum tamen, itidem Vrbis Praefectum, videntur paulo aliter iidem Caesares statuisse. *Quod si huic Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis aut aliqua fortuna decerpserit, in eius locum non patrocinio praepotentium, non gratia iudicantis, alius subrogetur; sed horum omnium fideli circumspectoque dilectu, qui & ipsorum consortio & archiatriae ipsius dignitate & nostro iudicio dignus habeatur, de cuius nomine referri ad nos protinus oportebit.* Haec Caesares. Quae ideo referimus, vt pateat saltim, non multum tributum tunc esse collegii alicuius vel Medicorum vel Professorum sententiis, plus vero Decurionum suffragiis. Vt vero aliquid etiam tum valuerint ipsorummet Professorum iudicia, tamen a nostris moribus quantum omnia illa abfuerint, vel hinc manifestum est, quod approbationes illae omnes ad solam Professorum constitutionem pertinuerint, & quidem eorum, qui reapse isthoc munere fungebantur.

117 Non enim temere ausim accedere doctissimis viris, ea, quae titulo Codicis, *vt dignitatum ordo seruetur*, traduntur, ad doctores etiam aut magistros trahentibus: quasi & ipsi in totidem fuerint ordines distincti, quot ibi recitantur: vtpote cum ille integer titulus agat de dignitatibus Illustribus, cuiusmodi non fuit habitum munus Professorium. Et vero cum ea aetate quinque fuerint dignitatum (f) gradus titulis suis distincti, *Illustris* scilicet, *Spectabilis*, *Clarissimus*, *Perfectissimus*, & *Egregius*, nullo horum titulorum Professorium ordinem videas decoratum. Non enim, qui Dorotheo, Theophilo, Anatolio, & Cratino a Iustiniano tribuuntur, ratione Professorii, sed aliorum munerum, quibus simul functi

(f) Vid. Panclrollus *cap.* 2. 3. & 4.

functi sunt illi, Iuris doctores, adscripti sunt. Iuris antecessorem vero, in quantum est talis, non nisi *Prudentissimum* audiisse, vt Rhetorem *Eloquentissimum*, facile perspectu est ex ipsis illis Iustiniani (e) rescriptis, quae tamen titulorum prodiga pene dixeris. Nec inuenias facile, factam mentionem aliorum Professorum, quam duntaxat eorum, qui reapse functi sunt docendi officio, aut vocationem meruerunt.

XII.

Caeterum Ordinis probationem, in Legibus Romanis memoratam, ad nostra scholarum instituta non facere, iam est manifestum. Traxeris vero isthuc fortassis maiori verosimilitudine illud, quod alibi videtur legi de pallio Sophistico Athenis vsitato. Verum nec illud quicquam cum nostris moribus habet affine. Perspicuum id cuiuis erit, vbi in medium adduxero, quae illa de re in Μυριοβίβλῳ suo doctissimus Patriarcha Photius (f) ex Olympiodori *Historiarum libris* commemorat. In hunc autem modum ille interprete Andrea Schotto: *Sed & de pallio Sophistico memoriae prodidit, nemini (praesertim autem externo homini) Athenis id gestare licuisse, nisi Sophistarum suffragio gestatio eius illi concessa, dignitasque ista Sophistarum legum ritibus esset confirmata. Ritus autem, qui peragebantur, tales erant. Primum ad publicum balneum deducebantur, qui nouitii aduenissent, siue parui, siue grandiores, atque inter hos etiam ii, qui per aetatem ad pallium sumendum apti erant: quos in medium protrudebant Scholastici, a quibus deducebantur. Deinde aliis praecurrentibus atque prohibentibus, aliis protrudentibus & contra tendentibus; quotquot autem prohibebant, vociferantibus: Sta, sta, non laua: nihilominus tamen in certamine ii videbantur obtinere, qui in honorem scholastici, quem deducebant, obsistentes retrudebant. Tandem post longam moram, multamque ob illata ex more vltro citroque verba contentionem, in calidam cellam inducitur, ibique abluitur. At postquam se induit, pallii dignitatem accipit, atque exinde cum pallio a balneo, celebri & honorifica stipatus pompa, digreditur*

SVPPL. LVIII.

SVPPL. LIX.

118

(e) Vid. *Codex de vet. iure enucl.*

(f) In *Biblioth. Cod. XI.*

ditur, decretis luculentis ſumtibus in ſcholarum Antiſtites, qui dicuntur Ἀκρωμῖται. Haec Photius ex Olympiodoro, qui hiſtorias ſuas inſcripſerat Theodoſio minori circa initia ſaeculi Chriſtiani quinti. Quis vero haec audiens non intelligit, petulantis iuuentutis ſcholaſticae hunc ludum fuiſſe inuentum in exagitationem nouiter aduenientium? imo fuiſſe prorſus illum, quo ſeſe, cum Rhetorices ſtudioſus eſſet, Athenis exceptum ſcribit Eunapius Sardianus; atque adeo illud, quod ne S. Baſilius, Alexandria recenter Athenas ſtudiorum rhetoricorum gratia adueniens, pateretur, interceſſione ſua effectum, teſtatur Gregorius Nazianzenus.

XIII.

Alienum quidem ab hoc loco eſt, de ineptiis illis adducere huc, quae illi memoriae mandauerunt: quoniam tamen forte fortuna in hunc ſermonem incidimus, & obſeruare ita liceat aliquid ſimile illi nouitiorum initiationi per Germanicas Academias receptae, quam *Cornuum depoſitionem* nuncupamus, fortaſſis licebit hac narratiuncula diffindere nonnihil (vt ita dicam,) inſtitutam diſſertationem. Et vero quidni liceat in hac panegyri recitare, quod ipſemet ſanctiſſimus antiſtes Gregorius inter magni & grauiſſimi Epiſcopi, Baſilii, inquam, laudes condimenti loco eſſe voluit? Recitabimus autem non ipſamet Graeca ſcriptorum verba, ne cui graues ſimus, ſed qualia Gregorii quidem Nazianzeni Iacobus Billius, Eunapii autem Hadrianus Iunius, viri clariſſimi, Latine prodiderunt. *Inſano quodam erga Sophiſtas*, ait ſanctiſſimus (f) Gregorius, *ſtudio Athenis tenentur quamplurimi & ſtolidiſſimi adoleſcentes; non modo ignobiles & obſcuri, ſed nobiles etiam & illuſtres, vt qui miſcellanea quaedam multitudo ſint, & iuuenes, & ita affecti, vt eorum impetus vix reprimi poſſit. Quod igitur in equeſtribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis & ſpectaculis oblectantur, (exiliunt enim, clamant, puluerem in coelum mittunt, ſedentes habenas moderantur, aërem verberant,*

911

(f) Orat. XX. edit. Pariſ. Morellianae.

rant, (f) *equos digitis quasi stimulis in alterum latus subinde iungunt, cum nihil horum in ipsorum potestate situm sit: facile inter se aurigas, equos, equorum stationes, certaminis duces permutant: idque quinam tandem? pauperes plerumque atque inopia laborantes, & quibus ne in vnum quidem diem victus suppetit:) hoc ipsis quoque plane circa praeceptores suos, aliosque eiusdem artis professores, eorumque aemulos, accidit: in hoc nimirum laborantibus, vt & plures ipsi sint, & illos opera sua locupletiores efficiant. Atque ea res vehementer absurda & prodigiosa est. Praeoccupantur vrbes, viae, portus, montium cacumina, campi, solitudines, omnes denique Atticae & reliquae Graeciae partes, atque adeo incolarum maxima pars. Nam & illos in partes & studia distractos habent. Cum autem iuuenis quispiam accesserit, atque in eorum, a quibus captus est, manus & potestatem venerit, (venit autem vel sponte vel coactus,) tum vero Attica haec illis consuetudo est, ludusque rei seriae admixtus. Primum apud eorum aliquem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio excipitur vel amicorum, vel propinquorum, vel qui eiusdem sunt patriae, vel qui Sophistices artem apprime callent, ac lucra magistris conciliant, eoque nomine apud eos in summo honore ac pretio sunt: quandoquidem illis mercedis loco est, habere, qui ipsorum commodis studeant. Deinde a quolibet cauillis lacessitur: quod quidem, ni fallor, eo faciunt, vt nouitiorum animos contrahant, atque a principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab aliis audacius, ab aliis eruditius: prout ille vel rusticis & ineptis est moribus, vel vrbanitate praeditus. Atque id ignaris quidem horrendum valde & inhumanum videtur, iis autem perquam iucundum, & suaue, qui hoc prius norunt. Amplior enim est haec minarum ostentatio, quam res ipsa. Tum per forum ad balneum cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi iuuenis munere funguntur, ordine collocati, atque aequis spatiis distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem propius accesserint, quasi fanatico furore correpti clamorem ingentem cum saltitatione tollentes, (hic autem clamor, ne vlterius progrediantur, vetat, sed vt stent, tanquam eos balneum minime admittat:) simulque pulsatis ianuis, cum per strepitum iuueni metum incusserint, postea concesso ingressu ita demum eum in libertatem asserunt, atque a balneo redeuntem deinceps vt aequalem ac sodalem accipiunt. Atque hoc ipsis est totius huiusce ceremoniae iucundissimum: nimirum ab his, qui (g) molestiam exhibe-*

120

(g) *De vitis Sophistarum, in Proaeresio.*

hibent, quamprimum liberari. Tunc igitur meum magnumque Basilium non ipse solum veneratione prosequebar, (quod illius tum in moribus grauitatem, tum in sermonibus maturitatem & prudentiam conspicerem:) sed aliis etiam, quibus non perinde cognitus erat, vt idem facerent, persuadebam. Nam apud multos statim in veneratione erat, vt qui fama & auditione iam eum praecepissent. Ex quo effectum est, vt solus fere ex omnibus, qui studiorum causa Athenas veniebant, communi lege solutus sit, maiorem vtique honorem, quam nouitii conditio ferre videbatur consecutus. Hactenus Nazianzenus. Eunapius vero Sardianus paulum Gregorio iunior de semetipso ita (g) narrat: *Hic appulerat in Piraeum portum circa primam noctis vigiliam, inter nauigandum febre vehementi correptus. Aderant nauigationis socii non pauci e propinquis ac necessariis. Circa illud noctis tempus antequam aliquid e consuetis ministeriis fieret,* 121 *nauclerus (erat enim Attici ciuis propria nauis, & multi ex his, qui in hunc, quam in illum, ludum studio propensiore feruntur, in portu stabant iuxta pilam, qua fit descensio:) recta Athenas contendit, caeteris vectoribus vna currentibus, ipse scriptor pedibus insistere inualidus, per manus sublatus in vrbem deportatur. Erat iam nox concubia, quo tempore sol ad austrinam plagam inclinatior longiorem facit noctem, quippe qui libram subierat, nocturnaeque vigiliae protractiores erant. Nauiculator, vetus olim Proaeresii (*hic erat primarius Rhetorices professor,*) hospes, pulsis foribus, tantam comitum turbam domum illius inuexit, sicuti fit, vbi de adolescente vno aut altero bellum oritur, vt ea turba aduenarum totum sophistarum gymnasium expletura videretur. Horum alii corporis robur colligebant; alii in opibus deliciabantur; pleraque pars medio loco erant: at scriptori, qui graui conflictabatur morbo, veterum scripta solum in labris versabantur. Itaque domus laetitia perstrepere, viri pariter ac foeminae vltro citroque discursare, hi risum edere, illi salibus iocisque indulgere. Ea hora Proaeresius consanguineos suos, Anatolium & Maximum, ad se euocatos iubet aduenas excipere: (erat autem ipse ex Armenia interiore, qua Persarum regioni est contigua, oriundus:) qui, vt habitabant in vicinia, mox imperata facere & hospites excipere. At iuuentus in balneo cum omni ostentatione hilaritatis in sales risusque soluebantur, lotique simul abibant. Sed scriptor animi aeger gliscente vi morbi consumebatur interim, quod nec Pro-*

aeresii

aeresii nec vrbis adspectu frui posset, quasi per somnium ea cernere, quorum tenebatur desiderio, visus. Non multo post idem Eunapius: *Porro diuinus ille Proaeresius, qui scriptorem historiae nunquam viderat, vicem tamen eius deplorarat antea. Postquam de insperata atque incredibili salute certior factus est, conuocatis ad sese praecipui nominis & eruditionis discipulis, laudare apud eos instituit opus* 122 *virtutis & praestantiae manuum* (medicarum,). *Equidem videor mihi, inquit, accepisse beneficium, restituta huic adolescenti incolumitate, quem tamen nondum oculis sum intuitus: vehementerque fui commotus, cum ita contabesceret. Quod si gratificari mihi velitis, publico eum balneo expiate, dicteriis salibusque parcentes, proque filio meo habete.* Hactenus etiam Eunapius. Vnde iam manifestum est, Athenis saeculo quarto & quinto petulantis iuuentutis hanc vesaniam in scholis Rhetoricis inualuisse. Num vero eadem infectae fuerint & Grammaticorum Philosophorumque scholae, non perinde liquet. Imo dixeris, solos eloquentiae studiosos magistrosque solennia isthaec insaniuisse, cum ad solos hosce adstringantur omnia ab iis, quos dixi, optimis illius aeui scriptoribus. Fortassis tamen & alia loca, si non eadem, certe par stultitia ac petulantia occupauit. Pessimos enim ludos, eiusdem certe cum Atheniensibus notae, Iuris quoque Romani scholam cum Constantinopoli, tum Beryti, collutulasse, (ne quid grauius dicam,) & quidem adhuc Iustiniani Caesaris aetate, vetat nos dubitare ipsum Caesaris interdictum. Addemus Imperatoris verba, ne quid illarum ineptiarum veterum desideretur. *Illud vero*, ait (h) Imperator, *satis necessarium constitutum cum summa interminatione edicimus, vt nemo audeat, neque in hac splendidissima ciuitate, neque in Berytiensium pulcherrimo oppido, ex his, qui legitima peragunt studia, indignos & pessimos, imo magis seruiles, & quorum effectus iniuria est, ludos exercere, & alia crimina vel in ipsos Professores, vel in socios suos, & maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perueniunt, perpetrare. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? Hoc enim fieri nullo patimur modo, sed opti-*

(h) *Lege 3. Cod. de vetere Iure enucleando.*

mo ordini in nostris temporibus & hanc partem tradimus, & toto postero transmittimus saeculo: cum oporteat prius animas, & postea linguas, fieri eruditas. Et haec omnia in hac florentissima ciuitate Vir excelsus, Praefectus huius almae Vrbis, tam obseruare, quam vindicare, prout delicti tam iuuenum, quam scriptorum qualitas exegerit, curae habebit: in Berytiensium autem ciuitate tam Vir clarissimus, Praeses Phoeniciae maritimae, quam beatissimus eiusdem ciuitatis Episcopus, & Legum Professores.

123

XIV.

Caeterum de hisce petulantis iuuentutis scholasticae ineptiis ὡς ἐν παρόδῳ fortasse plus, quam satis est, dictum. Reuertendum nunc tandem in viam. Nec tamen est, cur porro doceamus, neque Graecos neque Romanos quicquam simile collationibus titulorum apud nos receptis habuisse, sed omnes illorum mores scholasticos a nostris multum fuisse diuersos. Hoc enim iam tum reddidimus clarissimum, remotis iis, quae veritati fucum facere videbantur.

XV.

Non abs re autem facturi fortasse sumus, si de IVDAEORVM institutis nonnihil adiiciamus, antea quam ad tempora propinquiora aggrediamur: praesertim cum, sic satis affinia nostris illa fuisse, non obscurum collectu sit. Igitur res Iudaicas penitius intuentibus apparet, post redditam populo Regum Persarum beneficio libertatem, seu potius post mitigatam asperam illam a Babyloniis inflictam seruitutem, duplicis generis fuisse Scholas sacrae legi discendae: alias publicas, alias priuatas. Publicae habitae fuerunt cum in templo Hierosolymis, tum in Synagogis, quae appellabantur: quales in vna vrbe Hierosolymitana, vt & alibi, vbi maior fuit Iudaeorum multitudo, complures fuisse ex *Apostolicorum* (i) *Actuum* libro manifestum est, quando Synagogae

SVPPL. LX.

(i) *Act. VI. 9.*

gogae Hieroſolymitanae Libertinorum, Cyrenenſium, A- 124 lexandrinorum, Cilicum item & Aſiaticorum, diſerte memorantur,nec obſcure (k) ſignificatur,Damaſcum quoque ſynagogas varias habuiſſe. Non autem vrbibus tantum, ſed & frequentioribus vicis ſynagogae ſuae fuerunt: quantum colligere eſt ex verbis quibusdam Matthaei Euangeliſtae, quae leguntur hodie capite (l) nono. Audiebant autem illae Synagogae alio nomine προσευχαὶ, Romae praeſertim, quod nos docent Satyrae. In quibus cum preces minus Graece & humili dictione paſſim inſtituerentur, Epicuri ſermonem ſoloeciſmi accuſans Cleomedes ſcribit, verba eius quaedam eſſe tanquam ex mediis proſeuchis petita. Τὰ δὲ ἀπὸ μέσης τῆς προσευχῆς καὶ τῶν ἐπ᾽ αὐτῆς προσαιτούντων Ἰουδαϊκά τινὰ καὶ παρακεχαραγμένα, καὶ κατὰ τὸ πολὺ τῶν ἑρπετῶν ταπεινότερα. Hic enim, quem diximus, ſenſus eſt huius loci: quem minime aſſecutus fuit interpres, Georgius Valla. Nec vero quis miretur, Synagogas a me ſcholarum ordini accenſitas. Recte enim (n) Philo: Τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια τὶ ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρίας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς. Et vero non tantum verba Legis diuinae ac Prophetarum in iis legi, ſed etiam exponi populo ſolere, notiſſimum eſt. In priuatis ſcholis item Legis interpretatio docebatur: ſic ſatis inepte quidem plerumque, a Phariſaeis cumprimis & Sadducaeis, magna tamen cura, nec exigua in vulgus opinione. Vtrobique illi, qui docebant, interim, dum verba diuini Codicis legerentur, ſtetiſſe quidem, inde autem ſediſſe videntur, & quidem in cathedra aliqua loco editiore. Huc ſane ſpectare merito dixeris (o) illa: Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι. Cathedra nimirum illa profeſſoria audiuit *Moſis cathedra*; cum quod exil-

SVPPL. LXI.

(k) *Act. IX. 2.* (l) *Verſu 35.* (m) *Lib. II. de Sphaera.*
(n) *Legat. ad Caium.* (o) *Matth. XXIII. 2.*

ex illa lex Mosis doceretur, tum fortassis, quoniam magistrorum magna pars sibimetipsis parem pene, atque Mosi, auctoritatem arrogaret. Verum hoc prolixius enarrare, alienae est operae.

XVI.

In Synagoga porro, quibus quidem ordinarium docendi munus incumbebat, (quod propius nostro argumento est,) illos in id non nisi certis legibus certisque ritibus admissos, non vtique sine manuum impositione, dixeris: quoniam idem obseruauerint in Ecclesiarum doctoribus Christiani. Extra ordinem, fateor, & aliis interdum factam facultatem, verba ad populum faciendi, archisynagogi permissu. Quale legimus & Christo nostro & sanctis Apostolis contigisse. Etiam sic tamen delectus aliquis indubie est habitus. Obseruatum hoc ipsum fuit etiam (p) Tertulliano. *Sed etsi* (inquit,) *passim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optime cognito, & explorato, & probato iampridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato.*

125

XVII.

In priuatis scholis (saltim nonnullis, & quidem Pharisaeorum maxime,) videtur itidem probatis discipulis collatus publico testimonio titulus *Magistri* aut διδασκάλȣ siue *Rabbi*. Et quidem Iudaei ferunt, neminem hoc cognomento olim Hierosolymis audiuisse, nisi qui a Synedrio testimonium doctrinae accepisset. Verum hoc vix est verosimile, vtpote cum Synedrii partem Sadducaei non minus, quam Pharisaei, fecerint. Ecquis sane crediderit, Sadducaeos admissos in probationem magistri Pharisaici, cuiusmodi erant plerique eorum, qui *Rabbi* indigetabantur? Sed & ipsimet Iudaei fatentur, ἐν ταῖς διασποραῖς testimonium a scholarum praefectis dari solitum, perinde vt nunc mos obtinet. Eoque non

SVPPL. LXII.

(p) *Lib. IV. contra Marcionem.*

non eſt, quod ſuſpicemur, plane aliud quid Hieroſolymis fuiſſe obſeruatum, cum, Hieroſolymitanos magiſtros reliquis praelatos eſſe, haud queat temere reddi probabile. Hi vero ſunt illi in Euangelicis monumentis alias appellati γραμματεῖς quidem paſſim, ſed nonnunquam & νομικοί. Falli enim Epiphanium, dum exiſtimat, γραμματεῖς fuiſſe ſectam aliquam Iudaicam, qualis erat Phariſaeorum, Sadducaeorum, & Eſſenorum; falli item Scaligerum, Maldonatum, & alios, qui νομικοὺς (q) interpretantur actuarios publicos; multis hic probare, nihil attinet. Hi porro ſunt celebres in Euangelica hiſtoria *Rabbi*, διδάσκαλοι ac νομοδιδάσκαλοι. Nihil inſolentiae ſapientibus vocabulis, niſi ab ipſis iam tum olim fuiſſet vulgo perſuaſum, eos, qui cognomentum illud meruiſſent, omnino tales eſſe, a quorum ſententiis nemini ex populo fas ſit diſſentire. Quapropter illo demum ſenſu id genus tituli a Saluatore noſtro ſunt damnati: quoniam ſcilicet reuera ipſe vnicus eiusmodi nominis menſuram implebat, vnus tunc diuinorum dogmatum conditor & ἀνυπεύθυνος interpres. Ferunt Iudaeorum (r) nonnulli, circa Chriſti noſtri aeuum paucis aliquot, interque eos potiſſimum Simeoni & Gamalieli, datum auguſtius nomen *Rabban*, ſed quod poſtea obſoleuerit, tanquam maius ſubſequentis temporis captu. Ante hoc ducentos tamen annos exemplo Chriſtianorum, qui non *Magiſtros* tantum, ſed & *Doctores* honorant, iterum ordo & gradus ſapientium maior introductus eſt, qui *Maranan* (quaſi tu dicas, Chriſtianos inter Europaeos recepta tum conſuetudine, *Magiſtri noſtri*,) nuncupantur.

XVIII.

In mores itaque Iudaicos intuens haud iniuria fortaſſe dixeris, apud hos Academica noſtra inſtituta quaſi prima

R ſua

(q) Vid. Buxtorfii *Synag. Iud. cap.* 1. & Chriſt. Gerſon *Thalmudis Iudaici lib. I. cap.* 27. *p.* 256. & *lib. II. cap.* 15. *p.* 522.
(r) Gerſon ex *Zemach David p.* 241. & 251.

ſua veſtigia poſuiſſe. Nec tamen temere affirmauerim, ad eorum exemplum noſtra haec compoſita eſſe: vtut longe ſit veriſſimum, Chriſtianorum ECCLESIAS ex Synagogis Iudaicis enatas eſſe. Enimuero vt ritus ſacros, Baptiſmi cumprimis & Euchariſtiae, ex Iudaicis nonnihil deflexos ſuos fecit Chriſtus ipſemet, ita & nihil olim moris laudabilis habuit Synagoga, quod in vſum Eccleſiae non ſit receptum, ſic conſtituentibus ipſismet Apoſtolis. Placuit videlicet & his publicum illud ſcholae ſacrae popularis genus: cuiusmodi gentilitas omnis nusquam quicquam habuit. Nec aliud pene in Eccleſia datum munus (s) Epiſcopo ſiue τῷ προεστῶτι, quam quale fuit archiſynagogi: officium & nomen idem τῶν πρεσβυτέρων, qui διάκονος Eccleſiae, ille Synagogae fuit ὑπηρέτης. Hinc & ordinatio ad Synagogae exemplum inſtituta eſt per χειροθεσίας accedentibus precibus: qui erat ritus communis Iudaeorum inuocandi Deum ſuper aliquo homine. Nec initio diſplicuit mos, etiam extra Presbyterium poſitis concedendi nonnunquam facultatem docendi in corona: ceu apparet ex iis, quae diſſeruntur in primae ad Corinthios epiſtolae decimoquarto capite. Imo alibi ille ſat eſt diu retentus: quod diſcimus ex Euſebio, qui Origenis aliorumque exemplo probat, λαϊκοὺς ὁμιλεῖν οὐκ ἀνείθιστον, id ſi fiat τῇ τοῦ προεστῶτος ἐπιτροπῇ: id quod paſſim fieri ne hodie quidem deſiit, quando ſacrarum literarum ſtudioſis nondum ordinatis, vti loquar Eccleſiaſtico more, homilias ad populum habendi facultas conceditur.

127

XIX.

Aſt priuatum illud alterum Iudaicae ſcholae genus nusquam a primis quidem Chriſtianis introductum, niſi forte Alexandriae (t) ex inſtituto S. Marci. Ibi ſane in vſu fuit iam tum ſecundo ſaeculo ſub Ammonio & Pantaeno magiſtris. Collatio tamen tituli magiſtralis, quae Iudaeis ita recepta

(s) Vid. Epiphanius titulo *de Ebionitis*. (t) Vid. Hieronymus *de ſcript. eccl.*

cepta erat, ne ibi quidem probare se potuit: indubie, quod huiusmodi nomina a Iudaeis in ambitiosum sensum vsque adeo tum essent corrupta, vt sine superbiae siue nota siue opinione, illo quidem tempore, in vsum trahi commode non posse viderentur. Quapropter etiam verosimile non est, ad Iudaicos mores respexisse eos, qui primi hoc ipsum inter Christianos instituerunt. Quamuis alicubi *Magistris nostris*, qui appellantur, haud minus pene a quibusdam attributum videas, quam Iudaeorum Rabbini sibi arrogauerunt. Quaecunque vero causa primos Christianos fecerit abstinere passim ab illo altero scholarum sacrarum genere, id certum est tamen, ab initio vsque Ecclesiae Presbyterorum, adeoque doctorum Ecclesiasticorum, creationem aliquam per solennem manuum impositionem vnice semper & probatam & obseruatam esse. Nec minus constat, Iudaeos non tantum Synagogicos magistros, sed & alios νομοδιδασκάλους, siue Rabbinos, iam per saecula complura singulari quodam ritu constituisse. Et vero hodieque (u) idem inter illos obtinet. Qui enim dignus creditur isthoc nomine, ille a primario cuiusque loci Rabbino in Synagoga publice talis proclamatur, addita excommunicationis comminatione, si quis aut nomen aut honorem Rabbinorum ordini debitum haud illi deferat. Idque ipsum scriptis tabulis confirmatur. Iudaeis ceremonia haec *Semichut* appellatur: quod ita creatus Rabbi iam talis existimetur, cuius sententiis tuto liceat fidere. Quam ineptis vero saepenumero titulus ille conferatur, ne ipsi quidem Iudaei audent diffiteri: ceu liquet ex iis, quae de Rabbi Abrahami Cabalistico libro transtulit Christianus Gerson, Iudaici sanguinis & doctus & pius scriptor.

128

SVPPL. LXIII.

XX.

VERVM Iudaicis illis enarrandis fortasse nimis diu immoramur. Ad ea, quae reliquimus, tempora ROMANI IMPE-

(u) Vid. Christ. Gerson *lib. I. Thalmudis Iudaici cap. 27. p. 257.*

IMPERII redeat oratio nostra. Ac florentibus quidem Romanorum rebus nec in Graecia nec alibi iam obtinuisse nostrum hunc creandi Doctores morem, nec alios tum doctrinae magistros siue doctores audiisse, quam qui reapse docerent, omnes meministis, a me liquido ostensum esse. Exceperunt autem eam aetatem, collabascentibus Romani Imperii fulcris, MAHUMEDANORUM studia. Quanquam vero alias vberius sit narratum, eam gentem scholarum institutione atque in literas liberalitate longo interuallo Graecos pariter ac Romanos superasse; illius tamen nostri moris vestigia ego quidem in illorum monumentis hactenus nulla reperi.

129

XXI.

Fortassis tamen dixeris, ab Arabibus Muhamedanis ad Tataros, ab his ad Sinenses, profluxisse, vt alia, ita etiam id, quod hodieque in nobilissimo SINARUM regno Mandarini aliique Sapientes Indorum istorum obseruant. Prolixius nonnihil illud Iacobus Pantogia perscripsit in Europam ex illa ipsa remotissima orbis parte. Licebit tamen fortassis in hac panegyri integram viri narrationem recitare bona auditorum pace: vti obiter liqueat, quantum & illae gentes cum nostris institutis conueniant siue ab iis recedant. *De magistris* (ait (x) Pantogia,) *nihil constitutum est publice, sed docere cuilibet licet: & dare operam cuilibet magistro, in singulorum est manu. Proinde carent etiam ratione explorandi a primo eorum doctrinam, qui in nullo adhuc literario honore sunt: sed quicunque eo euehi studet, quolibet tertio anno ad vrbem prouinciae caput sponte proficiscitur: vbi magnus eorum numerus, qui id expetunt, probatur & excutitur. Atque ex iis ii soli in optato gradu collocantur, quorum compositissima scripta iudicata fuerint: reliqui vacui domum redeunt, certi, studia vrgere diligentius, qui proximis comitiis probare se iudicibus, & honorem adipisci possint. Tres sunt eruditorum gradus, tribus illis nostris similes Baccalaureorum, Licentiatorum, Doctorum. Omnium horum candidatis eadem praecipitur adscribendum materia, & scribendi modus. Traditur illa pridie, confestimque omnes in amplissimas aedes* de

(x) Vide *Literas Iesuitarum Indicas anni 1603.*

deducuntur, vbi conclauibus inter se disclusi nullam habent facultatem vel verbum inter se conferendi. Ad hoc hominem certum singulis adiungunt, qui eos cum quoquam loqui vetet: cauentque studiose, ne quis vel chartam digitali longitudine secum afferat, qua in re valde sunt seueri. Nihil iis dant praeter atramentum, chartam, & lucernam: definiunt viginti quatuor horas, intra quas orationem elaboratam esse oporteat. Ea res sic homines sollicitos habet, vt nonnulli elapsis viginti quatuor horis, ita confecti consumtique prodeant, vt paulo post intereant: quod potissimum Licentiae & Doctoratus petitoribus solet accidere. Caeterum quamuis confectae ab se orationi quilibet nomen suum adscribat, iudices tamen & Mandarini ea non inspiciunt. Adhibent siquidem celeres librarios, qui, quod singuli scripserunt, omisso nomine describant; ac deinde ipsa autographa claudant, obsignent & diligenter custodiant. Apographa dantur iudicibus, hominibus omnium eruditissimis: qui ignari, cuiusnam sit quodlibet opus, neque vllo relicto gratiae loco, sincere ea scripta deligunt & seponunt, quae ornatiora censuerint. Vbi renuntiandi sunt, qui puncta tulerint, autographa cum apographis comparant, atque ita, quinam ii sint, cognoscunt & promulgant. Qua in re tam sunt attenti & cauti, vt, quisquis alicuius doli compertus suspectusue fuerit, loco suo moueatur, sit licet vnus quispiam principum Mandarinorum: quod in altero & tertio gradu obseruatur seuerius. Primum gradum assecutus, multis ipse vniuersaque familia facultatibus immunitatibusque eximius est: sed eum necesse est tamdiu iudicibus iterum atque iterum doctrinam suam pertentandam praebere, donec tertium gradum contigerit: quod ea gratia fit, ne studium remittat. Hac necessitate non est adstrictus, qui necdum vllum eruditionis titulum sustinet. Fit etiam saepenumero, vt, qui hac lege tenetur, neque tamen gnauiter incumbit in studia, de primo, quem iam consecutus erat, gradu, non sine probro & dedecore deturbetur: multi item, quod vltra ascendere nequeant, in primo consistunt. Eadem est alterius gradus ratio. Accedunt, qui iam ad primum peruenerant, non tamen omnes, sed qui delectu habito ad examen admissi fuerint, quod priori longe est accuratius & honorificentius. Huius alterius ordinis tot sunt in qualibet prouincia, quot Rex esse permiserit, qui, vt quamque ornatam desiderat, quod maiorem minoremue literatorum numerum ferat, aut simili aliqua de causa, ita huius ei honoris facultatem indulget. In hoc

130 131

 honore

honore constitutus, cum libuerit, Mandarinatu ornatur, & Reip. gubernaculis admouetur: non tamen iis adhuc muneribus, quae tertio ordini propria sunt, dignus esse iudicatur. Singulis, qui pro tertio gradu periculum sui facere cupiunt, Mandarini e pecunia regia certum ducatorum numerum dant, quo in regiam proficisci, & specimen suae eruditionis, quod quolibet triennio fieri solet, dare possint. Qui spe frustrantur, iterum atque iterum exspectant: dum tandem vel decrepiti, quod optant, assequantur. Horum candidatorum numerus ita definitus est, vt plures trecentis quinquaginta esse non possint: quos inter censeri multa alterius ordinis millia certatim appetunt. Ad hunc vltimum statum qui peruenerit, nihil iam habet, quo vltra progrediatur: neque in hoc genere quicquam arbitrantur accidere posse fortunatius. Ex his trecentis quinquaginta pro scriptionis cuiusque elegantia duae classes eximiae conficiuntur. Prior tres continet omnium praestantissimos, quorum vnus eminet. In hos Rex praecipue munificus est: ac, simul electi sunt, etsi etiamnum adolescentes sint, inter primos proceres palatii numerantur. Altera classis triginta est vel quinquaginta reliquis insigniorum, qui Mandarini palatii fiunt. Qui supersunt, sparsi per prouincias, extemplo Mandarinatu & munere aliquo siue in regia siue foris in prouinciis decorantur. Vti deinde compertum fuerit eos remp. gerere, ita vel porro euehuntur, vel, quod interdum accidit, abiecti honoribus exuuntur. Quilibet Doctor quamprimum eo honore potitus est, in patria sua aedium liminibus eam domum Doctoris inscribit: omnes exinde ei domui honorem faciunt, & fores quibusdam quasi arboribus cingunt, quas singuli eius vrbis Mandarini cum expanso vexillo ad eum mittunt, atque inibi perstant in posterum. Ei vero, qui Doctorum primus renuntiatur, arcum triumphalem perinsignem erigunt. Hactenus recitauimus verba Pantogiae, fortassis abusi patientia, vestra. Tempus est, vt longe dissitas illas gentes relinquamus.

132

XXII.

In EVROPAM igitur atque ad nostra tempora propius vt accedamus, ab anno quidem vsque octingentesimo floruit Parisiis Liberalium artium schola, cui non multo post accessit Theologica: sed, ipsorum quoque Parisiensium

um confessione, titulorum illa collatio primis certe tribus saeculis, hoc est, in annum vsque millesimum centesimum, nullo in vsu fuit. Illo autem saeculo duodecimo refloruit quoque iterum Bononiae demortua dudum Romani Iuris Professio: fuitque illa tempestate schola illa Regia vnica in Italis pariter & Germanis, qui soli scilicet Romani Imperii censebantur: ast, iam tum ibi nostra haec sacra viguisse, nemo temere probauerit. Etsi enim haud nesciam, nonnullos eius rei institutum in Lotharium Caesarem aut Fridericum referre, quasi horum aliquis primum Scholae Iuridicae Bononiensi eam facultatem tribuerit; vereor tamen multum, vt possit probari monumentis priscis, neue ex quadam arrogantia isthaec afferantur. Neque vero Authentica Friderici *Habita*, quae legitur Codice *Ne filius pro patre*, facit huc vel hilum: vtpote quae de Studiosis loquatur, & quidem Legum maxime disciplinae deditis, qui nempe soli tum Bononiae; de Doctoribus autem & Magistris, iis praesertim, qui non profitentur, ne γρῦ quidem habeat.

XXIII.

Floruerunt autem eodem tempore in Neapolitano regno duae etiam insignes Medicorum scholae, Salerni altera, altera Neapoli. Qui tum rerum ibi est potitus, Rogerius, Siciliae vtriusque (vti loquuntur,) Rex, & Salerni Princeps, singulari lege de *probabili experientia Medicorum* lata, cauit quidem, ne quis medicinam exerceat, nisi prius a magistratibus & iudicibus probatus, idque adeo, vt, qui fecerit secus, bonis omnibus spolietur. Verumtamen hanc Rogerii legem nostris institutis Academicis conuenire, haud facile persuaseris: cum probandi facultas non Artis Magistris, sed magistratibus committatur. Propius ad mores nostros accedunt Siculae aliquot constitutiones Friderici Caesaris, quas antehac ex hoc loco a me recitatas forte adhuc meministis, itidem

133

itidem Artem Medicam facturis praefcriptae. Iis enim ius poteftasque probandi omnes, qui Artem velint exercere, Magiftris Salernitanae fcholae (y) tribuitur, adiecto certo & fixo quodam ftudiorum Medicorum ordine. Sed & alias in medium attulimus AEgidii Corbolienfis de Salernitanis eius faeculi Magiftris querelam, quod docendae faciendaeque Artis poteftatem indoctis iuuenibus committerent. Vnde perfpicuum eft, iam tum faltim haud multum noftrae confuetudini abfimile quid in regno Neapolitano, apud Medicos quidem, inque fchola Salernitana, auctoritate regia incepiffe. Verumenimuero AEgidii quidem illius aetas in confinia faeculi duodecimi & decimitertii incidit: & Fridericus ille Caefar non Barbaroffa nofter, eft, fed eius nepos, id nominis fecundus. Eoque hisce teftimoniis tantum hoc euincitur, illa circiter tempeftate in Medicis fcholis iacta initia noftri moris. Et vero nondum hinc liquet, num extra illud regnum idem obtinuerit: aut num in aliis fcholis perinde fuerit admiffa probatio ifta atque exploratio idoneorum artificum.

XXIV.

Enimuero Alexandro III. Pontifice, qui fedit ab anno 1160. vfque ad 1182. nullam fuiffe *Theologiae Magiftrorum* folennem aliquam lauream, liquido oftendunt, quae continentur 134 l. v. Decretalium tit. v. *de Magiftris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* Nam in canone quidem Concilii Lateranenfis, Alexandro illo Pontifice habiti, fimpliciter pronuntiatur, ad docendum admitti debere omnem, *qui fit idoneus.* Ipfemet Alexander praecipit, *vt, quicunque viri idonei & literati voluerint regere ftudia literarum, fine moleftia & exactione qualibet fcholas regere permittantur.* Ne quidem verbulo autem fignificatur, idoneum quemuis probari debere poft facta examina. Ab illo tempore vsque annum CIↃCC XXXIII. iti-

(y) Vid. fupra p. 100.

itidem tale quid nondum fuiſſe vſu, apud Theologos quidem, receptum, colligo ex iis, quae de Pariſienſis ſcholae, quae vnica ſacram doctrinam tum expoſuit, inſtitutis paulo poſt ex Ioanne Fileſaco recitabimus. Quo fit, vt haud liceat temere fidem habere Onuphrio, narranti in *Chronico Ecclesiaſtico*, Innocentium III. Pontificem, poſteaquam in Pariſienſi gymnaſio aliquandiu ſtudiis vacaſſet, *Doctoris Theologi* honores ibi conſecutum. Teſtatur tamen Gabriel (z) Naudaeus, Vir Clariſſimus & bibliotheca quaedam ἔμψυχος, Gregorium IX. Papam Bullae, Academiae Pariſienſi anno trigeſimo primo ſaeculi duodecimi (rectius dixiſſet *decimi tertii*,) miſſae, haec verba inſeruiſſe: *De Phyſicis autem & Artiſtis Cancellarius promittet, bona fide examinare Magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos.* Ex quibus manifeſtum eſt, tum quidem illam, quae nunc obtinet, laudabilem conſuetudinem fuiſſe in vſu, ſaltim inter Medicos & Philoſophos. Si autem inter illos, quidni & in ſcholis Theologicis ac Iuridicis? Quin ſimile eſt vero, auctore Gregorio illo IX. Papa omne illud inſtitutum coepiſſe, & huius imitatione Fridericum II. Caeſarem per eadem tempora idem in regno ſuo Neapolitano a Medicis voluiſſe obſeruari. Quicquid ſit, extra dubium eſt, ſaeculo Chriſtiano tertio decimo apud Theologos, Iuriſconſultos, Medicos, Philoſophos honorum titulorumque collationem noſtram vſu receptam eſſe. Et quidem initium, ſi non omnium, ſaltim plerorumque, fortaſſe factum eſt in GALLIA. Id ſane inde fit probabile, quoniam vocabulum *Baccalaurei* mere Gallicae eſt originis & vſus: qua tamen voce primi honores ſemper & paſſim terrarum poſt appellati ſunt. Poſt, inquam: nam & antehac fuiſſe, ſed alio ſenſu, receptam, patet ex *c.* 1. *l.* 5. *Hiſtoriae* Glabri Rodulphi, Cluniacenſis in Gallia monachi.

SVPPL. LXIV.

135

(z) *Lib. de antiq. Scholae Medicae Pariſ. p.* 18.

XXV.

Verum hoc ſive credat quis ſiue neget, haud equidem in magno ponam diſcrimine. Satis mihi nunc eſt, recitaſſe verba Ioannis Fileſaci, Sorbonici Doctoris, etſi & alias a me adducta ſint. Ita autem (a) ille: *Philippo Augusto Rege* (is autem Galliam rexit ab anno vsque 1180. vsque ad ſequentis ſaeculi 1223.) *nullae aut paucae leges, vt nec ſolennes ritus & formulae, ad curriculum Theologicum emetiendum, vel Doctoralem lauream adipiſcendam. Sed, vt ego arbitror, prout quisque in rerum Theologicarum cognitione ſub Theologis, qui publicas habebant ſcholas, profeciſſet, communi velut auditorum conſenſu ad libros Veteris aut Noui Teſtamenti ſeſe accingebat.* Idem non multo poſt (b) ſcribit: *Cum ſcioli quidam &c., qui vix Theologiam deguſtaſſent, illud publicum docendi munus vltro ſibi arrogarent, Doctorum melioris notae, qui tum erant, iudicio Ordo ille Theologicus formam legitimae ſocietatis tum primum habere coepit. Hinc leges nonnullae ſcriptae, & quidem ante annum trecenteſimum ſuper milleſimum: quod ex vtroque codice MS. noſtrarum legum, tum antiquiore, tum recentiore, firmari poteſt.* Haec Fileſacus. Et recte quidem. Nam Pariſienſis Theologicae ſcholae leges quod attinet, innituntur illae magnam partem mori iam tum recepto interpretandi *libros Sententiarum* Petri Lombardi: hic vero ante Philippum Auguſtum regem non coepit. Eam ſane legum iſtarum eſſe rationem, agnoſcit ipſemet (c) Fileſacus. *Ne in Facultatem Theologicam* (ait,) *etiam imperiti irrumperent, hinc ſacra Theologica Facultas in quatuor velut ordines diſtributa, Magiſtrorum, Licentiatorum, Baccalariorum formatorum, & Baccalariorum curſorum. Inde publicae exercitationes indictae, (actus Theologicos appellant,) Expectatoria ſiue Expectativa, Tentatoria ſiue Tentatiua, Sorbonica, Ordinaria, Quodlibeta, Collationes, Diſputationes in reſumtis, & ſimilia. Iis Theologicis progymnaſmatibus originem dediſſe videtur, quae tum inualuit conſuetudo, publice videlicet interpretandi libros Sententiarum.*

Svppl. LXV.

136

Eiusdem

(a) *Lib. de orig. Status. Fac. Theol. Pariſ. p. 21.* (b) Ibidem *p. 22.*
(c) Loco cit. *p. 27.*

Eiusdem Filesaci verba etiam haec (d) sunt: *Bibliae cursum dixere veteres sacrae Scripturae tempus aliquod addictum. Ab eo vero docendi munere Theologicum cursum suum ordiebantur nuperi illi Baccalarii Cursores, ac postea Sententiarum Petri Lombardi libros quatuor interpretabantur. Hinc nata illa distinctio Baccalariorum apud maiores, vt alii Biblici, alii Sententiarii nuncuparentur.* Huiusmodi profecto leges ante saeculum tertium decimum non sunt conditae. Nec vero antehac quisquam in *Magistrum Sententiarum* est commentatus. Trithemius (e) sane primo Ioanni de Rupella, Alexandri de Ales familiari, idipsum attribuit. Nec Sorbonica, quae nuncupantur, fuerunt vtique ante Robertum Sorbonam. Adhoc si ceremonias videamus, ante Innocentium IV. Papam non videtur fuisse in vsu purpureus galerus Doctoralis, vtpote cum huic Papae ipsimet Cardinales galerum suum debeant, teste Papirio (f) Massono. Princeps quoque Nicolaus IV. Papa fertur Parisiensibus indulsisse, vt ibi approbati Doctores facultatem habeant, vbique docendi, legendi, regendi, quodque alibi debeant pro Doctoribus aestimari. Id quod inter Doctorum priuilegia praecipuum est. Et tamen non est verosimile, alibi coepisse, antequam Parisina illa nobilissima omnium schola tanto beneficio est affecta. Meretur vero & hoc notari: Filesacum, diligentissimum scholae suae antiquitatum indagatorem, ex monumentis siue tabulis vetustis laudasse non nisi duos, qui ipso saeculo tertio decimo Theologiae Doctores Parisiis creati sint, Aegidium nempe Columnam, quem Romanum vulgo nuncupamus, Thomae Aquinatis discipulum ac sectatorem, & Petrum de Tarantasia, illum, qui Pontificatum indeptus Clemens IV. postea audiuit. Non, quod non plures ibi integro saeculo titulum illum sint consecuti, sed quod certis testimoniis destituamur, si accurate morum nostrorum tempora fuerint definienda.

SVPPL. LXVI.

137

 Quod

(d) Ibidem *p.* 43. (e) Libro *de script. eccl.*

(f) *Lib. V. de Vitis Pontificum.*

Quod tamen nisi fiat, omnia confuse docentur: quemadmodum ab imperitis coquis iura confundi solent.

XXVI.

Verum quod Parisiis quidem paene iam ab initio vsque saeculi tertii decimi omnis generis Doctores fuerint creati, satis superque est manifestum. Alibi terrarum, vbi similes Scholæ tum floruerunt, itidem statim hoc ipsum inualuisse, nihil est, cur dubitemus. Certe circa initia saeculi quarti decimi passim malos mores in laudabile hoc institutum irrepsisse iam, liquido apparet ex Concilii Viennensis decreto illo, quod inter *Clementinas* suas promulgauit Clemens V. Pontifex. Non possum non illud hic recitare, quoniam rem omnem mirifice illustrat, simulque ostendit, quam facile optima quaeque instituta degenerent, nisi exacte caveas. *Cum sit nimis absurdum*, (ait(g) Papa,) *vt quis cum vanitate & imperitia ad honorem ascendat peritiae literarum; non sine turbatione miramur, illum apud Scholasticos inualuisse abusum, quod plerique eorum, qui in quauis scientia ad Doctoratus vel Magisterii assumuntur honorem, cum sua solenniter principia faciunt, aut sui recipiunt insignia Doctoratus, circa cibos, vestes, & alia sic in expensis excedunt, quod & ipsi, transeunte expensarum huiusmodi vanitate, vacui plerumque remaneant & grauati: & caeteri, qui vel nolunt vel nequeunt similes expensas subire, hac occasione frequenter a receptione honoris huiusmodi retrahantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio prouidere, illis, ad quos vbilibet pertinet, honorem tribuere memoratum, districte praecipimus, vt quoscunque ab eis de caetero dictum recipientes honorem iuramento prius adstringant, ne vltra tria millia Turonensium argenteorum in solennitate circa huiusmodi Doctoratum aut Magisterium quomodolibet adhibenda expendat. Ipsosque nihilominus, (nisi forsan nobilis conditionis exti-*

138

SVPPL. LXVII.

(g) *Lib. V. Clement. tit. 1. cap. 2.*

extiterint,) vt intra summam praedictam huiusmodi moderentur expensae, efficaciter adhortantes, ac, si hoc illorum congruere statui viderint, iuramentum exigentes ab eis, quod certos intra summam praefatam taxandos ab ipsis expensarum terminos non excedant. Si quis autem Pontificali etiam dignitate praefulgens, non recepto prius iuramento praefato, honorem cuiquam tribuerit supradictum, a collatione Magisterii seu Doctoratus cuiuslibet per sex menses sequentes eo ipso nouerit se suspensum. Hactenus Clemens. Cuius verbis claudam nunc, quem hucusque institui, sermonem: praesertim cum dudum senserim, vocari me ad illud, quod huic panegyri maxime est proprium: vt nimirum eximiis hisce duobus viris promeritos honores publice conferam.

DISSERTATIO QVINTA, HABITA II. IANVAR. ANNO CIƆ IƆCXL.

139 1640

cum Magistratus Academici munus aggrederer. Hic agitur de ortu Iurisdictionis Academicae.

IN non leui sane negotio hodie versamur, quando ciuitatem hanc Scholasticam, tam numeroso florentium ciuium coetu insignem, regendi administrandique potestas ab vno in alium deuoluitur. Omnia enim spectantibus Academiarum scholarumque instituta, nescio an quid aliud siue augustius, siue quod magis in rem sit eorum, qui literis dant operam, temere possit occurrere. Enimuero, multa praeclara ab AEgyptiis, Chaldaeis, & Persis, a Graecis, a Romanis, ab Arabibus, ab aliis gentibus, in literarias scholas illas maximas collata, fateor: nihil tamen animaduerti hactenus, quod mereatur comparari cum iuris illa dicundi potestate, qua nunc Academiae, quae vocantur, inprimis gaudent. Vel hoc vno certe felicior hodie conditio est discentium ac docentium, quam olim. Tametsi enim, ma-

gno in pretio olim fuiſſe literatos viros, ac in primis magiſtros melioris doctrinae, certum ſit, nec egeat probatione; ad hunc tamen felicitatis gradum ne aſpirare quidem tum licuit. Certe nihil ſimile obſeruare eſt in omnibus retro ſaeculis apud omnes gentes: ne apud ipſos quidem Graecos, qui tamen vulgo creduntur eruditionis maximi cum cultores, tum aeſtimatores. Iam tum ſaepenumero a me hoc ex loco ea de re verba facta ſunt. Oſtenſum enim, quam vilis olim etiam apud ipſos Graecos fuerit hominum doctorum conditio; longe vero hos ſuperatos ab AEgyptiis, ab Arabibus, a Perſis, aliisque populis, quos illi Graeculi vti barbaros contemſerunt. Deducta porro eſt per omnia ſaecula ad vsque duodecimum Chriſtianae aerae ſcholarum omnium hiſtoria. Ex qua luculente, niſi admodum me fallo, patuit, cum multa alia inſtituta, quibus hodie ſtant potiſſimum vigentque Academicae respublicae, hactenus fuiſſe ignota; tum & propriam aliquam iurisdictionem Academicam neutiquam fuiſſe in vſu.

140

II.

Et vero, vt poſterius nunc multis iterum probemus, nihil eſt profecto cauſae. Si cui tamen nondum in mero meridie ſol ille veritatis lucet, primum cogitet, quod in nullis monumentis antiquis legere ſit, animaduertendi in iuuenes deditos ſtudiis literarum fontes vim poteſtatemque ſeorſim aliis, quam qui ciuili magiſtratu funguntur, conceſſam eſſe. Vt autem memoria eius rei inter tot doctorum ſcripta ad nos non perueniſſet, ſi illa obtinuiſſet vsquam, ἓν eſt τῶν ἀδυνάτων. Cogitet deinde, quemadmodum ipſae Romanae leges, quae tamen immunitates & ſalaria magiſtris decreuerunt, ſecus quam factum fuerat a Graecis, cum aliorum magiſtratuum, tum Decurionum iudiciis ipſos met doctores ſubiecerint. Saeculo quarto, quo tempore maxima fuit, ſub Romanorum quidem

dem Imperio, literas colentium libertas, ipſis Athenis Atticis Proconſuli paruiſſe Profeſſores omnes, & quae ad eorum cathedras pertinent, luculente apparet ex iis, quae de Proaereſii in Sophiſticam cathedram cooptatione prolixe narrat Eunapius Sardianus. Ipſius quoque Scholaſticae iuuentutis animaduerſionem vnius fuiſſe Proconſulis ius, itidem diſcere eſt ex iis, quae idem ſcriptor αὐτόπτης diſſerit in *Vita Juliani Sophiſtae* de tumultu per Studioſos quosdam excitato, & ſuper illa re inſtituto a Proconſule publico iudicio. Conſtantinopoli ſtudioſam iuuentutem ſub iurisdictione Praefecti Vrbis, Beryti item ſub imperio Praeſidis Phoeniciae maritimae, fuiſſe, idque ipſomet Iuſtiniano approbante, liquet ex iis, quae a Caeſare iſto ſunt conſtituta in eos, qui ſeruiles nonnullos ludos petulanter exercebant. Nam quod Beryti & Epiſcopus & Legum Profeſſores in partem fuerint tracti a Iuſtiniano, id videtur ad ſolam illius petulantiae coërcitionem pertinere. Verba Caeſaris (a) ſunt: *Et haec omnia in hac quidem florentiſſima ciuitate vir excelſus, Praefectus huius almae Vrbis, tam obſeruare, quam vindicare, prout delicti tam iuuenum, quam ſcriptorum, qualitas exegerit, curae habebit: in Berytienſium autem ciuitate tam vir clariſſimus, Praeſes Phoeniciae maritimae, quam beatiſſimus eiusdem ciuitatis Epiſcopus & Legum Profeſſores.*

SVPPL. LXVIII.

141

III.

Quantum apparet, ſaeculo demum duodecimo coepit reipublicae hoc ſcholaſticae genus conſtitui. Inde ortus hic ſplendor: inde haec felicitas noſtra. Quidni enim in felicitatis parte collocemus, quod rudium imperitorumque hominum, qui plerumque literis literarumque ſtudioſis minus eſſe aequi ſolent, foro & iudiciis ſubducti ſimus? Sub initium eius ſaeculi vniuerſa Europa vnicam duntaxat habebat

(a) *L. omnem Cod. de veteri iure enucleando.*

bat ſcholam publicam Pariſienſem, qua rudior quaedam & Philoſophia & Theologia, vt tum erant tempora, non male docebatur. Non multo poſt doceri publice Bononiae in Italia coepit Ius Ciuile Iuſtinianeum, cuius per quammulta ſaecula auctoritatem ipſi Itali & Romani vix leuiter obſeruauerant. Id factumne ſit publica Caeſaris lege, quod vulgo perſuaſum eſt, an priuato potius Irnerii ſtudio, aliorumque conſilio, non ego nunc dixerim. Neque enim huc attinet diiudicare: & alibi (b) id iamtum multis eſt diſputatum. Quicquid autem huius ſit, id videtur conſtare, ibi primum iurisdictionis Academicae fundamenta iacta eſſe.

142

IV.

Annus agebatur a nato Seruatore poſt milleſimum centeſimum octauus (c) quinquageſimus, cum in Roncaliis (qui campi ſunt Italiae late patentes ſupra Padum, non procul a Placentia, loco conuentibus publicis Imperii procerum olim percelebri,) comitia celebraret prudentiſſimus fortiſſimusque Germanicorum Caeſarum, Fridericus primus, is, qui vulgo cognomento Barbaroſſa audit. Vim ſane *Authenticae* verbis faciunt, qui (d) omne hoc negotium Friderico II. attribuunt: etſi hunc auo doctiorem fuiſſe, adeoque literatorum ordini impenſe fauiſſe, lubens & vltro confitear. Sed iam eo, quo diximus, tempore videntur multi ſtudiorum gratia patriis laribus relictis ad illos eruditionis mercatus quidem commigraſſe, qui tamen interim a viliſſimis ſaepe hominibus, qui literatorum ordini neſcio quo naturae vitio ſolent eſſe infenſi, indignis modis haberentur. Ei rei vti occurreret, vtque in poſterum meliore conditione viuerent Scholaſtici, tulit Caeſar laudatiſſimus, *habita* tamen, vt ipſe loquitur, *ſuper hac re diligenti inquiſitione Epiſcoporum, Abbatum, Ducum,*

(b) Vid. liber meus *de orig. Iur. Germ. cap. 21.*

(c) Vide tempus ipſi *Authenticae* ſubſcriptum.

(d) Bodinus *lib. III. de Rep.* & Rebuffus *ad Authent.*

Ducum, omnium Iudicum, (qui ſcilicet praeerant iudiciis liberarum Italiae vrbium,) *& aliorum Procerum ſacri palatii examinatione*, illam *authenticam*, quae *Habita* audit, & Caeſare ita volente Codicis Iuſtinianei titulo *Ne filius pro patre* annexa eſt. In qua & alia nonnulla ſunt iis, qui ſtudiorum gratia peregrinantur, conceſſa, tum illud inprimis, quod erepti indoctorum hominum foro, optione data vel Epiſcoporum vel Dominorum loci vel Magiſtrorum iurisdictioni ſeſe ſubiicere tum potuerint. Verba Conſtitutionis Caeſareae digna profecto ſunt, quae hic audiantur atque expendantur accuratius. *Verum tamen*, inquit Imperator, *ſi litem eis quisquam ſuper aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione data Scholaribus, eos coram Domino vel Magiſtro ſuo, vel ipſius ciuitatis Epiſcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conueniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere tentauerit, etiamſi cauſa iuſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat.* Haec ſunt illa verba, quae Academicae iurisdictionis exordium praebuerunt: exordium, inquam, & occaſionem primam. Nequaquam enim cum illis poſſum facere, qui omnem Iurisdictionis Academicae vim Conſtitutione hac vnice niti profitentur: ignari, non eſſe eam legum iſtarum auctoritatem, vti & ſequentia obligare ſaecula poſſint, aut populos Imperio Germanico minime ſubditos. Qui & hoc ignorare aut certe non attendere videntur, a ſententia illius Conſtitutionis eam, qua nunc gaudent Academiae, iuris dicundi conſuetudinem haud parum diuerſam eſſe. Ac prior quidem error & iam alias eſt a me caſtigatus, &, quoniam valde eſt communis, patetque latiſſime, ac respublicas multas iam conuulſit, nec non inpoſterum queat conuellere, iterum vberius aliquanto eſt refellendus. Sunt enim, qui illis Caeſarum legibus parem paene vim adſcribant, atque aeterno naturae iuri, diuinisque coelitus latis conſtitutis. Qua opinione tamen forte nec abſurdius quicquam eſt, nec in publicum exitioſius. Caeterum

SVPPL. LXIX.

143 SVPPL. LXX.

terum quam diuersa sit mens illius laudatissimae *Authenticae* a consuetudine ac moribus iurisdictionis Academicae, quae nunc passim obtinet terrarum, non difficile est videre, si quis verba Constitutionis cum iis, quae obtinent, velit contendere.

V.

Forte autem operae fuerit pretium, si vel ego breuibus nunc exponam *Authenticae* sensum: quoniam in hunc campum sentio me deferri, nec ab hoc die id alienum est. 144 Primo autem loco occurrunt obseruanda illa: *Si litem eis quisquam super aliquo negotio mouere voluerit.* Enimuero quinam intelligantur voce *eis*, facile ex sequentibus constat *Authenticae* verbis, vbi soli scholares nominantur, quotquot nempe studiorum causa peregrinantur. Etsi enim ante & Professorum facta fuerit mentio, haec tamen optio fori ad solos Scholares diserte restringitur. Quo patet, tum quidem, atque hacce *authentica*, Professores nondum a foro ciuili esse liberatos. Id vero inprimis notandum, respexisse hac Constitutione Caesarem *Scholares*, (hoc nomine autem Italis veniunt hodieque illi, qui nobis *Studiosi* aut *Studentes* vulgo audiunt:) & quidem illos, qui *studiorum causa peregrinantur.* Ex quo facile est concludere, voluisse Caesarem pertinere haec priuilegia ad Scholares, non tantum, quando degunt in locis, vbi scholae habentur publicae, verum etiam si alibi degant, modo in itinere sint & studiorum gratia peregrinentur. Nam profecto &, qui est in itinere, peregre est. Ita autem interpretanda illa Caesaris verba, cum consuetudo loquendi indicat, tum scopus Caesaris, qui peregrinantium securitati voluit consultum, quae in ipso itinere vel maxime laborat. Vt nunc taceam, in eadem Constitutione diserte dici, beneficium Scholaribus indulgeri, vt non tantum iis in locis, in quibus literarum exercentur studia,

SVPPL. LXXI.

dia, ſecure viuant, ſed etiam, *vt ad illa* veniant. Scholaribus ergo ſeu Studioſis, qui ſtudiorum gratia peregrinantur, vbiubi vixerint, ſi quis litem velit intendere, fori optionem dat Caeſar. Nec vero eſt, quod miremur, optionem eſſe datam fori. Erat quippe iſthac aetate conſuetudine receptum apud Italos per omne Longobardorum regnum ex Lotharii primi Caeſaris inſtituto, liberum arbitrium, eligendi etiam iura ipſa ſiue Romana ſive Langobardica ſiue Salica Francorum, ſecundum quae licebat cuique viuere, & in iudicium tracto iudicari, ſi id publice eſſet profeſſus. Eoque fori optio nihil tum quidem inſolens habuit, aut a moribus alienum.

SVPPL. LXXII.

145

SVPPL. LXXIII.

VI.

Eſt autem paulo preſſius videndum, qua de lite Caeſari ſermo ſit. Permultum enim refert. Poteſt enim lis intendi & de cauſa criminali, & de cauſa ciuili, & de cauſa eccleſiaſtica: quae profecto differunt plurimum. Perdifficile autem fortaſſis eſt exponere Caeſaris mentem: cum interpretes doctiſſimi diuerſa admodum ſentiant. Vt autem, quid ipſe exiſtimem, praefiſcini ſubiungam, principio arbitror, nequaquam agere Caeſarem de cauſa, quae ad forum Eccleſiaſticum ea iam aetate pertinuit. Nec enim, quae tum erat facies reipublicae, licuit amplius Caeſari cauſam a foro Eccleſiaſtico deducere. Tum vero ideo fori optio data Studioſis, ne ab hominibus indoctis patiantur iniuriam: id autem de Eccleſiaſticis iudicibus, Epiſcopis, inquam, vel ſuſpicari, illa profecto tempeſtate fuit nefas. Accedit, quod Caeſar dicat, ſeſe *Magiſtro & Epiſcopo* in controuerſiis Studioſorum iurisdictionem dediſſe. Non autem datur alicui illud, quod iam habet. In Eccleſiaſticis autem negotiis iam habebat tum Epiſcopus iurisdictionem.

VII.

Caeterum maior controuersia est de causis criminalibus, an & illas comprehenderit Caesar *litis* voce, nec ne. Neque enim desunt, qui vsque adeo id negant, quasi non tantum Caesar de criminalibus non fecerit verba, verum etiam quasi non potuerit facere: quod scilicet merum imperium, ad quod spectant criminales causae, concedi nullo iure possit vel debeat Academico collegio. Non desunt contra, qui prorsus aliud profitentur. Quorum omnium argumenta cum alii recitant, tum prolixe refert Matthias (e) Stephanus. Caeterum inter haec dissidia mediam sequi sententiam, forte fuerit tutissimum. Videtur enim, vt falsa est illorum opinio, qui merum imperium Academiis omnibus abiudicant, quasi aut concessum nulli sit aut concedi iure nulli possit; ita & illos permultum falli, qui in *authentica* hac Friderici meri imperii causas quoque intelligi volunt. Non patitur institutum, terere nunc tempus diuersarum partium rationibus aut examinandis aut refellendis: satis forte est, eas, quae me ita faciunt sentire, in medium proponere. Et vero cum Caesar diserte tantum dicat, *si quis litem eis super aliquo negotio intenderit*, quis non statim intelligit, de ciuilibus & pecuniariis negotiis solis sermonem esse, neutiquam vero de capitalibus? De his certe non valere voces *negotii* & *litis*, sed de illis, cum alias consuetudo loquendi indicat, tum optime monitum iam olim est a Iuris Romani magistris *l. litis ff. de verbor. significationibus*, & alibi. Deinde dicit vtique Caesar nihil aliud, quam se *iurisdictionem* dedisse Magistro & Episcopo. At iurisdictio non est merum imperium: quique dat tantum iurisdictionem, merum imperium non dedisse censendus est. Profecto si & hoc imperium illis concessisset Caesar, non praeteriisset hoc vtique saltim verbulo monere. Non enim interpretatione nimis benigna ampli-

1. 2. 3.

andum

(e) *Lib. III. de Iurisdictione Part. II. cap. 12.*

andum eſt Caeſaris donum, vt quod coniunctum ſit cum deminutione quadam iurisdictionis, quae loci domino competit. Quid? quod Fridericus ſecundus, Barbaroſſae nepos, Neapolitanam Academiam inſtituens expreſſis verbis ita ſanciat: *Omnes Scholares in ciuilibus ſub eisdem Doctoribus & Magiſtris debent conueniri.* Quae ſanctio habetur apud Petrum (f) de Vineis, Cancellarium illius Caeſaris, libro *Epiſtolarum* tertio. At hoc Friderico II. nullus Germanici ſanguinis Imperator aut doctior fuit, aut literatis literarumque ſtudioſis magis fauit. Qui ergo ad ciuilia ſola reſtrinxerit, quae auus Caeſar, fortis quidem, indoctus tamen, etiam ad criminalia extenderat? Taceo nunc, vel illud ſolum forte ſufficere huic ſententiae probandae, quod antiquiſſimi legum interpretes & qui proxime a Friderici I. aeuo abfuerunt, ad ſola ciuilia priuilegium hoc reſtringant. Eſt autem inprimis maximi ponderis interpretatio illa, quae aeuo legis ſcriptae quam eſt viciniſſima. Non diffiteor tamen, iam Accurſii aetate videri nonnullos Bononiae ad criminalia quoque traxiſſe Caeſaris hanc conceſſionem, repugnante autem Senatu Bononienſi vrgere id amplius deſiiſſe. *Per Scholares* (ait ille,) *& Doctores renuntiatum eſt Bononiae, quantum ad criminales lites: & ſic ſeruatur, exceptis Clericis.*

4.

147

5.

VIII.

In ſolis itaque CIVILIBVS negotiis & litibus optionem conceſſit Caeſar Studioſis, iudicem ſibi eligere, & quidem, ceu videtur, vnum ex tribus, non autem alterum duorum. Repetamus verba Caeſaris, quo res fiat expedita. *Huius rei,* inquit, *optione data ſcholaribus, eos coram Domino, vel Magiſtro ſuo, vel ciuitatis ipſius Epiſcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conueniat.* Quibus verbis tres profecto optione data in iudices proponuntur: *dominus* ſcilicet *loci*, *Magiſter*

SVPPL. LXXIV. & LXXV.

 Scho-

(f) Lib. III. epiſt. 11.

Scholastici, & *ciuitatis Episcopus*. Certe accurate verba examinanti non poteſt non videri, Caeſarem liberum reliquiſſe Studioſo, non tantum velit Magiſtrum ſuum, an potius Epiſcopum iudicem, ſed etiam, velitne iudicem Dominum loci. Breuiter itaque omnia vt comprehendam, hic verborum genuinus eſſe ſenſus videtur: Omnes Scholares, qui ſtudiorum gratia peregrinantur, vbicunque etiam degerint, ſiquidem ſuper aliquo ciuili negotio conueniendi ſint, optionem habeant, iudicem ſibi in lite intentata accipere aut Dominum loci, cui alias iam ante competebat iurisdictio, aut Magiſtrum, aut denique Epiſcopum illius ciuitatis, vbi lis intenditur: quibus peculiari indultu Caeſar iuris dicundi poteſtatem largitus eſt. Hic, inquam, eſt ſenſus nobiliſſimae illius *authenticae*, ſine amore & procul affectu partium illarum, in quibus ipſe viuo, quibusque adeo me ſtudere plurimum haud diffiteor, paucis & ſimpliciter expoſitus. Non diſſimulabo tamen, fortaſſis *Dominum* heic non tam loci dominum ſignificare, quam doctorem aut magiſtrum Scholae. Ita ſane ipſemet Accurſius, proximus illi tempori, quo lata eſt authentica, & in ipſa Bononia iuris peritia clariſſimus doctor, vocem illam interpretatur. Et vero illa aetate receptum videtur, vt κατ' ἐξοχὴν *domini* titulo a diſcipulis magiſtri nuncuparentur. Ita Hoſtienſis de Azone: *propter verbum AS venit Bononiam ſtudium ciuile: ſicut audiui a domino meo.*

SVPPL. LXXVI.

148

IX.

Omnino autem illius *Authenticae* ſenſus genuinus tenendus nobis eſt eo accuratius, quoniam illi originem debent Academiae omnes Europaeae, non tantum, dico, Romano Imperio quae accenſentur, ſed & quotquot reperiuntur alibi, ſui, quo fruuntur, liberi regiminis. Et vero ad hoc exemplum demum conſtituta eſt libertas NEAPOLITANAE

omnis

omnis generis disciplinarum Scholae illa, quam nacta est beneficio Friderici II. Caesaris. Non multum ante mentionem eius iam fecimus: meretur autem res ipsa, nec alienum est ab hoc loco & instituto sermone, vti recitemus omnia privilegia, Academiae illi tum concessa, prout paucis illa comprehenduntur in optimi illius Caesaris literis publicis, quibus Scholares, vti loquitur, ad Studium Neapolitanum tum inuitauit: praesertim quandoquidem alias etiam conueniens rebus nostris esse poterit, haec recitasse. *Conditiones* (inquit,) (g) *quas Scholaribus concedimus, erunt istae. In primis, quod in ciuitate praedicta Doctores & Magistri erunt in qualibet Facultate. Scholares autem, vndecunque venerint, secure veniant morando, stando, & redeundo, tam in personis, quam in rebus, nullam sentientes in aliquo laesionem. Hospitium quod melius in ciuitate fuerit, Scholaribus locabitur, pro duarum vnciarum auri annua pensione: nec vltra aestimatio eius adscendet. Infra praedictam autem summam, & vsque ad illam, omnia hospitia aestimatione duorum ciuium & duorum Scholarium locabuntur. Mutuum fiet Scholaribus ab illis, qui ad haec fuerint ordinati, secundum quod eis necesse fuerit, datis libris in pignore, & pro precario restitutis: receptis a Scholaribus fideiussoribus pro eisdem. Scholaris vero, qui mutuum recipiet, iurabit, quod de terra aliquatenus non recedet, donec precaria restituet, vel mutuum ab eo fuerit exsolutum, vel alias satisfactum fuerit creditori. Praedicta autem precaria a creditoribus non reuocabuntur, quamdiu Scholares voluerint in Studio permanere. Item omnes Scholares in ciuilibus, sub eisdem Doctoribus & Magistris debeant conueniri.* Paulo post: *De frumento autem, vino, carnibus, piscibus, & aliis, quae ad victum pertinent, modum nullum statuimus: cum in his omnibus abundet prouincia: quae vendentur Scholaribus, secundum quod vendentur ciuibus, & etiam per contradam.* Hactenus Caesar. Iam ante vero in iisdem literis dixerat: *Insuper Studiosos viros ad seruitia nostra non sine meritis & laudibus conuocamus: secure illis, qui discreti fuerint per instantiam studii, iuris & iustitiae regimina committentes*

149

(g) Vid. Petri de Vineis *lib. III. epist. 11.*

tentes. Quae verba videntur spectare ad regimen illius Academiae siue Studii, vti loquebantur, Magistris commissum. Vt verum tamen fatear, fortassis iam antehac Neapoli, vt & Salerni, eiusmodi libertas, saltem ex parte, obtinuit. Id sane vti suspicemur, faciunt verba eiusdem Caesaris *ad Capitaneum Siciliae super reformatione* (vti habet argumentum epistolae.) *Studii Neapolitani*: quae haec (h) sunt: *Ad hoc igitur tam salubre conuiuium Magistros quoslibet & Scholares hilariter inuitamus: fidelitati tuae mandantes, quatenus praesens beneplacitum nostrum per iurisdictionem tuam solenniter studeas publicare: firmam singulis fiduciam oblaturus, quod immunitates & libertates omnes, quibus OLIM tam in Neapolitano, quam in Salernitano Studiis vti & gaudere sunt soliti, faciemus vniuersis & singulis illuc ire volentibus inuiolabiliter obseruari.* Caeterum vt obtinuerit eiusmodi quaedam libertas iam ante, tamen & hanc ad exemplum illius per Fridericum I. Caesarem concessae ortam, nemo temere diffitebitur.

X.

Etiam PARISIIS serius coepisse, adeoque non nisi ad exemplum illud laudatum constitutam esse Scholae illi suam libertatem, certius paene affirmaueris. Principi sane Ludouico IX. Regi, illi, qui Sanctorum ordini est insertus, tribuunt (i) haec, quae iam recitabimus. *Concedimus & volumus, quod omnes & singuli, de quacunque natione vel regione oriundi, de corpore Vniuersitatis Parisiensis existentes & esse volentes, ad eam accedere, morari, redire, & se, nuntios suos, resque suas vtiles transferre pacifice & libere absque vlla inquietatione possint, sicut melius videbitur ipsis expedire.* Haec autem est ipsa *authenticae* nostrae Caesareae non nisi pars prior. Non dubito autem, & reliqua ab optimo illo Rege addita: vtpote cum certum sit, hunc priuilegiorum & immunitatum concessione

150

(h) Vid. Petrus de Vineis *l. c.* p. 366.

(i) Vid. Middendorpius *lib. VI. de Acad.*

ne Parisiensem Scholam ab imminente interitu vindicasse: quod vno hoc vtique effici non potuit. Rem omnem narrare hic verbis Pauli AEmilii, locupletissimi Gallicarum rerum scriptoris, nihil impedit, imo res exposcere videtur. *Lutetiae*, inquit (k) ille, *florebant liberalia studia: iuuentutis concursus vndique illuc fiebat. Scholastici suorum nonnullos a ciuibus pulsatos conquesti, alii in alia caeterarum vrbium musea concessere. Anglus* (is erat Henricus III.) *proposita ingentium praemiorum, honorum, vacationum, emolumentorum spe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo exiliumque literis indictum videbatur. Rex non minus decoris liberales artes, humaniora studia, sacram disciplinam, cultum ingeniorum Francis, quam arma, afferre praedicans, egregiamque consociationem fore, bellicarum rerum gloria cum diuinarum humanarumque rerum cognitione doctrinaque coniuncta; regiae vrbis ciues ad officium colendosque Doctores discipulosque reuocauit. Suus ingeniis & artibus honor habitus.* Id quasi anno tertii decimi saeculi secundo post trigesimum acciderit, obseruans Joannes Tilius, diligens rerum Gallicarum scrutator, *Chronico* suo haec verba inseruit: *Schola Parisiensium a D. Ludouico restituitur, quae propter motus, iniurias, & caedes scholasticis illatas dilabebatur. Eam autem Rex Angliae ad se pellicere, & Oxoniam instituere studebat.* 151 Haec post Paulum Tilius. Videtur vero, eiusdem Regis Ludouici rogatu Parisiensi Scholae indulsisse Innocentium IV. ea, quae Papirius Massonus (l) commemorat, inquiens: *Auditores Parisiensis Academiae vectigalibus exemit,* (quod tamen quo iure per Pontificem fieri potuerit, haud video:) *& ne extra Lutetiam per literas Apostolicas super litibus inter eos exortis trahantur, primus omnium vetuit Perusii Non. Iunii, Pontificatus anno nono: vt in Chartario eiusdem Academiae inuenio.* Eiusdem Innocentii videtur esse haec (m) ad Vniuersitatem, ceu loquimur vulgo, Parisiensem epistola: *Gratiam vobis*

U *facere*

(k) *Lib. V. Hist.* in rebus Ludouici IX.

(l) *Lib. V. de Vitis Pontificum.*

(m) Vid. Middendorpius *lib. VI. p. 367.*

facere volentes ſpecialem, ſtatuimus, quod nullus in Vniuerſitatem veſtram Magiſtrorum & Scholarium, aut Rectorem vel Procuratores veſtros, cuiuscunque aut quarumcunque Facultatum, ſeu quenquam alium, pro facto vel occaſione ipſius Vniverſitatis, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti audeat ſententiam promulgare, absque Sedis Apoſtolicae licentia ſpeciali. Et, ſi fuerit promulgata, ipſo iure ſit irrita & inanis. Fortaſſis tamen hoc (magnum ſane,) priuilegium denique ab Innocentio VI. profluxit, quem Academiae illi multum indulſiſſe, aliunde conſtat. Vtut vero ſeſe illud habeat, Pariſiis quoque ſerius coepiſſe Scholaſticam illam liberam iurisdictionem, & non niſi ad exemplum eius, quod conſtituerat Fridericus Caeſar, ille fortisſimus id nominis primus, non poteſt nec debet negari.

XI.

Sed antequam pergamus, obſeruanda omnino nobis veniunt etiam illa *Authenticae* noſtrae verba: *Qui vero ad alium iudicem vos trahere tentauerit, etiamſi cauſa iuſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat.* Haec, inquam, verba merentur notari: vtpote cum ſic ſatis graui poena in eos, qui Studioſos trahere nituntur ad forum alienum, animaduertendum Caeſar cenſuerit. Non enim alia verborum mens eſſe videtur, nec aliter etiam illa ab optimis interpretibus vulgo accipiuntur, quam, cauſa etiam iuſtiſſima cadere, qui tale quid conati fuerint. Vt proinde, ſi iidem in foro competenti velint iterum Studioſum conuenire, etiam iuſtiſſimis de cauſis, tamen non ſint audiendi.

152

XII.

Quanquam vero haec tum ita placuerint Caeſarum illi maximo & Imperii Proceribus, qui tamen poſt vixere Caeſares, Reges, Pontifices, haud parum ab iis diſceſſerunt, ex quo frequentiores paſſim terrarum Scholae huiusmodi Vniuerſales, vti vocant, erectae ſunt. Namque vbiuis quidem

dem e medio ſublata eſt illa ſibi iudicem eligendi poteſtas. Vbiuis item loci Dominis iurisdictio in tantum eſt erepta, vt vrbano alicui magiſtratui ſeſe ſubiicere, vbi poſſit habere iudicem alium, Studioſo amplius non liceat, ſi ſane velit particeps eſſe immunitatum & priuilegiorum ordini illi conceſſorum. Certi contra paſſim iudices inſtituti, quorum forum ſequi Studioſus teneatur. Quod dubio procul euenit inde, quia optio illa iudicis non potuit non ſaepe turbas dare, & nocentem reum omni iudicio ſubtrahere: quo nihil eſt pernicioſius in communi vita, praeſertim ſi magnus ſit nocentium numerus.

XIII.

Verum certa illa iurisdictio non vbiuis eodem eſt modo inſtituta. Saeculo enim decimo tertio, nec non quarto decimo, cum rarae eſſent Scholae huiusmodi Academicae, ingens autem iuuenum multitudo literis daret operam, euenit, vt nonnullis in locis aliquot millia ex diuerſis Europae terris conuenirent. Teſtantur (n) annales, vixiſſe aliquando Lutetiae Pariſiorum triginta Studioſorum millia. Quod vt minus miremur olim contigiſſe, facit Theodorus Gothofredus, ſcriptor Gallicus, (o) referens, Rectorem Vniuerſitatis Pariſienſis promiſiſſe, ad exequias regis Caroli VIII. ſeſe ducturum omnem Studioſorum eius loci coetum, hunc autem creditum excedere numerum viginti quinque millium. Eduardo I. Rege Oxoniae vixiſſe millia triginta Studioſorum, ex Armachano teſtatur Guilielmus (p) Cambdenus. Azonis, magni illius ICti, aetate, quae eſt tertio decimo ſaeculo, Bononienſi in Academia fuiſſe decem millia Studioſorum, auctor eſt Odofredus, magni & ipſe nominis Iurisconſultus. In hac Germania noſtra Viennam

 ſeptem

153

(n) Vid. Fileſacus *lib. de orig. Statutorum Fac. Theol.* (o) *Ceremonial de France p. 43.* (p) In *Deſcriptione Britanniae.*

ſeptem millia ſaepe numerare, ſcribit Antonius (q) Bonfinius. In ea iuuenum multitudine quin & petulantes plurimi fuerint, quis dubitet? Mittuntur enim in Academias haud pauci moribus iam ante non bene inſtituti: ad quos accedente aetate iuuenili, & viuendi maiore libertate, ſodaliumque numero, vix poteſt non petulantia naſci. Et ſane iam olim iis moribus infectos illos fuiſſe, qui ſua aetate literis dabant operam Lutetiae, multis conqueretur (r) vir probus & doctus, Iacobus a Vitriaco, Romanae Eccleſiae Cardinalis. Is autem diem ſuum obiit anno poſt milleſimum ducenteſimum quadrageſimo. Cui rei & annales aſſentiuntur, quando narrant, (id quod paulo ante ex Paulo etiam AEmilio & Ioanne Tilio recitauimus,) eius ſaeculi tertii decimi anno triceſimo ſecundo ita Lutetiae in mutuam pugnam exarſiſſe Studioſos atque vrbanos ciues, vt, poſt cladem ingentem aliquot millibus Oxoniam Rege Angliae inuitante commigrantibus, tota paene interiiſſet celeberrima illa ſchola, ni (s) ſeditionem hanc prudentia Ludouici, Galliarum Sancti regis, coërcuiſſet. Etiam Azonis tempore, ſaeculo eodem tertio decimo, cum decem millia Studioſorum Bononiae verſarentur, magnam fuiſſe iam tum vim factionum & criminum, teſtantur alii, iique non pauci.

154

XIV.

Illis moribus atque illo Studioſorum numero, vt neceſſum fuit firmare certam iurisdictionem, & momentaneam illam ex voto reorum abolere, ita neque Doctores neque Epiſcopi iuri dicundo pares viſi ſunt: habitumque vtiliſſimum fuit, ex ipſo Studioſorum numero iudices capere: ne quis haberet, quod de iudice minus fauente poſſet conqueri. Hinc in cer-

(q) *Rerum Vngar. Dec. IV. lib. 5.*
(r) *Hiſt. Occid. Cap. 7.*
(s) Cattialupus *de modo ſtudendi Dec. X.*

certas tum nationes, quas dixerunt, diuiſa Studioſorum multitudo: quarum ſingulis praeeſſet vnus, qui porro communem aliquem Rectorem eligerent. Ex quo, cum omnis iurisdictio penes Praeſides hos ac Rectorem eſſet, noua plane iurisdictionis facies emerſit. Vbinam primo id inſtitutum ſit, haud temere dixerim. Id obſeruare eſt, ſaeculo tertio decimo coepiſſe, atque in omnes Scholas, quae & illo & ſequente ſaeculo, imo multis poſt annis fuerunt aut erectae aut legibus arctius conſtrictae, hanc iurisdictionis faciem fuiſſe introductam. Quapropter hodieque in omnibus fere Galliae & Italiae ſcholis antiquioribus manet illa Studioſorum in varias nationes, nationumque Procuratores ſeu Conſiliarios, vt vocant, diſtinctio, qui ipſi ſibi Rectorem, quem ei rei idoneum credunt, praeficiunt.

XV.

Quanquam non omni ex parte idem vbiuis obtineat. Habet hodieque, multum imminuta licet ſua dignitate, Pariſienſis ſchola nationes quatuor, Francicam, Picardicam, Normannicam, Alemannicam. Alemannicae autem nomine (t) comprehenduntur primo Bohemi, Luſati, Poloni, Sileſii, Bauari, Dani, Vngari, Heluetii, Baſileenſes, Moguntini, Treueri, Auguſtani, Argentinenſes; ſecundo Belgae, Colonienſes, Boruſſi, Saxones, & Lotharingi; tertio Angli, Scoti, Hyberni. Harum porro quatuor nationum cuiuis ſunt duo, Pedelli dicti, argenteis ſceptris ornati, qui Procuratori (ita appellant,) inſeruiant. Hi quatuor vero nationum Procuratores Philoſophiae aliquem Magiſtrum ex ſuo ordine in Rectorem eligunt, in memoriam eius, quod prima Scholae origo aetate Caroli Magni ſola Philoſophiae profeſſione ac diſciplina conſtiterit. 155

(t) Vid. Ioan. Fileſaci liber *de orig. Statut. Fac. Theol. Pariſ.*

XVI.

Patauii iam Vrbano IV. Pontifice, (qui praefuit Romanae Ecclesiae anno post millesimum ducentesimum sexagesimo primo, vsque in 64.) si quidem credimus Antonio Riccobono, idipsum narranti *libro de Gymnasio Patauino*, inoleuerat, post constituta variarum Nationum discrimina, ex earum Praesidibus eligere Rectores binos, quorum alter Italis, alter Transalpinis ius diceret. Et durauit ea consuetudo, eodem teste, vsque ad tempus illud, quo in gratiam Francisci Carrariensis, Vniuersitatis Studiosorum Philosophiae, Medicinae & Theologiae ab Vniuersitate eorum, qui Vtrumque Ius aut docent aut discunt, secessione facta, ex vna Schola duae ibi enatae sunt, statutis & iurisdictione diuisae, quauis suum sibi Rectorem suffragiis Consiliariorum, vt appellant, Nationum suo ex ordine constituente: quarum altera hodie Artistarum, altera Iurisprudentum vsurpatur. Reliquae Italicae Academiae propius videntur abesse a Parisiensium institutis.

XVII.

At Salmanticensis (quae Hispanicarum est praecipua,) longe aliam obtinet regiminis rationem. Scribit enim Antonius Posseuinus *libro primo Bibliothecae selectae*, *capite octauo*, illi scholae a Martino V. Pontifice praefectum esse cathedralis ibidem Ecclesiae Scholasticum, qui appellatur, *delata ei amplissima auctoritate*, (verba recito Posseuini,) *qua Studiosos ciuilibus & criminalibus poenis possit coërcere: seruata prouocatione causarum Sedi Apostolicae vel eius administris, qui futuri essent in Hispania. Rectorem hic eligit ex praecipua Academiae nobilitate, nec non octo Consiliarios ex octo Hispaniae regnis, quorum simul est suffragium ad Professores constituendos.* Itaque ibi profecto iurisdictio non est penes Magistros, sed

156

penes

penes vnum e potiſſimis collegii Cathedralis Canonicorum. Quod forte inſtitutum inde manauit, quoniam clerus illius Cathedralis Eccleſiae Salmanticenſis in vſum Academicorum Doctorum tertiam ſuorum redituum partem vltro quotannis largitur; quod itidem teſtatur (u) Poſſeuinus.

XVIII.

Germania ſerius accepit huiusmodi Scholas, & quidem declinante demum ſaeculo decimo quarto. Etſi enim Viennae iam anno 1237. aliquam erexerit Fridericus II. Caeſar, cum ipſo tamen Imperatore videtur non multo poſt illa concidiſſe, nec niſi demum anno 1360. renata. Poſt haec vero longe plurimae apud nos ſunt inſtitutae. Obſeruare autem eſt, antiquiores quidem iurisdictionis ordinem eum fere accepiſſe primum, qui Pariſiis obtinebat, ſed pleraſque poſt mutaſſe, omni poteſtate in arbitrium Profeſſorum delata; recentiores autem ab initio ſtatim in eam regiminis formam conſenſiſſe, quam nunc paſſim per Germaniam obtinere cernimus. Manent enim hodieque in illis antiquioribus Nationum diſcrimina, & priſtinae dignitatis poteſtatisque veſtigia. In iis vero, quae praeterpropter poſt ſaeculi decimi quinti annum octogeſimum fuere inſtitutae, ab initio ſtatim omnis iuris dicundi poteſtas in Profeſſorum collegium, volentibus ita patronis, a Pontificibus aut Caeſaribus fuit translata. Memorat Wiguleius (x) Hundius in praeclaro illo opere, quo res *Metropolitanae Salisburgenſis Eccleſiae* eſt perſecutus, Ingolſtadienſem Bauarorum ſcholam a Pio ſecundo Papa, & Ludouico, Bauariae Duce, anno 1472. confirmatam, initio quatuor in nationes, Bauaricam, Rhenenſem, Franconicam, & Saxonicam, fuiſſe quidem diſtinctam, cum poteſtate ſingulis ſemeſtribus Rectorem ex ſuo ordine

157

(u) Ibidem.

(x) *T. II. p.* 417, edit. Gewoldi.

ordine eligendi; ſed illud inſtitutum, vt moribus minus aptum, ſtatim eſſe abolitum, in Senatum Academicum reiecta tam Rectoris eligendi, quam omni reliqua poteſtate. Et profecto ita eſt. Inſtitutum illud vetus ſequenti aetate nullum habuit vſum, quod prae Academiarum multitudine rara poſtea fuerit Studioſorum in ſingulis copia: quorum porro longe potiſſima pars iuuenili aetate in Academiam venit, atque adeo quammaxime indiget alieni regiminis.

XIX.

Ex his vero manifeſtum eſt, etſi iam duodecimo ſaeculo per Friderici illam *Authenticam* erepti ſint literarum Studioſi hominum indoctorum foro, ſequentibus tamen tandem temporibus iuſtam reipublicae faciem Academias accepiſſe; in hanc autem iurisdictionis formam, quae apud nos in Germania nunc obtinet, non niſi ſero demum, & vix ante annos centum quinquaginta, deuentum eſſe. Nec enim iurisdictionis tantum alia poſt facies coepit, ſed & mixtum imperium, cuius in *Authentica* nullum extat veſtigium, omnibus poſt Academiis Europae conceſſum eſt. Non enim credo, vllam inueniri, quae non modicam habeat petulantiores coërcendi poteſtatem per mulctas pecuniarias, per carcerem, per relegationem, per excluſionem. Quid? quod nonnullae & merum imperium in ſuos ſint conſecutae: quod ſoli vel negant vel neſciunt rerum Academicarum imperiti. Academiae Viennenſi illud adſcribit diſerte (y) Middendorpius; Tybingenſi (z) Sichardus; Oxonienſi, Pariſienſi, Ingolſtadienſi Scipio (a) Gentilis. De Salmanticenſi Hiſpanorum Academia ſcribit Antonius (b) Poſſeuinus, a Mar-

(y) *Lib. V. de Acad. p. 302.* (z) Ad *Authent, Habita n. 22.*
(a) Ad *Authent. Cap. 8. & Lib. III. de Iurisdict. Cap. 17.*
(b) *Lib. I. Bibl. ſel. Cap. 8.*

Martino V. Papa conceſſam Scholaſtico Cathedralis Eccleſiae illius loci plenam auctoritatem iuris dicundi cum mero & mixto imperio, Papae ſoli ſeruato prouocandi iure: ceu iam ante narrauimus. Quod Academia Gryphiswaldenſis in poſſeſſione meri ſit imperii, notorium eſt, inquit Matthias (c) Stephanus, illius ſcholae celeberrimus quondam Doctor. Noſtram hanc Iuliam ea poteſtate gaudere, loquuntur priuilegia noſtra. Non adducam nunc in medium Academias reliquas, ne ſoli lucem videar velle foenerari. Non poſſum tamen ſilentio praeterire id, quod ſcripſit Ioannes (d) Bodinus. *Gregorius*, inquit, *XI. Pontifex eo reſcripto, quo quidem Vrbani V. & Innocentii VI. reſcripta Pariſiorum Academiae renouauit, illud vno capite excepit, vt, ſi Scholaſticus homo ſcelus admiſerit, Pontificis Pariſiorum ſit cognitio: altero capite pro debito quenquam necti prohibuit. Sed noſtri Reges ac magiſtratus, Pontificiis legibus ſe non teneri, ſaepe declarauerunt.* Ita Bodinus. Quamuis vero Papali hoc priuilegio haud nitatur Pariſienſis ſchola, longe tamen certiſſimum eſt, non multo poſt Gregorium XI. illum Papam, eius imperium merum graui animaduerſione vindicatum eſſe in Praefectum Vrbanum ſeu Mercatorum, vti nuncupant: qui, cum anno poſt milleſimum quadringenteſimum tertio, aut, vt nonnulli volunt, quinto, duos Studioſos in furca ſuſpendiſſet, eosdem detractos oſculo excipere & honeſtae ſepulturae reddere coactus fuit. Res a multis aetati illi vicinis adeo conſtanter narratur, vt in dubium vocari temere nequeat. Sed & ſepultura hodieque ſupereſt in monaſterio Maturinorum, hac (e) tumbae addita inſcriptione: *Hic ſubtus iacent Leodegarius de Monſel de Normannia, & Oliuerius de Burgeois, de Britannia oriundi, clerici Scholares, quondam ducti ad iuſtitiam ſaecularem*

158

SVPPL. LXXVII.

X

(c) *Lib. III. de Iurisdict. Parte II. cap. 12.*
(d) *Lib. III. de Rep. cap. 7.*
(e) Vid. Limnaeus in *Addit. ad lib. VIII. cap. 11. n. 28.*

cularem, vbi obierunt, honorifice restituti, & hic sepulti Anno Domini M CCCC VIII. mense Maio. Caeterum (vt ante dictum,) omne hoc quicquid est meri imperii, non vi *Authenticae* Friderici Caesaris, nec statim illo tempore, quo haec lata est, sed diu post, idque nouo Caesarum, Regum, Pontificumque beneficio, Academiae aliae atque aliae consecutae sunt.

159

SVPPL. LXXVIII.

XX.

Hinc porro etiam regius habitus, quo ornantur Rectores passim per omnes Europae Academias, diu post Friderici Barbarossae aetatem coepit. Quando primum sceptra argentea cum hac epomide purpurea in Academias venerint, nondum equidem compertum habeo. A Pontificibus Romanis esse, non dubito. Id enim arguit vel illud solum, quod vbiuis terrarum Europae hic habitus obtineat. In quae loca huiusmodi quid introducendi, nec Caesarum nec Regum in potestate fuit. Sed & vnde omnis purpureus habitus in clerum & eruditos deuenerit, nisi a Romanis Pontificibus? Sane nemo non videt, epomidem hanc purpuream Cardinalium Romanorum vestitum aemulari. Et alias, in Europa quidem, purpureus aut coccineus color a Curia Papali demum clero est consecratus. Eapropter quoque nihil dubito, post Pauli secundi aetatem primum hoc quicquid est in Academias peruenisse. Is enim omnium primus Cardinales Romanos coccinea huiusmodi veste (f) insigniuit, quos ante Innocentius IV. quo maior ordini auctoritas accresceret, equo & rubris galeris donauerat. Nec enim vero est simile, Academiarum Rectores ante Cardinales ipsos hoc inuidendo & regio schemate vsos. Praefuit autem Paulus ille Papali sedi ab anno post millesimum quadrin-gen-

(f) Vid. Platina in *Paulo II.*

gentefimum quadringefimum quarto fexagefimo ad feptuagefimum primum. Quo tamen tempore an ftatim & in Academias veftimenti ifthuc genus penetrauerit, equidem dicere non audeo. Sed & parum refert, huius φαντασίας (liceat mihi, quod res eft, fateri,) originem primam accurate nouiffe. Notari autem meretur, quod fcribit (g) Onuphrius, Innocentium quartum Papam, cum pileum rubrum Cardinalibus concederet, *fignificare voluiffe, eos, qui in illum ordinem legerentur, paratos effe debere, pro libertate ecclefiaftica propriam, fi opus effet, vitam morti exponere.* Id quod fi ita eft, (nam Platina (h) duntaxat narrat, factum illud *honeftandi ordinis causa,*) indubie ifthoc habitu non fubducere tantum omnem Academicum coetum & in fcholis creatos Magiftros ac Doctores callide voluit Papa imperio Caefarum, Regum, & Principum, adeoque fibi vni fubiicere, fed & animare eosdem ad imperia eiusmodi, etiam legitima, omnia excutienda. Et vero ex eo paffim coepere omnes Academici clericorum ordini accenferi: recte tamen longe aliter iudicauit de Parifienfis Academiae membris fuprema nobiliffimae illius Vrbis curia (i) anno fuperioris faeculi feptuagefimo tertio.

160

XXI.

Quamuis autem proprii commodi potius, quam ftudiorum ipforum gratia tantum non modum exceffierint hoc ipfo Papae, videntur tamen etiam ipfi Caefares Regesque cum Papis quafi contendiffe in ornandis Academiarum Rectoribus. Adeo enim optimis Europae Principibus curae fuerunt aliquot per faecula Academiae, vt nihil non ornamentorum iis contulerint. Quid enim ad Academiae aucto-

 ritatem

(g) *Lib. III. de Pontif. & Cardin. creatione*, in *not.* ad Platinae *Innocentium IV.*
(h) In *vita Innocentii.*
(i) Vid. Choppinus *de domanio Franciae lib. XXVII. n.* 12.

ritatem conciliandam ſplendidius poſſit conſtitui, quam (vt vno hoc nunc exemplo vtar,) quod Pariſiis Vniuerſitas *primogenita Regis filia* audiat, & in ſolennibus conuentibus Rectori primus locus prae ipſo Nuntio Apoſtolico (k) concedatur? Non multum inferior eſt conditio Rectoris Academici apud Vbios. Cedit enim ibi quidem loco non Archie-
161 piſcopo tantum, ſed etiam Papali Nuntio: huic tamen proximum ſemper (l) occupat. Louanii ne Nuntio quidem illi cedit (m) Rector, niſi is ſimul fuerit Legatus a latere, ceu vulgo appellamus. Sed & vbiuis fere locus proximus Principibus aut Patronis Rectori Academico ſolet vltro tribui. Prudentiſſimus Senatus Venetus (n) Patauinae Scholae ſuae Rectori non purpura tantum, ſed & aurea ſtola induere ſe permittit, & magiſtratu abeuntem cum *Doctoris* titulo exornat, tum torque aureo donatum Ordini equitum S. Marci inſerit. Huc vero pertinet etiam illud, quod, ex Caeſaris Maximiliani ſingulari priuilegio, noſtrae Rector Iuliae ſimul & Lateranenſis Palatii Comitiua polleat, & ipſi Sereniſſimi Principes Brunſuico-Lyneburgici hanc dignitatem ſibi propriam eſſe voluerint. Quid imus autem per exempla? Tantum non vbiuis ea eſt Academici Rectoris dignitas, vt, ex praeclariſſimorum Iuriſconſultorum ſententia, iniuria ipſi illata capitali ſupplicio vindicanda ſit, & Papiae quoque ita ſit vindicata: prout teſtis eſt (o) Menochius.

SVPPL. LXXIX.

XXII.

Sed quid ego hiſce narrandis immoror? Vtinam, Auditores, tam facile ſit, hoc munus adminiſtrare, quam multum

(k) Fileſacus in libro *de orig. Statut. Facult. Theol.*
(l) Middendorpius *lib. V. de Acad. p. 166.*
(m) Vernulaeus *lib. I. de Acad. Louan. cap. 6.*
(n) Vid. Contareni liber *de rep. Veneta.*
(o) *Lib. II. Cent. III. de arbitrio iudicis cap. 26. n. 15.*

tum ſplendoris habet & dignitatis! At me profecto, qui eam nunc prouinciam aggredior, ita hodie eius terret difficultas, vt, niſi & legibus Academicis, & ampliſſimo veſtro iudicio, Collegae honorandi, &, quod praecipuum eſt, Sereniſſimi Principis voluntate, quae mihi non poteſt non pro lege eſſe, huc adactus eſſem, nunquam illam fuiſſem aggreſſus. Etſi enim in vobis, Patres Academici, poſt Sereniſſimum Principem noſtrum, cuius ego vices nunc gero, magnum mihi ſciam praeſidium poſitum; quin veſtra etiam, O Iuvenes, & virtus & erga me beneuolentia non ferat, quicquam ſequius de quoquam ſuſpicari; nihilominus neſcio qui haud leuis & timor & horror me quaſi circumdat. Faxit Deus Optimus Maximus, vt vanus ille ſit, inque gaudium mutet. Ego, quod ſuſcepi, cogor ſerio nunc tandem aggredi. Eius autem vti rite fiat exordium & more priſco, age, Tu, Praeſtantiſſime & ornatiſſime Iuuenis, N. N. conſcende hanc cathedram inferiorem, & commilitionibus tuis primo Sereniſſimi ac Reuerendiſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici, Ducis Brunſuicenſis & Lyneburgenſis, Poſtulati Coadiutoris Epiſcopatus Ratzeburgenſis, electi Praepoſiti Archiepiſcopatus Bremenſis, Domini noſtri clementiſſimi, reſcriptum, deinde Legum noſtrarum compendium illud, quod paſſim exſtat, clara ac diſtincta voce praelege.

162

❁ ❁ ❁

Audiuiſtis, quae mens ſit Sereniſſimi Principis, audiviſtis item, quid ſibi velint leges, Auditores humaniſſimi. Eo autem ſimul vnicuiuis iam liquet, cum quid mei, tum quid veſtri ſit muneris. Nec tamen iam ante, O optimi Iuvenes, quisquam veſtrum potuit officii ſui rationem ignorare. Verſantur enim inter manus veſtras hae ipſae leges, & quotidie legendae hoc in loco ac conſpiciendae proponuntur. Ne nunc dicam, quod, pauculis exceptis, omnes il-

lae neminem recte natum educatumque poſſint fugere: vt quae non heri aut nudius tertius demum valere coeperint, ſed iam ante mundum hunc conditum probatae Deo, inde cum ipſa hominum origine in notitiam peruenerint. Neutiquam enim vobis leges proponimus, more Romanorum Praetorum veterum, in annum vnum valituras, de caetero mobiles, imo momentaneas. Nihil paene noſtrarum non durabile ac perpetuum, imo iam aeternum. Nam & quas ex conſtituto prodiiſſe dixeris, ab honeſti illa & iuſti aeterna natura vel parum vel nihil abeunt: contra certe non pugnant; quod hic demonſtrare, non patitur inſtitutum. Nihil itaque ſupereſt, quam vt & ego & vos pro ſe quisque id, quod officii ratio poſtulat, praeſtemus. Atque de me quidem promtam voluntatem, omnia iura, priuilegia, & quae alia aut totius Academici ſunt corporis, aut ad Vos, O cariſſimi Iuuenes, ſeorſim pertinent, conſeruandi tuendique, audeo hic publice polliceri. Veſtrum ius meum ius eſt, veſtra iniuria iniuria mea. Abſit enim, vt vos, quorum tutelam ipſa natura, Caeſares, Reges, Principes tam ſancte nobis commendarunt, nobis ſcientibus impune quisquam laceſſat. Quisquis vos laeſerit, ſine diſcrimine is & me & Senatum Academicum vindicem experietur. Namque, vt & ante dixi, de me non niſi voluntatem polliceor: facultatem autem & Sereniſſimus Princeps meus & Ampliſſimus ille Senatus addet: qui profecto paterno vos amore proſequuntur. De Vobis, O ſuauiſſimi, pariter non niſi optima mihi promitto. Et vero cur non promitterem? cum potior certe pars veſtri probis ſit moribus, atque ad ſolidam virtutis ac doctrinae laudem adſpiret. Sint itaque nonnulli minus boni. Emendabuntur etiam ipſi, ſpero, bonorum conſortio. Sin, nos certe non patiemur, vt paucorum improbitate aliorum integritas contaminetur; ſed illos, vt infelix lolium, exſtirpabimus & eiiciemus foras. Vos nimirum

163

rum

rum eſtis ſpes Germaniae. Vos eſtis ſeminarium reipublicae labaſcentis, ſi quae vlla poſt futura eſt. Vos eſtis Eccleſiae nunc paſſim ruentis ſolatium. Si Vos regia via ad pietatem & eruditionem graſſabimini, etiam Germaniae bene erit, & Reſpublica pariter atque Eccleſia reuireſcet. Sin minus, actum eſt de Republica, actum de Eccleſia, actum de vobis omnibus. Sed *Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum*! Quin potius, o boni, vincite ipſam ſpem noſtram: contendite mecum cumque Senatu Academico, quis alter alterum diligentia & induſtria poſſit ſuperare. Ita feliciter decurret nobis omnibus hic annus. Ita Deo & hominibus erimus grati. Quod vti fiat, Te ego, Deus Optime Maxime, oro obſecroque.

164

DISSERTATIO SEXTA
RECITATA PRIDIE KAL. IVLII ANNO CIↃ IↃ C XL.

cum magiſtratum Academicum deponerem.

In hac, praemiſſa veterum priuilegiorum Profeſſorum mentione, agitur de priuilegiis & immunitatibus Studioſorum.

I.

Multum profecto debet reſpublica Academica proximorum quinque ſaeculorum optimis maximis Principibus. Quanquam enim de re literaria, eiusque cum magiſtris, tum ſtudioſis, praeclare meriti ſint AEgyptii, Graeci, Romani; neque in docentes, neque in diſcentes tamen ea ab illis collata ſunt beneficia, (ſi, quod res eſt, velimus fateri, vt debemus fateri, ni ingratitudinis notam velimus incurrere:) quibus hodie gaudent, quotquot in Academicis ſcholis ſiue diſcendi gratia viuimus ſiue docendi munere perfungimur.

Totum

Totum enim hoc, quo conſiſtit haec qualiscunque reipublicae forma, quarto abhinc ſaeculo demum eſt natum: omni a condito hoc vniuerſo interuallo fuit ignotum. Id quod quoniam ex hoc ipſo loco publice verba faciens, niſi admodum me fallo, luculente alias comprobaui, non a me iterum oſtendi nunc par eſt.

II.

Etſi autem Profeſſores nos per ſane multum debeamus 165 vltimis hisce Caeſaribus, Regibus, Pontificibus, Principibusque; longe maiorem tamen ipſis gratiam debetis vos, O Iuuenes, qui in diſcentium ordine eſtis conſtituti. Vt enim alias nunc gentes taceam, ſub Caeſaribus iam tum Romanis Profeſſores ampliſſimis ſunt priuilegiis atque immunitatibus ornati. Enimuero vt vacationem ciuilium munerum, ita &, ne hoſpitem reciperent, a Principibus immunitatem fuiſſe indultam Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philoſophis, iam Veſpaſianus & Hadrianus reſcripſerunt, teſte Arcadio (a) Chariſio. Non iidem quidem ſunt Medici, vel Philoſophi, vel Grammatici, vel Oratores, cum harum artium magiſtris: quod tamen in vniuerſum indultum eſt, id multo magis ad magiſtros pertinere, ecquis negauerit? Et vero diſerte Paulus (b) ICtus: *Angariarum praeſtatio, & recipiendi hoſpitis neceſſitas & militis, liberalium artium Profeſſoribus inter caetera remiſſa ſunt.* Sunt autem hi Profeſſores illi, qui Grammaticam ita tum dictam, hoc eſt, φιλολογίαν & Rhetoricen docebant: qualium certus numerus ciuitatibus prouinciarum Imperii Romani conſtitutione Antonini Pii erat definitus. De Rhetorices Profeſſoribus ſeorſim, qui tum Sophiſtae audiebant, ſcribit (c) Modeſtinus,

cos

(a) Vid. *ff. de muneribus & honoribus l. 1.*
(b) *L. 10. ff. de vacat. & excuſ. mun.*
(c) *L. 6. ff. de excuſ. §. 2.*

eos perinde, vt Medicos, qui περιοδευταὶ vocabantur, (erant autem hi medentium nominis omnium vilissimi, non minus, atque sunt hodie,) & Grammaticos & Rhetores, *quemadmodum a reliquis muneribus, ita & a tutela & cura, requiem habere.* Ad Professores quoque videntur pertinere illa Pauli, quae idem (d) Modestinus recitat: *Philosophi, Oratores, Grammatici, qui publice iuuenibus prosunt, excusantur a tutelis.* Etiam Legum doctoribus, etsi non vbiuis, *Romae tamen docentibus, a tutela & cura* tum temporis iam data est remissio, teste eodem (e) Modestino: adeoque & illi iam tum immunitatis nonnihil sunt consecuti. Confirmarunt autem non tantum, sed auxerunt multum haec priuilegia Caesares, ex quo illi nomen Christianorum ordini dederunt. Variae eorum constitutiones leguntur in Codice Theodosiano, titulo (f) *de Medicis & Professoribus*: quas truncatas partim, partim ex multis in vnum consutas, suo, illaudabili tamen, more Tribonianus eiusdem argumenti titulo in Iustinianeo codice (g) itidem exhibuit. Integras nonnullas hic recitare forte non fuerit absque pretio operae. *Medicos*, scripsit ad Volusianum Constantinus Magnus, *Grammaticos, & Professores alios literarum immunes esse cum rebus, quas in ciuitatibus suis possident, praecipimus. Et honoribus fungi, in ius etiam vocari eos, vel pati iniuriam, prohibemus: ita vt, si quis eos vexauerit, centum millia nummorum aerario inferat, a magistratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc poenam sustineant. Seruus eis si iniuriam fecerit, flagellis debet a suo domino verberari coram eo, cui fecerit iniuriam: vel, si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat, seruo pro pignore, donec summa haec exsoluitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & salaria reddi praecipimus. Quoniam grauissimis dignitatibus, vel parentibus, vel domini, vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus.* Idem maximus Caesarum ad populum ita rescripsit: *Beneficia*

166

SVPPL. LXXX.

(d) Ibidem §. 1.
(e) Ibidem §. 5.
(f) Cod. Theod. lib. XIII. tit. 3.
(g) Cod. Iustin. lib. X. tit. 52.

neficia Diuorum retro Principum confirmantes, Medicos & Professores literarum, vxores etiam & filios eorum, ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare, praecipimus: nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec vllo fungi munere: quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant. Valentiniani & Valentis Caesarum in eandem sententiam huiusmodi superest rescriptum: *Medicis & magistris Vrbis Romae sciant omnes immunitatem esse concessam: ita vt etiam vxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & caeteris oneribus publicis vacent: eosdemque ad militiam minime comprehendi placeat: sed nec hospites militares recipiant.* Denique & Honorii quoque & Theodosii Caesarum praeclara admodum est constitutio. *Grammaticos*, inquiunt illi, *Oratores, atque Philosophiae praeceptores, nec non etiam Medicos, praeter haec, quae retro latarum sanctionum auctoritate consecuti sunt, priuilegia immunitatesque, frui hac praerogatiua praecepimus, vt vniuersi, qui in sacro palatio inter Archiatros militarunt, cum Comitiuam primi ordinis vel secundi adepti fuerint, aut maioris gradum dignitatis ascenderint, nulla municipali, nulla curialium collatione, nulla senatoria vel glebali descriptione vexentur; & seu indepta administratione, seu accepta testimoniali, meruerint missionem, sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes: nec eorum domus, vbicunque positae, militem seu iudicem suscipiunt hospitandum. Quae omnia filiis etiam eorum & coniugibus illibata praecipimus custodiri, ita vt nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inuiti. Haec autem & Professoribus memoratis, eorumque liberis, deferenda mandamus.* Hactenus illi Imperatores de Professoribus.

167

III.

Quanquam vero in omnibus hisce constitutionibus nulla Theologiae, nulla Romani Iuris, nulla Artis Medicae Professorum fiat mentio; procul dubio tamen non alia id de caussa factum, quam quod horum ea aetate perexiguus esset numerus, & ex parte certis iisque paucis locis circumscriptus, ceu alias demonstrauimus; quodque Medicis in v-

niuer-

niuerſum ſimpliciter omnibus iam tum abunde eſſet a multis ſaeculis cautum. Diſerta tamen etiam *Legum Doctorum* mentio per Tribonianum iniecta eſt, auctoritate Iuſtiniani Caeſaris, lege ſexta Codicis *de Medicis* & *Profeſſoribus*: etſi eorum non meminiſſet Conſtantinus Magnus, cui illa conſtitutio per Tribonianum adſcribitur. Sed & iam ante Theodoſius & Valentinianus Caeſares *Legum magiſtros* Vrbis Conſtantinopolitanae non minus, atque eiusdem Vrbis Profesſores Grammaticos & Sophiſtas, poſt viginti annorum ſedulum miniſterium, iuſſerant anumerari hisce, qui Vicaria dignitate tum cenſebantur. Qui honor illa tempeſtate ſic ſatis magnus habebatur, neque hactenus literarii quidem ordinis hominum vlli, praeterquam ſolis Archiatris Caeſarei palatii, erat tributus. Superat Honorii & Theodoſii ſecundi Caeſarum de Archiatris conſtitutio illa, lege vnica tituli ſexti decimi, libro ſexto Codicis Theodoſiani. Eodem libro titulo viceſimo primo exſtat eiusdem Theodoſii & Valentiniani ſecundi reſcriptum ad Theophilum, Praefectum Vrbis, duodecimo poſt anno (vt ex Faſtis conſularibus colligere eſt,) exaratum, *de Profeſſoribus, qui in Vrbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerint Comitiuam.* Non illud pertinet quidem promiſcue ad Profeſſores omnes, (quod nonnullis tamen placuit non infimae notae ſcriptoribus,) ſed honor ille ſingularis fuit illius vnius Vrbis regiae, ceu verba ipſa loquuntur: tamen etiam ita meretur, vti hoc loco recitemus, & integrum quidem, non quale illud in Codice Iuſtinianeo titulo quintodecimo libri duodecimi protulit Tribonianus. *Grammaticos Graecos*, (inquiunt Caeſares,) *Helladium & Syrianum, Latinum Theophilum, Sophiſtas Martinum & Maximum, Iurisperitum Leontium, placuit honorari codicillis Comitiuae ordinis primi, iam nunc a noſtra Maieſtate perceptis, ita vt eorum, qui ſunt ex Vicariis, dignitate potiantur. Qua in re quicunque alii ad id doctrinae genus, quod vnus-*

168

quisque profitetur, ordinentur, si laudabilem in se probis moribus vitam esse, monstrauerint, si docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi, se habere, patefecerint, & coetu amplissimo iudicante digni fuerint aestimati, qui in memorato auditorio Professorum fungantur officio; hi quoque, cum ad viginti annos obseruatione iugi ac sedulo docendi labore peruenerint, hisdem, quibus praedicti viri, dignitatibus perfruantur. Etiam haec Caesares illi, quos modo laudauimus. Quibus vt aut lucem affulgeamus hodie prolixiore quadam expositione, aut alia adiiciamus ex illo aeuo, non est nostri instituti. Neque enim alio fine isthaec adduximus, quam vti fiat manifestum, omnino iam olim habitam non leuem fuisse Professorum rationem: vtque adeo luculenter pateat, quanto melior tum fuerit conditio docentium, quam Studiosae iuuentutis, de cuius priuilegiis atque immunitatibus nonnihil disserere nunc, animus est.

169

IV.

Etsi videlicet multa adeo iam isthoc aeuo magistris, adeoque nostro docentium ordini, sint tributa; quod vestro generi tamen, O Iuuenes, tum datum, id vero per est exiguum, & prope nihil. Diocletianus & Maximianus Augusti primi omnium vacationem a publicis patriae ciuitatis muneribus, iis, qui Beryti in studiis viuebant liberalibus, in annum vsque quintum vicesimum largiti sunt. *Cum vos affirmatis*, inquiunt Augusti Arabiae (forte autem potius Beryti) Scholaribus, (constitutione, quae extat Codice, *qui aetate vel professione se excusant*,) *liberalibus studiis operam dare, maxime circa Iuris professionem, consistendo in ciuitate* Berytiorum *prouinciae Phoeniciae; prouidendo vtilitati publicae & spei vestrae, decernimus, vt singuli vsque ad vicesimum quintum annum aetatis suae a studiis non auocentur.* Scilicet antehac fas

SVPPL. LXXXII.

erat

erat quemuis peregre ſtudiis vacantem domum ad munia reipublicae capeſſenda reuocare: quo non poterat non impediri ſtudiorum curſus. Eodem pertinet eorundem Auguſtorum conſtitutio, quae laudato loco continetur: *Cum filios tuos, patria poteſtate liberatos, adhuc minores legitima aetate eſſe, dicas, merito poſtulas, vt liberalibus ſtudiis non auocentur, & ideo muneribus perſonalibus, quae ad patrimonium non pertinent, non adſtringantur, ſi ciuium inopia non eſt.* Quibus verbis immunitas datur tantum iis, qui infra legitimam ſunt aetatem, nec niſi a muneribus perſonalibus, quae ad patrimonium non pertinent, imo tum demum, quando nulla eſt ciuium inopia. 170

V.

Vltra hanc immunitatem Studioſis quicquam eſſe conceſſum, quo tempore durabat vera & vetus Romanorum reſpublica, haud patet. Nihil certe agunt illi, qui Academicae iurisdictionis noſtrae primordia ab illa vsque Iuſtiniani Caeſaris conſtitutione arceſſunt, qua ille Iuris docendi rationem praeſcripſit. Praeterquam enim, quod de ſolis Romanarum Legum ſtudioſis agat ibi Caeſar, ſubiicit profecto illos iurisdictioni atque imperio Conſtantinopoli quidem degentes Praefecti Vrbis, Beryti vero Praeſidis Phoeniciae maritimae, ac ciuitatis Epiſcopi: quos ſcilicet penes & alias imperium atque iurisdictio conſiſtebat: optionem fori nullam dat, neque nouum iurisdictionis ordinem inſtituit: qualis profecto hic noſter eſt.

VI.

Non poſſumus non hoc loco recitare, etſi fortaſſis iuſto ſint prolixiora, quae ad Olybrium, Praefectum Vrbis, de iis, qui ſtudiorum gratia Romam tum venerunt, (venere autem proculdubio numero ſat magno non ad Rhetores tantum, Grammaticos, & Philoſophos, quorum & alias e-

rat copia, ſed Romani Iuris doctores potiſſimum, quibus nusquam alibi in omni Occidentali Imperio ſchola erat publica:) reſcripta ſunt a Valentiniano, Valente & Gratiano, qui ſimul rerum potiebantur, anno poſt natum Saluatorem mundi trecenteſimo ſeptuageſimo aerae Dionyſianae, ſi non fallunt nos Conſulares faſti. Verba Caeſarum haec (h) ſunt: *Quicunque ad Vrbem diſcendi cupiditate veniunt; primitus ad Magiſtrum Cenſus, Prouincialium iudicum, a quibus copia eſt danda veniundi, eiusmodi literas proferant, vt oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur. Deinde vt in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare proponant. Tertio, vt hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant Cenſuales, vt ſinguli eorum tales ſe in conuentibus praebeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam & conſociationes, (quas proximas putamus eſſe criminibus,) aeſtiment fugiendas: neue ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo* (f. vulgi) *intempeſtiva conuiuia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, vt, ſi quis de his non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus affectus, ſtatimque nauigio ſuperpoſitus, abiiciatur Vrbe, domumque redeat. His ſane, qui ſedulo operam profeſſionibus nauant, vsque ad viceſimum aetatis ſuae annum Romae liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Praefecturae etiam impurius* (f. inuitus) *ad patriam reuertatur. Verum ne haec perfunctorie fortaſſe curentur, praecelſa Sinceritas tua Officium Cenſuale commoneat, vt per ſingulos menſes, qui vel vnde veniant, quiue ſint pro ratione temporis ad Africam vel ad caeteras prouincias remittendi, breuibus comprehendat: his duntaxat exceptis, qui corporatorum ſunt oneribus adiuncti. Similes autem breues etiam ad ſcrinia Manſuetudinis noſtrae annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque nobis ſint neceſſarii, iudicemus.* Hactenus Caeſares. Qui etſi nihil eximii doni conferant in Studioſorum ordinem, arguunt tamen ſaltem, curam publicam eius iam tum

171

SVPPL. LXXXIII.

(h) *Cod. Theod. lib. 4. tit. 9. de ſtud. liberal. Vrbis Romae lege 1.*

tum temporis non omnino defuisse: & quidem illam Romae sic satis accurate Magistro census fuisse demandatam, adeoque & ipsimet Vrbis Praefecto, cui septimo loco subfuit tum ille census Magister: vt nos docet *Notitia Imperii*, & ad illam in nunquam satis depraedicandis commentariis Guido (i) Pancirollus. Multum vero dubito, nun quicquam aliud ex omni illo quidem aeuo possit afferri in medium, quod comparari possit, imo quod accenseri mereatur iis, quae attulimus. 172

VII.

Recte igitur rem reputantes non possumus profecto non affirmare, id quod iam ante diximus, nempe vt doctorum conditio illa Caesarum aetate fuerit non adeo iniqua, Studiosos tamen neque libertate, neque immunitate, neque alio quodam insigni esse beneficio ornatos. Primam scilicet iurium suorum originem debent illi Caesari nostro Friderico, isti, cui a barbae colore hostes Itali *Barbarossae* cognomentum indiderunt; sed qui inter Germanicos Caesares, siue animi magnitudinem siue fortitudinem siue prudentiam siue denique res gestas spectemus, nulli cuiquam est secundus.

Est locus Italiae modicum seiunctus ab Vrbe,
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen:
Planus, & Eridani placido iunctissimus amni,
Effundit latos spatioso limite campos.

In hunc modum canit de campis Roncaliis Güntherus, Friderici illius Caesaris aeuo dignus poëta, in (k) *Ligurino.* In illis autem campis Italici regni comitia celebrabat Fridericus ille laudatissimus Imperator, quando communicato cum Proceribus consilio, eorumque consensu impetrato, eam *Authenticam* condidit, quae mox eiusdem iussu inserta est Iustinianei

(i) *Cap.* 10. (k) *Lib. II.*

ſtinianei Codicis titulo *Ne filius pro patre*, atque a prima di-
ctione vulgo *Habita* cognominatur. Non erat tunc in im-
menſo illo terrarum tractu per Italiam, Germaniam, Gal-
liamque illam, quae Germanici eſt Imperii portio, vlla ſcho-
la publica, qua vel Theologiae arcana, vel Philoſophia at-
que Artes liberales, vel Medicina, vel denique Romanae
leges ſiue diſcerentur ſiue docerentur, praeter vnicam Bo-
nonienſem: vbi recenter iterum inuentarum Romanarum
173 legum profeſſio, magna orbis admiratione, magnoque con-
curſu (ceu fieri aſſolet in re noua, maxime apud imperitum
vulgus,) nullius autem ſcientiae profeſſio alia, niſi forte ru-
dioris cuiusdam literaturae, paulo ante coeperat. In eo-
rum igitur, qui Legum ſtudio tunc occupabantur, gratiam
potiſſimum Caeſar *Authenticam* condidit: quod ſcilicet in to-
to Imperio Germanico nec Studioſus nec doctor alius paene
quisquam ſtudiorum gratia tum peregrinaretur.

VIII.

Eius laudatiſſimae conſtitutionis ſunt quidem varia be-
neficia: quae tamen (niſi admodum fallor,) ad duo capita
merito reduxeris: quorum alterum eſt viuendi ſecuritas, al-
terum fori optio. De vltimo ante hosce ſex menſes vberius
ex hoc loco mihi eſt dictum: quando ſimul oſtendi, non
multo poſt id deſiiſſe grauiſſimis de cauſis, non permitten-
te ſcilicet iuuenili Studentium temeritate ac petulantia opti-
vum illud atque incertum fori genus. Cuius loco ergo coe-
perit mox, erectis paſſim plurimis ſcholis publicis, certa a-
lia iurisdictio, eaque aut ipſi Studioſorum ordini, quod &
hodie in Italis obtinet, aut magiſtris eorum demandata, quod
Germaniae fere omni eſt vſitatum. Caeterum (vt ante dixi,)
haec a me ſunt iam ante ſex menſes in auguſto hoc conſeſſu
late perorata: itaque hodie ſane minime repetenda. *Secu-
ritatis* illud beneficium quale ſit, non inter omnes conſtat:
quod

quod videlicet alii aliud illa voce velint significatum. Video certe, perquam multos ad vectigalium tributorumque id immunitatem extendere, paucis aliis reclamantibus.

IX.

Caeterum Imperatoris quidem mentem fortassis haud adeo est difficile intelligere, modo ipsa illius verba ea, qua par est, diligentia atque attentione expendantur. *Omnibus* inquit ille, *qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime diuinarum atque sacrarum legum Professoribus*: scilicet, si quando & Professores studiorum gratia peregrinantur. Neque enim hic loci Professor est alius, quam qui docendi prouinciam in se audet suscipere, etsi salario non doceat: quod alias ostendimus. His omnibus (pergit Imperator,) *hoc nostrae pietatis beneficium indulgemus: vt ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuntii, veniant, & in eis secure habitent.* Securitas itaque indulgetur primum, *ad loca*, in quibus literarum exercentur studia, *veniendi*, deinde *in illis locis habitandi.* Securitas ergo bina est & geminata. Qualis vero illa? Nisi admodum fallor, videtur Imperator ipsummet sese explicare verbis mox subsequentibus. *Dignum namque* (inquit,) *existimamus.* Vbi τὸ *Namque* causalis est vocula: adeoque indicat, iis, quae sequuntur, rationem reddi, quamobrem eiusmodi securitas indulta. Pergit itaque: *Dignum namque existimamus, cum omnes bona facientes nostram laudem & protectionem omnino mereantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis, eius ministris, vita subiectorum informatur, quadam speciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus.* Securitas ergo indulta defensio ac tutela est (l) *ab omni iniuria.* Hinc vero omnino patet, non indulgeri securitatem a vectigalium tributorumque collatione: nisi profecto *iniuriae* vocabulo

174

(l) Vid. ad h. l. Accursius.

bulo vectigalium tributorumque praestationem ipse Imperator significauerit: quod nescio an cuiquam possit videri verisimile: cum vectigalia ac tributa pendere nequaquam iniuria quaedam simpliciter sit, sed saepe ius merum. Quid? quod ipsemet Imperator mox adiiciat, qua iniuria tum affici soleant Studiosi. *Quis enim* (subdit,) *eorum non misereatur, qui amore scientiae exules, facti de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & a vilissimis saepe hominibus (quod grauiter ferendum est,) corporales iniurias sine causa perferunt?* Pergit idem, atque concludit: *Haec igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de caetero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre praesumat, nec ob alterius cuiuscunque prouinciae delictum siue debitum (quod aliquando ex peruersa consuetudine factum audiuimus,) aliquod damnum ei inferat.* Haec Imperator.

175

X.

Ex quibus manifestum profecto est, per *securitatem* intelligi securitatem ab iniuria, eaque partim corporali, partim illa, quae olim ἐνεχυρασμὸς aut pignoratio dicta est, quamque recentiores Iurisconsulti repressalia, Galli *literas marcae*, appellitant. Ea nimirum tum erant tempora, vt, multum imminuta Caesarum auctoritate, nusquam ferme tuta pax, iniuria vero tantum non vbiuis obtineret: quo malo Germania cumprimis laborauit. Vnde non multo post idem Imperator Fridericus adactus est, leges de non inferenda iniuria deque pace promulgare. Testatur idipsum Conradus, Abbas Vrspergensis, ad annum 1187. hisce verbis: *Eo anno Fridericus Imperator conuentum Principum apud Nurenberg coadunauit, vbi de pace terrae disposuit, & in literas redigi iussit. Quas literas Alemanni vsque in praesens literas pacis vocant: nec aliis legibus vtuntur, tanquam gens agrestis atque indomita.* Quanquam igitur peregrinus omnis ab iniuria sit tutus iure di-

vino

vino, iure naturae, iure gentium, iure ciuili; vt tamen istius aetatis erant mores, necessum fuit, noua lege munire innocentiam peregrinantium Studiosorum. Iis autem moribus, (quando scilicet ius in armis vigebat,) quis dubitet, repressalia, aut pignorationes quoque, in perfrequenti, imo nimio, fuisse vsu? Scilicet habet illa violentae executionis species locum quendam, vbi ius denegatur: saepe autem per vim etiam vltra extenditur, maxime vbi malis moribus viuitur. Sunt enim bellum aliquod imperfectum repressalia & pignoratio: non semper quidem iniustum, persaepe tamen; semper autem permolestum illi, contra quem exercetur: quae natura quoque est belli pleni ac solennis. Ab hoc itaque onere, quod, etsi non semper, frequenter tamen cum iniuria est coniunctum, non posset autem a studiorum proposito non quemuis abstrahere, quo plures ad literarum studia ex vltimis vsque prouinciis exciret, securos esse voluit, iussit, optimus ille & nunquam satis laudandus Caesar. Quod profecto beneficium non vulgare est: certe tanto maius, quanto maius damnum ac quanto maiorem molestiam pignoratio ac repressalia afferunt.

XI.

Vsqueadeo autem haec Caesaris benignitas etiam aliis placuit, vt non successores tantum eandem confirmauerint, verum alii quoque Reges, quando & ipsis placuit in scholas publicas literarum gratia iuuentutem vndique conuocare, idem prorsus constituerint. Neapoli cum scholam huiusmodi conderet Fridericus, primi illius Friderici nepos dignissimus, quod initio tertii decimi saeculi Christiani contigit, ita (m) loquebatur: *Scholares, vndecunque venerint, secure veniant, morando, stando & redeundo, tam in personis,*

(m) Vid. Petrus de Vineis *lib. III. Epist.*

quam rebus. Quibus verbis legem aui ſui quaſi explicat. Eodem prorſus tempore Ludouicus id nominis nonus, Galliae rex, qui *Sancti* cognomentum meruit, quo Pariſienſium quoque ſcholam Theologicis & Philoſophicis ſtudiis florentiorem redderet, in haec verba edixit: *Concedimus ac volumus, quod omnes & ſinguli, de quacunque natione vel regione oriundi, de corpore Vniuerſitatis Pariſienſis exiſtentes, & eſſe volentes, ad eam accedere, morari, redire, & ſe, nuntios ſuos, resque ſuas, vbi libet, transferre pacifice & libere absque vlla inquietatione poſſint: ſicut melius ipſis videbitur expedire.* Quae edicti verba refert (n) Middendorpius, & nos ex illo nuper adduximus. Certum etiam eſt, nullam forte ſcholam publicam ex eo tempore fuiſſe erectam, (fuerunt autem inſtitutae per Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, & ſeptentrionales regiones plurimae:) cuius alumnis par ſecuritas non fuerit data.

177

XII.

Seorſim Aureliae in Galliis Nationis Germaniae Studioſis cautum eſt: primo vt ſint in ſingulari Regis tutela, ſiue eo proficiſcantur, ſiue inde diſcedant, belli pariter ac pacis temporibus: ſecundo, ne tempore belli poſſint capi vel detineri, etſi eorum Principes ipſimet Regi bellum indixerint. Ideoque contra Nobilem nonneminem Gallum, qui Germanum quempiam Studioſum eo nomine detineri curaverat, quod ipſius frater bello captus eſſet a fratre illius Germani, pronuntiatum in curia fuit Aurelianenſi anno poſt milleſimum quingenteſimum quinquageſimo octauo: id quod refert Ioannes (o) Bacquetius. Ampliaſſe videtur hoc priuilegii genus Philippus ſextus, Francorum in Gallia rex. Ille enim (recitabo verba Petri (p) Rebuffi, Iuris-

con-

(n) *Lib. VI. de Acad. p. 366.*

(o) *Des droits de la Cour de France Part. I. chap. 13.*

(p) *Lib. de priuil. Schol. priuilegio 83.*

consulti Montispessulani,) *priuilegium concessit Magistris & Scholaribus Parisiensis Vniuersitatis, quod bona illorum, de quibus in Studiis aluntur, capi aliqua ex causa non debeant, (verba priuilegii reddo,* ait Rebuffus,) *considerata occasione gerrarum, nec alia occasione quacunque, per quoscunque, cuiuscunqe conditionis, status vel eminentiae existant, pro nobis aut nostris subditis non capiantur, aut alias quomodolibet arrestentur: ne Magistri & Scholares Vniuersitatis praefatae vagandi a Studio sumant materiam. Datum apud Vincennam anno 1340. mense Ianuario.* Recitat idem Rebuffus plane eodem loco rescriptum aliud eiusdem Philippi Regis, quinquennio post exaratum in Parisiensium gratiam, idque Gallica lingua. Sed quoniam illud magis pertinet ad immunitatem onerum, recitabitur illud, non multo post, atque ita commodiore loco. 178

XIII.

Itaque vt antiquissimum est hoc priuilegium omnium nostrûm, quotquot vel docendi vel discendi gratia Academicam vitam peregre degimus: ita & maxime est vniuersale atque communissimum. Multo autem post demum adiecta sunt alia illa, quibus nunc cumprimis res Academica & stat & floret & gaudet. Nec in vniuersum omnibus eadem sunt concessa, sed alibi plura, alibi pauciora: prout Caesarum, Regum, Principum, aut Pontificum maior minorue fuit liberalitas. Generatim vero si pronuntiandum quicquam sit, licet (nisi fallor admodum,) secure affirmare, vetustiores Europae nostrae Academias sensim magis & tardius auctas beneficiis, quam posteriores. Cuius rei causa est, quoniam hae ab initio statim ad priorum exemplum sunt institatae, adeoque mox a primo exordio impetrauerunt, quae aliis illis per partes & longo temporis spatio donata sunt. Exemplum vnum pro multis exhibet nobis haec ipsa Iulia nostra. In hac enim Academia creatis Doctoribus ipse Maximi- SVPPL. LXXXIV.

ximilianus Caesar iis tabulis, quibus Academiam primum instituit, concessit, (verba Caesaris refero,) *omnibus & singulis gaudere & vti priuilegiis, praerogatiuis & exemtionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, praeeminentiis, fauoribus atque indultis, quibus caeteri Doctores, in Bononiensi, Senensi, Patauino, Papiensi, Perusino, Parisiensi, ac Lipsensi, & aliis Studiis priuilegiatis promoti ac insigniti, gaudent & vtuntur de consuetudine vel de iure.* Eoque non profecto est, quod quaslibet immunitates quibusuis Academiis sine discrimine liceat adscribere: multo minus ex iis, quae nunc passim in vsu sunt, pronuntiare aliquid est de antiquissimarum primis initiis: quasi nempe, quibus nunc gaudemus, beneficia statim & iam olim recepti perinde vsus fuerint. Verum nisi falli & fallere velis, necessum est, vt de singulis pronunties seorsim, ex tabulis & consuetudinibus cuiusque loci propriis, atque in exordia singularum immunitatum per partes inquiras. Ita sane deprehendere fuerit ingens discrimen, &, quae vulgo antiquissima habentur, sero satis in Academicum vsum concessisse.

179

XIV.

Non patitur hic dies, per omnis generis priuilegia Academica sermonem diffundere: tantum addam nonnihil de IMMVNITATE illa, qua gaudetis nobiscum, Iuuenes optimi, circa TRIBVTA & VECTIGALIA: quoniam de illius exordio iam antea dicere quaedam incepimus. Illa, retuli, a quammultis quidem ab Authentica *Habita* arcessi: si quid tamen recte iudico, post Friderici secundi aetatem, & quidem forte satis diu post demum, immunitas isthaec certam vim nacta est. Non enim Fridericum, id nominis primum Caesarem, *securitatis* voce hoc voluisse, iam ante est ostensum: quamuis fateamur, non hodie tantum secus videri plurimis, sed iam olim ita hanc

vocem

vocem Bartholum ipſum & Baldum interpretatos eſſe, quod exiſtimarent, ſecuritatem ab iniuria nulla lege noua indigere. Multo minus vero probabile eſt Hugonis (p) Donelli & Petri (q) Gilkenii aliorumque commentum, immunitatem hanc ex quinta lege Codicis Iuſtinianei *de vectigalibus* repetentium: vtpote quoniam nec ibi quicquam huiusmodi legatur, neque eius vel veſtigium aliquod in omnibus poſt ſaeculis, niſi demum tertio decimo, reperiatur. Caeterum ne quidem Friderici II. aeuo illam Caeſarum auctoritate obtinuiſſe, vel inde liquet, quod in iis priuilegiis, quibus hic Caeſar ſuam Neapolitanam voluit eſſe ornatiſſimam, immunitatis iſtius nulla memoria inueniatur. Sunt autem hodieque in manibus iſta omnia, cumprimis apud Petrum de Vineis, Caeſaris illius Cancellarium: imo etiam a nobis non adeo pridem hic recitata. Omnino itaque omne hoc ius vere debetur benignitati Principum ſequentis aeui, & quidem citius alibi, alibi tardius. 180

XV.

Videtur autem omnino eſſe incertum, quis primus & quo tempore illud beneficii indulſerit. Enimuero refert quidem (r) Middendorpius, idque Papirii Maſſonii (s) teſtimonio confirmat, Innocentium IV. Pontificem auditores Pariſienſis ſcholae vectigalibus exemiſſe. Fortaſſis autem vel ipſe vel Papirius vel vterque fallitur. Qui enim id potuerit Pontifex Romanus? Forte tamen conatus aliquid Papa eſt, ea auctoritate, qua ſibi tribuit ius in omnes Eccleſiaſticos, cuius ordinis etiam Studioſi quodammodo nonnullis exiſtimantur. Veroſimilius videtur, quod idem poſt Rebuffum (t) narrat, Carolum ſextum, Galliae Regem, in haec verba decretum aliquod promulgaſſe: *Statuimus, quod Pariſiis*

(p) Ad *Authent. Habita.*
(q) Ibidem.
(r) *Lib. IV. de Acad. p. 373.*
(s) In *Vita Innocentii IV.*
(t) *Priuil. 147.*

risiis studentes immunes sint ab omnibus impositionibus & subsidiis, tum super vino habito ex haereditatibus aut beneficiis, siue illud vendant minutim siue alias, siue ex frumento & aliis quibuscunque bonis sibi prouenientibus. Item in omnibus bonis emtis ad suum vsum, dummodo id Rector fuerit attestatus, qui super hoc primitus ab ipsis receperit iuramentum. Quod beneficium sane magnum est, & alibi parum in vsu. Praefuit autem Carolus sextus Galliae rebus ab anno post millesimum trecentesimum octogesimo ad subsequentis saeculi annum vicesimum tertium, quae sunt confinia saeculorum XIV. & XV: & haec ipsa immunitas, Rebuffo teste, data est saeculi decimi quarti anno octogesimo tertio, longo interuallo post Friderici II. aetatem. Idem autem Carolus inter alia Mon-181 tispessulanae scholae hoc dedit priuilegii: *Rector, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaureati, ordinarie & continue legentes, aliique vere studentes, cursus & actus Scholasticos pro adeptione scientiae & graduum exercentes, ab omnibus impositionibus, gabellis, quarta parte vini & aliorum fructuum excretorum, tam in suis praediis patrimonialibus, quam aliis, ratione beneficiorum Ecclesiasticorum sibi competentibus & pertinentibus, etiam aliis personalibus vectigalibus, pedagiis, angariis, & parangariis, sint & remaneant in perpetuum quiti, liberi, franchi, immunes pariter & exemti.* Privilegium integrum recitat (u) Rebuffus: sed nobis nunc satis est, vnum hoc attulisse. Alibi idem Rebuffus (x) notat, ab eodem hoc Carolo Rege Studentibus & Parisiensibus & Montispessulanis datam omnium munerum eam vacationem, ne ad vlla possint compelli. Attamen (ne quid dissimulemus,) iam ante Philippus Pulcher Parisiensi scholae tributorum bellicorum immunitatem indulserat saeculo tertio decimo: Philippus autem Valesius sequente saeculo ab ab omnibus eam oneribus personalibus liberauerat. Rem ita narrat (y) Rebuffus: *Speciale priuilegium concessum est Scholaribus euntibus Parisios & redeuntibus, vt nullum vectigal solvere*

(u) *Priuil.* 140. (x) *Priuil.* 127. (y) *Priuil.* 146.

vere teneantur, in haec verba: Concedimus de gratia speciali & certa scientia, & de nostrae plenitudine potestatis, ne quisquam laicus, cuiuscunque conditionis vel eminentiae existat, siue priuata persona, Praepositus, vel Baillivus, praefatos Magistros & Scholares, aut ad ipsum Studium accedentes, aut ad propria redeuntes, de quorum Scholaritate constabit per proprium iuramentum, in persona, familia, siue rebus, occasione pedagii, talliae impositionis, coustumae, vel aliorum huiusmodi personalium onerum, aut alterius exactionis, cuiuscunque personam inquietent, molestent, aut alias quouis modo extorquere praesumant. Hoc concessit Philippus VI. Valesius dictus, olim Rex Franciae, anno 1340. in mense Ianuario apud Vincennam. Simile priuilegium concessit Rex Franciae Ioannes anno 1360. die 12. Februarii, quod direxit dominis generalibus, vt praedictis priuilegiis gaudere faciant Magistros & Scholares. Hoc priuilegium ampliauit Carolus quintus, vt sint immunes tam in aqua, quam in terra, & bona ipsorum & bona suorum beneficiorum, quae ad vsum habent. Datum anno 1369. die 26. Septembris apud Vincennam. Hactenus Rebuffus. Operae pretium forte fuerit, & nonnulla heic loci in maius robur ex Stephano Pasquierio, aut potius ex interprete eius, diligentissimo Limnaeo (a) audire. Ille ita loquitur: *Philippus Pulcher edicto anni 1295. sanciuit, vt, quascunque faceret impositiones ad bella necessarias, Vniuersitas (sermo autem est ipsi de Parisiensi,) illis non subiaceret; anno 1299. pro debito reali Scholarem non posse pignorari in suis mobilibus; & anno 1311. vt Vigilum magister statim in introitu officii iuraret, se obseruaturum in omnibus & per omnia priuilegia Vniuersitatis. Et Ludouicus Hutinus, eius filius, qui per annum duntaxat regnauit, vt omnibus Scholaribus liceret supellectilem suam transportare, quo vellent, absque vllius impedimento. Verum supra omnia magnum est priuilegium, quod Philippus Valesius ipsis dedit anno 1340. quo illos exemtos voluit ab omnibus portoriis, vectigalibus, consuetudinibus, & aliis huius generis oneribus personalibus, & vt omnibus in processibus non euocarentur Lutetia.* Verba haec omnia sunt Pasquierii. Ex Philippi porro Valesii tabulis, anno saeculi quartidecimi quadragesimo quinto Parisiensi Scholae Gallica lingua traditis, reci-

(a) *Lib. VIII. de Iure publ. Rom. cap. IX. n. 62.*

tat nonnulla (b) Rebuffus, quae Latine verſa non poſſumus itidem hic ſilentio praeterire. *Volumus*, ait Rex, *quod ex bonis ſupradictorum Magiſtrorum & Scholaſticorum nulla bona,* 183 *qualia & quaecunque fuerint, pro praeſidiis noſtrorum bellorum, neque pro noſtra aula, pro aula noſtrae cariſſimae ſponſae Reginae, neque pro noſtris liberis, neque pro aliis quibuscunque noſtrae proſapiae legatis, Ducibus, Conneſtabilibus, aut aliis volentibus vel dicentibus, ſe habere ius, in noſtro regno quacunque auctoritate liceat accipere. Sed tranquille ſupradictis Magiſtris & Scholaſticis omnia eorum bona relinquantur.* Hactenus Rex ille, Rebuffo teſte. Quae ſi vera ſunt, (cur vero aliter ſuſpicemur?) apparet, initia immunitatum Scholaſticarum iacta Pariſiis quidem tertii decimi ſaeculi fine, ſed Philippo Valeſio demum rege, adeoque ſaeculo quarto decimo, iuſtum illis incrementum acceſſiſſe, atque tum demum illam a vectigalibus aliisque oneribus libertatem Scholaſticos homines in Galliis quidem conſecutos eſſe.

XVI.

Verum haec in Gallia ita contigerunt. In Italia, Germania, Britannia, alibi, quando iſthaec coeperint, vt, quod res eſt, fatear, certo affirmare non poſſum. Fortaſſis autem parum intereſt, ſiue id neſcias, ſiue ſcias. Ego tamen grati eſſe animi credo, inquirere in auctorem cuiuslibet boni. Id certum eſt, hodie illud immunitatis genus per omnem Europam, qua quidem Chriſtianae religioni aliquis honos eſt, obtinere: quocunque etiam auctore in vſum venerit. Si coniecturae eſt locus, dixerim, deberi in Italia quidem, ſaltim vectigalium immunitatis originem, partim ſpontaneae benignitati hominum iam tertii decimi ſaeculi, partim vero Iuris Doctoribus, veteres Romanas leges in literatorum gratiam liberaliter atque benigne interpretantibus,

(b) Priuil. 83.

bus. Enimuero ipſemet Accurſius, quem initio ſtatim tertii decimi ſaeculi conſtat magna nominis exiſtimatione Ius Romanum Bononiae docuiſſe, ad *Authenticam Habita*, non illam ipſam *Authenticam*, aut aliquod nouum aliud Caeſaris reſcriptum, laudauit, ſed in hunc modum gloſſatus eſt: *Sed an pedagia ſoluant? Reſpondeo: Non. Arguit ff. de leg. l. ſi quando. Item quia in vſum proprium ferunt libros, & alia. In de vecti. & commiſſ. l. vniuerſi. Item, quia non eſt conſuetum, vt ff. de publ. & vectig. l. IIII. in fine.* Poſt Accurſium nonnulli, (quos inter eſt Bartolus ipſe & Baldus,) libertatem hanc voce *ſecuritatis* in *Authentica* comprehendi, perſuadere vulgo conati ſunt. Atque homines quidem alii videntur hoc indulſiſſe Studioſis tanquam clericis. Accedente autem Iuriſconſultorum auctoritate, haud difficulter in morem trahi potuit omnibus laudata aequitas. Et vero acceſſit tandem & Principum confirmatio. Sic de Agrippinenſi Academia agens (c) Middendorpius: *Fridericus Imperator, eius nominis tertius*, (inquit,) *omnes & ſingulos, ex quacunque mundi parte ſtudiorum cauſa Coloniam adeuntes, & redeuntes, cum familia & bonis ſub Regalem tuitionem ſuſcipiendos, nullaque de cauſa in itinere ſuo impediendos, arreſtandos, ab omni ſolutione pedagii, telonii, ſeu talliae, aut exactionis genere immunes eſſe debere, ſub grauibus poenis ſanciuit, & executionem Archiepiſcopo Colonienſi, Brabantiaeque ac Geldriae Ducibus, demandauit, Francfordiae 4. Auguſti anno 1442. regni ſui tertio. Carolus, Dux Geldriae, hoc priuilegium peculiari diplomate confirmauit: ſuisque ſatrapis, telonariis & miniſtris mandauit, vt Doctoribus & Studioſis Colonienſibus, amicis ſuis, auxilio & conſilio eſſent: vt cum rebus & bonis libere, ſine vllo teloneo, facilius per ſuas prouincias tranſirent: pro ſe & pro haeredibus ſuis. A. 1514. die 25. Sept.* Hactenus Middendorpius. Similes autem tabulas Caeſarum Principumque alibi etiam fortaſſis paſſim reperire eſt.

184

SVPPL. LXXXV.

(c) *Lib. V. de Acad. p. 367.*

XVII.

185 Sed quorſum prolabor ſermone ? Initio hoc volebam: vltimis hisce quinque cumprimis ſaeculis immortales deberi gratias a nobis, qui in ſcholis publicis literarum ſtudio nos conſecrauimus: quod hoc demum tempore pleraque illa, ſi non omnia, ſint orta & conſtituta, quibus res Academica conſeruatur. Eo enim interuallo videntur paſſim Reges, Principes, Pontifices, certatim dediſſe operam exornandae rei literariae & adiuuandae, iis beneficiis collatis, quorum ne vmbram quidem in prioribus ſaeculis, apud cultiſſimas etiam gentes, eſt inuenire. Adeo liberalibus autem benefactoribus quis dubitet aeternas deberi gratias? Nec tamen illi quicquam aliud, quam rei literariae commodum, videntur ſpectaſſe: vt proinde grati omnes illi ſint habendi, qui tantis beneficiis vtuntur fruunturque illo fine, quo par eſt.

XVIII.

Quod a vobis quidem, o optima ſtudioſorum corona, hoc ſemeſtri ſpatio Prorectoratus mei eſſe factum, fortaſſis licet affirmare. Etſi enim interdum contigerit quid ſecus, quam oportuit, ſaltim a plerisque tamen hoc tempus cum ſtudiorum fructu eſſe collocatum, nolo dubitare. Id quod mihi ſane nunc eo eſt iucundius, quo maiori cum metu munus hoc fui aggreſſus. Non enim diffitebor, haud ſine trepidatione prouinciam me hanc ſubiiſſe. Verum equidem Deo Opt. Max. boni omnis datori promotorique, ante omnia gratias debeo, quas poſſum mente concipere maximas: qui inter hos belli motus, haec inter pericula, interque has aerumnas, quibus Germania tantum non omnis periit funditus, protexit hanc Iuliam, eique otium illud fecit, cuius bonis potuerimus frui. Magnas quoque gratias debeo Clariſſimis & honorandis Dominis collegis meis: qui

186 profecto nulla in re vel conſilii vel rei inopem me reliquerunt

runt. Vobis tamen etiam, o optimi iuuenes, haud parum me fateor debere, cum pro ſtudio in me veſtro, tum pro amore virtutis, qua tempora ſperato tranquilliora mihi reddidiſtis. Macte eſte, o boni, & pergite, vt coepiſtis, quietem honeſtam & literarium otium fouere. Ego ſane hisce, quas dixi, de cauſis laeto animo poſſum nunc prouincia excedere. Nec vero eſt, quod morer amplius. Igitur, quod bene vortat Academiae huic Iuliae, omnibusque eius cum Senatoribus, tum Ciuibus, ad Te mea oratio ſeſe deflectit, Clariſſime atque Eximie Vir, N. N. Collega & amice multis nominibus & honorande & cariſſime. Sexta agitur ſeptimana, cum vnanimi omnium Collegarum conſenſu electus es in proximum ſemeſtre Academiae huius Iuliae Magnificus Prorector. Confirmauit auctoritate ſua noſtram electionem Sereniſſimus ac Reuerendiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Dux Brunsuicenſis & Luneburgenſis, &c. Academiae huius Rector hodie ac Cancellarius Magnificentiſſimus, Dominus noſter clementiſſimus. Tu vero, neque noſtrae exſpectationi neque Principis voluntati Te defuturum, ſpopondiſti. Exacto itaque ſemeſtri illo, quo mihi gerendum fuit hoc munus, dies iam adeſt & hora illa, qua prouincia haec tibi venit tradenda. Age igitur, Vir Clariſſime, quod felix fauſtumque tibi, nobis, ac omnibus bonis eueniat, hanc cathedram adscende, & a me accipe cum ea inſignia, quibus merito conſpicuum Te porro eſſe oportet, tum & alia nonnulla, quibus res Academica noſtra praecipue adminiſtratur.

Accipe igitur primum hanc purpuream ex holoſerico epomidem. Regius hic olim fuit ornatus, Pontificum, Caeſarum, & Regum vnanimi beneficio, tuum munus, quod geris, quo ſit conſpectius, Academiis poſt conceſſum. 137

En Tibi & duo haec ſceptra! Hoc inſigne meri mixtique imperii eſt, quo pollet haec Iulia. Hoc ſolatium miſeris, fiducia oppreſſis, ſpes egenis, terror malis ac petulantibus ingeniis.

Trado etiam duo Academiae ſigilla: alterum maius, obſignandis maioris momenti negotiis; alterum minus, in vſum magis familiarem. Penes Te enim hoc ſemeſtri erit facultas, & Academica omnia ſigillo confirmandi, & alibi obſignata reſerandi.

Cape etiam codicem hunc legum & ſtatutorum noſtrorum. In hoc habes omnia, ſecundum quae Schola noſtra eſt dirigenda. Habemus ſcilicet rempublicam non ex caeco regentium arbitratu, ſed ſecundum leges adminiſtrandam. Quod & tibi non poteſt non placere: quem minime praeterit, quam obnoxii mentis affectibus mortales ſimus, & quam ſimul iniquus rerum arbiter ſit idem affectus ille.

Accipe & hunc Codicem, album ciuium Academicorum. Neque enim fas eſt, ignorare te quenquam eorum, qui huc tanquam ad aſylum aut potius ad aram atque velut in portum aduenerunt. Omnium autem nomina hic videbis conſignata. Quod etiam te ſcio expetere, qua erga omnes es beneuolentia.

En tibi denique & claues! quo videas, nihil arcanum non concredi fidei tuae. Habes iam claudendi reſerandique omnia poteſtatem, prout aut lex id exegerit, aut vtilitas publica poſtulauerit.

:88 Sunt quidem adhuc & alia penes me: ſed quae huc minus com-

commode potuerunt transferri. Recipio autem, me ifthaec bona fide intra octiduum, aut fi quem alium diem in id indicere vifum fuerit, tibi traditurum: intra quod tempus & rationes accepti atque expenfi me redditurum, ftipulata hac manu polliceor.

Atque ita finis iam impofitus eft meo muneri: quo nomine iterum Deo Opt. Maximo gratias ago immortales. Quando autem te video, Magnifice Dn. Prorector, non poffum equidem & Academiae noftrae, & Tuae Magnificentiae, & mihi denique, non plurimum gratulari: Academiae quidem, quod accipiat eum adminiftratorem, qui & prudenter poffit & diligenter velit eam regere ac defendere; Tuae autem Magnificentiae, quod ad eum gradum dignitatis perueneris, qui in noftro ordine a Caefaribus, Regibus, Principibusque fummo femper eft honore affectus. Mihi vero cur non gratuler illum fucceſſorem, quem fingulari amicitiae affectu dudum fui profecutus? Deum veneror, vti, tranquillitate conceffa, ita Tua Magnificentia prouinciam hanc regat, vt proximo femeftri Academia non conferuetur tantum, in quo eft ftatu, fed & magnum capiat incrementum.

HERM.

HERM. CONRINGII SVPPLEMENTA DISSERTATIONVM DE *ANTIQVITATIBVS ACADEMICIS.*

SVPPLEMENTVM I. ad libri titulum.

I.

197 Scholis publicis ſublimiorum ſcientiarum atque artium quia hodie commune paſſim eſt *Academiarum* nomen, idque nos etiam ſumus ſecuti, forte haud abs re fuerit, hic docere, qua ratione cognomentum illud paſſim hodie inualuerit.

II.

Tenendum igitur, *Academiam* initio non niſi locum vnum Athenienſium ſuburbiorum gymnaſiis inſtructorum audiuiſſe. Fuerunt nempe Athenis olim, praeter alia ſuburbana, tria cumprimis ſplendore aedificiorum & gymnaſiis celebria: Academia, Lyceum, & Cynoſarges. Quorum poſteriora duo praeclare perſecutus eſt Meurſius *lib. II. Athenarum Atticar. cap.* 2. *&* 3; prius in *Ceramico gemino*, libro poſt-

poſthumo, *a cap. vsque decimo nono, praecipue autem cap. 20. & 27.* Quoniam vero Platoni in Academia iſthac Schola Philoſophiae publica fuit conceſſa, & quidem omnium prima, hinc Scholae Philoſophicae nomine quam maxime Academia illa Attica inclaruit. Diogenes Laërtius lib. III. de Platone ait: ἐπανελθὼν εἰς Ἀθήνας διέτριβον ἐν Ἀκαδημίᾳ. τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν, Ἀκαδήμου. Recitatis mox verſiculis Eupolidis & Timonis, eius indubie, quem σιλλογράφον appellant, addit: πρότερον γὰρ διὰ τοῦ E Ἑκαδημία ἐπικαλεῖτο. *Reuerſus Athenas in Academia commorabatur. Ea vero eſt gymnaſium ac ſuburbium nemoroſum, a quodam Heroe, Academo, cognominatum: primo autem per E Hecademia appellabatur.* Quae totidem ferme verbis referunt quoque & Suidas & auctor *Prouerbiorum.*

III.

Praeter vero locum iſtum vniuerſa Graecia nihil olim habuit Academiae cognomento inſigne. Cicero longe poſt villam quandam ſuam *Academiae* nomine dignatus eſt, vt gymnaſium in Tusculano *Lycei.* Huius ipſemet meminit 198 *lib. I. de diuinatione* hisce verbis: *Nuper cum eſſem cum Quincto fratre in Tusculano, diſputatum eſt. Nam cum ambulandi cauſa in Lyceum veniſſemus, (id enim ſuperiori gymnaſio nomen eſt:) Perlegi, inquit ille, tuum paulo ante tertium de natura Deorum.* De illa illuſtris eſt Plinii locus *lib. XXXI. cap. II:* *Digna memoratu villa eſt ab Auerno lacu tendentibus, impoſita litori, celebrata porticu ac nemore: quam & vocabat M. Cicero ACADEMIAM, ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiusdem nominis:* Academicarum nempe quaeſtionum. Hadrianus quoque Imperator partem villae ſuae Tiburtinae eodem modo nuncupauit. Spartianus id teſtatur in eius vita: *Tiburtinam,* inquiens, *villam mire exaedificauit: ita vt in ea prouinciarum & locorum celeberrima nomina inſcriberet, velut LYCEVM, ACADEMIAM, PRYTANEVM.* Qui

alius id imitatus ſit, nemo ex omni aeuo vetere memoratur.

IV.

Sed & ipſamet illa nobilis Athenienſium Academia videtur poſt Platonem non diu floruiſſe priſtino cultu. De Sylla ſane, qui bello Mithridatico obſedit & ſuperauit Athenas, diſerte ſcribit Plutarchus in eius vita: Καὶ τήν τε Ακαδημίαν ἔκειρε δενδροφοροτάτην προαςείων ὖσαν, καὶ τὸ Λυκεῖον, *Et Academiam deuaſtauit, inter ſuburbia arboribus frequentiſſimam, & Lyceum.* Fortaſſis vero id de nemore loci illius accipi potiſſimum debet: quia Appianus in *Mithridatico* ita duntaxat loquitur de Sylla: ὕλην δε τῆς Ακαδημίας ἔκοπτε, καὶ μηχάνας εἰργάζετο μεγίςας, *Syluas vero Academiae exſcindebat, & machinas inde faciebat maximas.* Nec tamen ab ingenio Syllae fuiſſet alienum, etiam, quod reliquum fuit Academiae, exſcindere, quoniam Piraeeum & Munichiam incendit, & vrbe capta crudeliſſime ſaeuiit in ciues: quod narrat idem Plutarchus. Qui recte dixit: Ουδὲν ἐν τῷ Σύλλᾳ φιλάνθρωπον ὐδὲ μέτριον. Qualis autem adhuc ſuo aeuo fuerit Academiae facies, memorauit Pauſanias: forte quod eam, vt alia, Hadrianus Imperator, qua erat in vrbem illam beneuolentia, tunc reſtauraſſet. Inde ſane diſcimus, etiam tunc fuiſſe ibi gymnaſium, in cuius introitu ſeptum quoddam Dianae, optimaque ac pulcherrima ſimulacra, templum item non magnum, ac varia ſepulcra: in primo Academiae aditu aram Amoris, intus autem aram Promethei, Muſarum, Mercurii, Mineruae, & Herculis. Quem Pauſaniae locum egregie illuſtrauit, nonnullis etiam additis, Meurſius: qua parte de *Ceramico* ſuburbano agit, cuius pars nobilis fuit *Academia.* Non niſi pars tamen: etſi Heſychius & Stephanus is, qui de vrbibus ſcripſit, ita locuuti ſint, quaſi *Ceramici* & *Academiae* voces idem ſignificent.

199

V.

V.

Cumprimis vero expendi meretur, a Pausania nullam factam mentionem Scholae Philosophicae in Academia tunc superstitis. Indicio sane illud mihi est satis certo, isthac tempestate desiisse scholam illam nobilem a Platone institutam illic loci celebrari. Horatius *lib. II. epist.* 2. quidem ait:

> *Adiecere bonae paulo plus artis Athenae:*
> *Scilicet vt possem curuo dignoscere rectum,*
> *Atque inter syluas Academi quaerere verum.*

Verum poëtica hoc dictum forte fuit elegantia de schola Academica intra muros iam tunc recepta. Et vero videtur, loca scholarum Platonicae, Peripateticae, & Stoicae Philosophiae, aut ipsas potius scholas, quae in mediis Athenis aliquot etiam post saeculis fuerunt agitatae, *Academiae*, *Lycei*, & *Porticus* nominibus fuisse celebratas. Hoc sane spectasse videtur Synesius *epistola* 54. vbi ita illos, qui Athenis redierant, perstringit: *Versantur inter nos, quemadmodum semidei inter mulos, eo quod conspexerint Academiam & Lyceum & variam illam Porticum, quae iam non est varia: nam Proconsul tabulas abstulit.* Nisi malis, locutum Synesium de locis, qui olim *Academiae* & *Lycei* nominibus extra vrbem audierunt. Enimuero in vniuersum olim omnis schola Platonis successorum *Academia* dicta est, &, qui eam doctrinam amplexabantur, *Academici*: qui cum sententiis dissenserint, nata hinc nomina *Academiae veteris*, *mediae*, & *nouae*. A quibus cum plurimum alii abirent circa saeculi Christiani secundi & tertii confinia, extinctum sensim est ipsum *Academicorum* nomen, & inualuit *Platonicorum* appellatio. Vnde S. Augustinus *lib. VIII. de ciuitate Dei cap.* 12. ita recte scribit: *Recentiores Philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt dici PERIPATETICI aut ACADEMI-*

200

CI, *ſed* PLATONICI: *ex quibus ſunt valde nobilitati Graeci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius.* Nec vero audiendus Marſilius Ficinus, aut Iacobus Mazonius, qui & hanc Platonicorum ſcholam *Academiam* appellant: ſiue ſextam, vt Mazonius, ſiue peregrinam, vt Ficinus, hanc *peregrinam* iterum trifariam diuidens in AEgyptiacam Ammonii Sacae, Romanam Plotini, & Lyciam Procli. Carent ſane haec narrationes omni idoneo veteris aeui teſtimonio.

VI.

Caeterum a Syneſii praeterpropter aetate, certe a temporibus Iuſtiniani Imperatoris, in vniuerſo terrarum orbe per mille amplius annos nulla ſchola, nullus ſcholae locus, *Academiae* nomen accepit. Primo omnium in Italia Romae videtur illa vox reducta in vſum Paulo ſecundo Pontifice: idque non, vt olim, de ſpecie ſcholae Philoſophicae, aut ſchola ipſa, ſed de collegio aliquo iſthoc tempore Ro-201 mae commorantium, & priſcae doctrinae collapſae reſtitutionem aliquam inſtituentium. Tum ſane iam denuo illud nomen coepiſſe, liquido apparet ex iis, quae Bartholomaeus Platina narrat in *Vita* illius Pauli. Narrans enim, quaenam contigerint ſibi & aliis quibusdam literatis in carcere, Papa iſthoc iubente & praeſente, ſcribit in haec verba: *Fit autem inter dicendum de Academia mentio. Inclamat tunc M. Barbus, S. Marci Cardinalis, nos non Academicos eſſe, ſed foedatores Academiae. Quid turpitudinis autem a nobis in Academiis prodierit, certe non video: cum nec fures, nec latrones, nec incendiarii, nec decoctores eſſemus. Veteres Academicos ſequebamur, nouos contemnentes, qui in rebus nil certi ponebant. Paulus tamen haereticos eos pronuntiauit, qui nomen Academiae vel ſerio vel ioco deinceps commemorent. Inuſta eſt haec ignominia Platoni: ipſe ſe tueatur.* Qui Paulum ſecuti ſunt Pontifices, rectius ſapuerunt: eoque deinceps in Italia paſſim id genus Acade-

miae

miae inſtitutae, & nunc etiam in frequente ſunt vſu, Philologicis tamen potius, quam Philoſophicis exercitiis occupatae. Et vero hodieque celebris eſt fama *Academiae*, Romae quidem *Humoriſtarum*, Senis *Intbronatorum*, Florentiae *Furfurariorum*, in vrbe Picena *Auuicatorum*, Ferrariae *Intrepidorum*, Bononiae *Noctis*, aliarum alibi, ſuis ſeorſim, etiam ridiculis, cognomentis & ſymbolis inſignitarum. Etiam *Lynceorum* Academia, Phyſicis & Mathematicis excolendis Neapoli conſecrata, in magna fuit exſpectatione: ſed cum ſuo parente, Friderico Caeſio, Duce, mox interiit. Serpente exemplo etiam trans Alpes nonnusquam nihil ad rem literariam facientibus, imo improbis etiam quibusdam rebus, *Academiae* cognomentum eſt profanatum. Enimvero Pariſiis anno ſaeculi huius nono non puduit nonnullos *Academiam* inſtituere *ludorum aleae & chartarum*: quae tamen altero poſt anno Regio edicto ſeuere, ceu par erat, damnata eſt. Ibidem vtilis quidem, *Academiae* tamen cognomento neutiquam digna, equitandi ſaltandique ſchola coepit Pluvinello auctore. 202

VII.

Longe maiore iure *Academiae* nomen ſcholis illis inditum eſt, quae alias vulgo aliquot iam ſaeculis audierunt *Vniverſitates*, *Studia*, & *Gymnaſia generalia*. Primum videtur hoc coepiſſe in Germania noſtra, & quidem ſuperiore demum ſaeculo, nec vllo decreto publico, ſed ſolo doctorum quorundam virorum, veterem Graecorum doctrinam admirantium, inſtituto. Hinc ne hodie quidem vel apud nos in promiſcuo vulgi vſu vocis *Academiae* eſt iſthaec ſignificatio: tantum abeſt, vt alibi obtineat. Receptiſſima eſt vox *Vniuerſitatis* aut *Studii generalis* vel *vniuerſalis*: etſi nec id ſatis conſtet, quî *Vniuerſitatis* vox huc tracta ſit. Sed & τὸ *Gymnaſium* primo ſui vſu palaeſtram luctatoriam denotat: quo-

niam tamen primae Philoſophicae ſcholae in Gymnaſiis Atticis coeperunt, non defuit ſenſim iuſta occaſio, ad ſcholas illas maiorum artium & ſcientiarum vocem illam flectendi. Vnde iam Cicero *lib. II. de Oratore* dixit: *Saeculis multis ante gymnaſia inuenta ſunt, quam in his Philoſophi garrire coeperunt: & hoc ipſo tempore, cum omnia gymnaſia Philoſophi teneant*, &c. Idem *lib. I. de Oratore* eodem ſenſu voce illa vſus. *Clamabunt, credo, omnia gymnaſia, atque omnes Philoſophorum ſcholae, ſua eſſe haec omnia propria.* In Symmachi epiſtolis, vt & apud Saluianum, alibique, diſerte memorantur gymnaſia literarum. Imo paſſim locorum per vniuerſum Imperium Romanum, deficientibus ſenſim gymnicis exercitiis, tandem vox *Gymnaſii* nihil niſi ſcholam altioris cuiusque doctrinae denotauit.

VIII.

203 Quandoquidem vero recepti nunc vſus eſt, literatorum ſaltim conſuetudine, vt *Academiae* nomine ſcholae illae, quae *Vniuerſitates* alias audiunt, vſurpentur, etiam nos voluimus illum nunc obſeruare: confiſi, neminem temere id improbaturum. Valent ſcilicet vocabula vt nummi: vtque recte ait Horatius de populo,

Hunc penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Ideoque nec ipſa *Scholae* vox vnquam a nobis vſurpabitur in ea ſignificatione, qua iam ſaeculo Chriſtiano quarto Palatina quaedam officia audierunt *ſcholae agentium in rebus, ſcholae protectorum, ſcholae ſilentiariorum*, & ſeptem aut octo praeter haec alia, quibus tum praefuit *Magiſter officiorum* dictus. Nec item vox illa nobis ſignificabit ſolas Rhetorum ſcholas: quae tamen ſignificatio videtur iam inoleuiſſe ſub finem ſaeculi Chriſtiani primi. Conſtat ſane ex Taciti *de Oratoribus* libro, ſiue ille fortaſſe fuerit Quintiliani aut alterius eius aeui, *Scholaſticos*

lasticos tunc appellatos, qui declamationes instituebant de caussis fictis: ex praefatione item Controuersiarum Senecae, *scholasticam controuersiam* & *declamationem* idem tunc valuisse. Codex tamen Theodosianus pariter & Iustinianeus *Scholastici* nomine ipsarummet caussarum forensium patronum siue aduocatum solent designare: quin hoc significatu duo praestantes historici, Agathias & Euagrius, tunc *Scholastici* audierunt. Eodem aeuo, diuque post, *sermo scholasticus* dictus est, qui Oratorum in modum est expolitus: etsi *Scholares* tunc dicti, qui nunc *Studiosi* appellantur. Longe post Parisiis accepta vox *Scholasticorum* pro Theologis subtilioribus. Quantumuis enim hae significationes olim quidem in vsu fuerint, quoniam tamen hodie obsoleuerunt, obseruabimus temporis nostri consuetudinem.

SVPPLEMENTVM II. 204

Ad pag. 3.

I.

Non attigi scholas antediluuianas, idque studio & de industria. Equidem haud dubito, ne tum quidem defuisse scientiarum & liberalium quarumuis artium scholas. Cum enim maxime tum fuerit longaeua hominum vita, nec illi indubie ab ingenio fuerint destituti brutorum in morem animantium, non potuerunt non diuturnum suum otium scientiis atque artibus excolendis, saltim eorum quammulti, impendere, ab ipso naturali sciendi desiderio stimulati. Recte scilicet Aristoteles: πάντες ἄνθρωποι εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Quid? quod nondum assueta isthaec aetas compluribus vitae haud necessariis instrumentis, omnigenae Philosophiae indagandae excolendaeque potuerit vtique haud segniter vacare,

care, imo longaeuitatis, atque adeo & sanitatis integrae beneficio plurimum proficere. Indubie ergo & alter alterum docuit, ac proinde scholae discentium ac docentium sunt habitae.

II.

Quod si illud, quod *Genes. IV. 26.* scribitur de Enosi, Sethi filii, aetate: *Tunc incepit nomen Domini inuocari*, accipias, quasi tum veri Dei cultus solito maior coeperit; dixeris cum viris quibusdam magnis, tunc coepisse celebrari scholas recti diuini cultus. Sed cum Enos natus demum sit anno mundi 235. mihi quidem non est verisimile, neglectas tanto temporis spatio necessarias eiusmodi pietatis scholas, aut tunc demum cultum Dei creatoris solito feruentius incepisse. Ideoque verisimilior videtur Hebraeorum interpretatio, quam producam Nicolai Lyrani verbis: *Litera Hebraica sic habet: Tunc incepit nomen Domini inuocari: quod exponunt Hebraei de* 205 *idololatria: quia, vt dicunt, tunc inceperunt homines attribuere nomen Domini creaturis, vt soli, lunae, & idolis. Non tamen ab isto Enos, qui iustus fuit & deuotus, sed a filiis Cain sibi contemporaneis: sicut supra dictum est de Iabal & Iubal.* Dixerat autem Lyranus supra: *De Iabal, fratre suo ex patre, dicunt Hebraei, quod fecit tentoria ad ponendum idola. Et de Iubal dicunt, quod canebat instrumentis Musicis coram idolis ea venerando.* Huic expositioni docte, vt solet, opposuit quidem nonnulla Paulus Burgensis: sed Dorinckius ea non minore acumine reiecit. Et vero, quibus exordiis creuerit iniquitas hominum illius aeui, videtur isthoc Genesios capite potissimum significari.

III.

Iosephus libri Ἀρχαιολογίας *cap.* 3. de Setho eiusque posteritate verba faciens, haec memoriae reliquit, qualia Latine

tine vertit Sigismundus Gelenius. *Hic a patre educatus, vt eo aetatis venit, vt iam, quod rectum est, discernere valeret, virtutis studiis se totum dedidit. Et cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole praediti, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & sideralem scientiam ac coelestium rerum cognitionem excogitauerunt. Ne autem inuenta sua ex hominum notitia elaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes, Adamum vniuersalem rerum interitum praececinisse, vnum incendio, diluuio alterum; excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt: vt, si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, &, quae continebat, spectanda exhiberet. Aiunt enim, lapideam illam ab ipsis dedicatam, quae & nostris temporibus extat in terra Syria.* Haec cuncta Iosephus, & solus quidem ex omni veteri aeuo. Quoniam vero nullum aliud vetus huius rei exstat testimonium, facile liquet, neutiquam ferenda esse, quae hac de re longe aliter narrauerunt Petrus Comestor, Philippus Bergomensis, Nauclerus, & alii: quasi nempe columnae fuerint a Cainitis excitatae, & quidem a Iubale & Thubalcaino, iisque inscripta fuerint musicae & artis ferrariae inuenta. Quin imo ne Iosepho quidem secure credi potest: quoniam omne hoc hausit ex fabulis sui aeui; infidis sane rerum testimoniis. Nec tamen vero est absimile, siderum contemplationibus Sethidas, vt homines probos & quiete degentes, in altissimo otio ac vita longissima vacuum tempus nonnunquam dedisse. Quapropter indubie & in scholis suis hanc sideralem scientiam tradiderunt. Quae de obseruationibus sideralibus vtrique columnae inscriptis narrat Iosephus, vix tamen merentur fidem. Aut enim inscriptae literae legi & intelligi Iosephi aetate potuerunt, aut non. Si potuerunt, vtique aliquis scriptorum obseruationes illas memorasset. Memorauit autem nemo. Sin vero, qui Iosephus nouerit inscriptionum istarum argumentum? Quia post diluuium

206

autem AEgyptii sui ingenii reperta columnis incisa ad posteros transmiserunt, quod cum alii, tum Iamblichus *lib. de mysteriis AEgypt. sect. 2. cap. 2.* Proclus *lib. I. in Timaeum pag. 31.* testantur: quia item teste Plinio *lib. VII. cap. 56. Epigenes docuit, apud Babylonios DCCXX. annorum obseruationes siderum coctilibus laterculis inscriptas;* imo aliquem similem laterculum ex ruderibus Babyloniis allatum nactus est Peirescius, vt in *Vita* illius scribit Gassendus; (Septentrionalia saxa inscripta nunc non moramur, vtpote quae nihil habeant bonae doctrinae:) neutiquam negauerim, tale quid etiam ante diluuium fuisse institutum. Sunt tamen omnia etiam haec incerta, eoque nihil nos iuuant ad id, vt de scholis antediluuianis aliquid indubitati affirmemus.

IV.

207 Possit videri facere huc nonnihil, quod de Henocho fertur, eiusque non sacra duntaxat, sed etiam rerum naturalium scientia. Et vero etiam in Muhamedis *Alcorano* celebratus ille est *Idris* cognomento. Quod vocabulum Hottingerus interpretatur *disputatorem & rerum arcanarum inuentorem.* Idem vero ille Hottingerus Beidauium, *Alcorani* commentatorem, scribit tradere, appellatum Henoch *Idris propter multiplex eius studium:* quia scilicet *altissimus demiserit super eum triginta volumina*: item *quod ipse primus quid scripserit calamo*, & *quod considerauerit scientiam siderum & nubium.* Simile quid prodit etiam ex Georgio Elmacino vir in iis literis quondam admirandae peritiae, Hottingerus. Quoniam vero hoc omne nititur duntaxat *Alcorani* & Saracenorum, longe post diluuium, longissime post Henochi aetatem, natis testimoniis, etiam alias subleстae fidei, non quoque illa Henochi encomia merentur aliquem assensum. Sed & quae in Sacra Scriptura laudantur Henochi studia, quod nempe *cum Deo vixerit*, fortassis non sunt passa rerum aliarum,

rum, quamuis naturalium, curioſam & moleſtam inueſtigationem. In eandem porro Arabum ſententiam narrat quaedam de Henocho Gregorius etiam Abul-Pharai; ſed itidem, vt ipſe agnoſcit, incertae fidei.

V.

Quod ſi credimus illius, qui olim celebri fuit fama, Henochici libri, titulo Ἀποκάλυψις τȢ̃ Ἐνὼχ, iis fragmentis, quae ex Georgii Syncelli hiſtorico opere, hactenus manuſcripto, edidit Ioſephus Scaliger ad Euſebii *Chronicon*; angeli illi, qui feruntur faeminis ſeſe impie miſcuiſſe, varias, magicas cumprimis, artes vitae cum mollius, tum improbe degendae commodas, homines docuerunt. Et vero non eſt, quod dubitemus, fragmenta illa eſſe partes eius libri Enocho attributi, quo vſus fuit quondam Iuſtinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Celſus apud Origenem *lib. V.* Tertullianus, & Hilarius: imo & eius, ex quo nonnulla adducit ipſemet Apoſtolus Iudas, quique a Iudaeis citatur in *Zohar.* Quin imo & Zoſimus Panopolita, antiquiſſimus hodie Chemiae ſcriptorum, hunc adeo librum videtur *Sacrae Scripturae* nomine nuncupaſſe, in eo fragmento, quod idem Scaliger in doctiſſimis ad Euſebium notis produxit: etſi nonnihil de ſuo addiderit, quo Chemiae primordia redderet illuſtriora. Poſtremum iam tum demonſtrauimus *cap. 3. libri primi Hermeticorum.* Reliqua oſtendere, alterius forte fuerit inſtituti. Nunc vnum duntaxat afferemus locum Clementis Alexandrini in Eclogis ἐκ τῶν προφητικῶν Theodori: quia etiam ibi fit mentio artium quarundam ab Angelis traditarum. Ἤδη δὲ, καὶ Ἐνὼχ φησὶν, τȣ̀ς παραβάντας ἀγγέλȣς διδάξαι τȣ̀ς ἀνθρώπȣς ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας. Alterum item Tertulliani eiusdem notae, ex libro eius *de habitu mulierum*, vbi ita loquitur: *Nam & illi, qui ea conſtituerunt, damnati in poenam mortis deputantur. Illi ſcilicet angeli, qui ad filias hominum de coe-*

lo ruerunt, vt haec quoque ignominia faeminae accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes non bene reuelatas, saeculo multo magis imperito prodidissent, (siquidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant:) proprie & quasi peculiariter foeminis illud instrumentum muliebris gloriae contulerunt, lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia artantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanae colorantur, & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. Quorum similia cum dixisset in libro *de cultu foeminarum*, 209 subiungit diserte: *vt refert Enoch.* Et vero haec tantum non omnia etiamnum in iis, quae dixi, fragmentis legere est.

VI.

Non etiam, talia ab Angelis apostatis primo omnium homines accepisse, a similitudine veri quicquam forte habet alieni. Enimuero necessarias humanae vitae artes nonnullas a bonis etiam Angelis in notitiam venisse hominum, equidem arbitror: eas scilicet, quae perquam operoso constant cultu: cuiusmodi me iudice est linteorum conficiendorum ars, si incipias ab ipso lini semente. Nec vero est, quare dubitemus, prima isthac mundi aetate maius & familiarius Spirituum omnis generis cum hominibus fuisse commercium, quam est hodie. Imo *filiorum Dei* nomine, qui *Gen. VI.* memorantur in foedos amores coiisse cum filiabus hominum, Angelos significari, (quemadmodum acceperunt Iosephus, & quadantenus Philo, Iustinus, Tatianus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Ambrosius, Sulpitius Seuerus, Augustinus, aliique veterum Ecclesiae Patrum,) haud adeo forte absurdum est, atque hodie vulgo existimatur. Quae certe huic interpretationi solent obiici, docte confutauit Paulus Burgensis contra Liranum, priscam sententiam ipsemet ample-

amplexus. Ne quidem generatio gigantum ex illa commistione Angelorum hominumque a vero perinde abſona cui forte videbitur, qui cum cura expenderit, quae cum aliis Marcus Antonius Delrius, vir doctus, etſi vt immodicus ſuae partis zelota, ſic diuerſae cuiuslibet iniquiſſimus inſectator, diſputauit *lib. II. Magicarum Diſquiſition. quaeſt. XV.* Ex quibus conſequens eſt, etiam illa, quae in libro Enochi habentur de Angelis ἐγρηγόροις eorumque facinoribus, neutiquam fortaſſe mereri popularem exploſionem.

VII.

Obiter obſeruaſſe hic haud abs re fuerit aliquid, quod pro ea interpretatione, quae hodie paſſim prae veteri obtinet, qua nempe *filii Dei* creduntur eſſe Sethi progenies, habet Gregorius Abul-Pharaii, de Setho verba faciens hunc in modum: *Fertur, illum primum ſcribendi auctorem fuiſſe, & progeniei ſuae vitae beatae, quae parentibus ſuis in Paradiſo fuerat, deſiderium ingeſſiſſe, adeo vt in montem Hermon ſeceſſerint, cultui Dei & pietati & continentiae dediti, neutiquam ad mulieres accedentes, vnde vocati ſunt Bne Elohim, id eſt, filii Dei.* Item paulo poſt: *Anno Saredis quadrageſimo deſcendentes filii Dei de monte Hermon, cum de reditu in Paradiſum deſperarent, foeminas concupiuerunt: cumque vxores illis dare recuſarent propinquitate ipſis iuncti, deſpectui illos habentes, Kainitae eos ad matrimonia inuitarunt, vltro illis filias ſuas praebentes: quibuscum cum congreſſi eſſent, pepererunt gigantes, qui bellis & incurſionibus hoſtilibus praeſtarent. Et dicitur, filias Kain confeciſſe primum inſtrumenta Muſica, ad ea cantantes: ideoque vocari lingua Syriaca canticum Kinta per vocalem ceſſe, appellantque Arabes puellam cantatricem Kainah cum Fatha literae Koph.* Haec Gregorius, ſed nullo fide digno teſtimonio ſubnixa.

210

VIII.

Quicquid autem ſit de Angelorum illa inſtitutione cen-

 ſendum,

ſendum, ſiue fabuloſa fuerit, ſiue vera, ad noſtrum de ſcholis artium ac ſcientiarum inſtitutum nihil aut parum facit. Certe fugit nos omnis illa ſcholae ratio. Ea porro tandem belluina fuit vniuerſi humani generis ante diluuium vita, (Σκυτισμὸν appellant cum Epiphanius, tum alii, ſed cum iniuria Scytharum, quia, vt recte ait Iuſtinus, Trogi epitomator, *plus apud hos valuerunt boni mores, quam alibi bonae leges:*) vt indubie bonarum artium ſcientiarumque per omnem terrarum orbem cultura euanuerit inter homines feros & voluptatibus immerſos. Eapropter in Diſſertationibus noſtris de ſcholis iſtis nihil eſſe dictum, nemo, arbitror, improbabit. Nec vero vel nunc habemus, quod de iis afferre in medium queamus.

211

SVPPLEMENTVM III.

Ad pag. 3.

Antiquiſſimis, non multo poſt diluuium, temporibus, in Cananaeorum populis, priusquam illi per Iſraëlitas exciſi, & terrae eorum fuerunt iuſto diuino iudicio occupatae, celebrem aliquam obtinuiſſe doctrinae culturam, indicat nomen vrbis *Kiriat Sepher*: hoc enim idem eſt, atque ſi dicas *Vrbem librariam* aut *librorum*. Enimuero iampridem antea vrbem id nominis in celebri fuiſſe fama, indicat ſacra Ioſuae hiſtoria *cap. XV. verſic. 15. & 16. Aſcenditque* Chaleb *inde ad habitatores Debir: cuius nomen antea fuit Kiriat Sepher. Dixitque Chaleb: Qui percuſſerit Kiriat Sepher, & ceperit eam, dabo ei Achſah, filiam meam, in vxorem.* Igitur iſthac aetate ſuperfuit vetus vrbis vocabulum, *Kiriat Sepher*, & poſt mutauit in *Debir*. Viri docti nonnulli, interque eos ipſe Hugo Grotius, exiſtimant, hanc eſſe vrbem illam, quae Xenophonti nun-

nuncupatur *Phoenicum gymnaſium*. Verum *primo* γυμνάσιον aetate Xenophontis non ſcholam literariam ſignificauit, ſed locum exercitiis corporis deſtinatum. Deinde Xenophontis aeuo non fuit amplius in vſu appellatio priſca vrbis illa, *Kiriat Sepher*, ſed *Debir*, nec vlla ibi ſchola celebris fuit. Nihil proinde & de illa Cananaeorum ſchola poteſt dici: etſi indubie fuerit inſigni olim fama, vt quae toti vrbi dederit a *libris* ſuam appellationem.

SVPPLEMENTVM IV.

ad pag. eandem.

I.

DE AEGYPTIORVM ſcholis ſtatim *p. 3.* fecimus Diſſertationis initium: idque merito, quoniam hae maxime olim celebres, & laudem ad poſtera etiam ſaecula eximiam transmiſerunt.

II.

Quoniam Ariſtoteles autem cauſam eius, quare AEgyptii prae aliis coeperint excolere Philoſophiam, prudenter ſignificauit, & nos iſthuc iam tum reſpeximus; haud abs re fuerit, ipſamet Ariſtotelis verba, Latine tamen verſa, in medium afferre, a paucioribus alias legi forte ſolita. *Omnibus iam huiuscemodi* (artibus ſcilicet rerum vitae neceſſariarum,) *comparatis, eae ſcientiae repertae ſunt, quae nec ad voluptatem nec ad vſus neceſſarios conducunt, ac primum iis in locis, vbi homines otiabantur. Hinc Mathematicae artes in AEgypto primum inſtitutae ſunt. Ibi enim conceſſum eſt ſacerdotibus, otio frui.* 212

III.

Porro quod liberis quoque ſacerdotum abunde ex publico fuerit conſultum, & quod ſolis iis tradita fuerit do-

ctrina quaeuis sublimior, id obfuisse potius, quam profuisse scientiarum culturae, ostensum a nobis iam tum est *lib. I. de Hermet. Medicina cap. 15.* Quo libro integro prolixe persecuti sumus, quae ad AEgyptiorum studia sapientiae attinent, atque adeo etiam illa omnia, quae hic non nisi leui attigimus digito: eoque non est, cur hic eius quid nunc addamus. Nec vero eorum quicquam est, cuius poeniteat attulisse.

IV.

Vnum tamen obiter hic fatemur, illam de libris Chemicis AEgyptiorum per Diocletianum Imperatorem combustis fabulam, quam solius Suidae relationi adscripsimus *lib. I. c. 3. pag. 26.* post inuentam a nobis esse etiam inter illa Excerpta Operis Constantini Porphyrogeniti, quae Peiresciano aere redemta vulgauit & vertit doctissimus Henricus Valesius, descripta *pag. 835.* ex Ioanne Antiocheno: quem fuisse monachum Phoca Imperatore iuniorem, haud obscure liquet ex *pag. 35.* eiusdem Peiresciani voluminis. Vnde Ioannes ille mutuatus eam sit fabulam, aut num ipsemet finxerit, haud equidem dixero. Notat enim quidem Valesius *pag. 215*, Ioannem Antiochenum sua pleraque ex Eutropio, Graece a Conone Lycio verso, descripsisse: & sane nonnulla, quae de Diocletiano refert, habentur etiam in Eutropio. Quia haec fabula autem non reperitur in Eutropianis codicibus, indubie alium illa auctorem habet. Suidam vero ab Antiocheno isthoc monacho Ioanne illam accepisse, verisimile est. Etenim multa eum transcripsisse ex Porphyrogeniti Eclogis, iam pridem obseruauit Fuluius Vrsinus, probauitque H. Valesius. Sed & summus in hisce literis Claudius Salmasius *in Solinianis pag. 1077.* notat, Suidam Chemicam alteram istam famosam aurei velleris interpretationem desumsisse ex Ioannis Antiochensis libro περὶ ἀρχαιολογίας, qui indubie est illius monachi, Ioannis Antiocheni

cheni. Quin imo videtur, monachum illum esse eundem, qui Suidae *voce* ἵππον audit Ιωάννης ὁ χάραξ: atque adeo hunc esse illum Characem, non autem alterum id nominis Pergamenum, ex quo illud Chemicum de aureo vellere commentum ad Dionysii Afri περιήγησιν memorasse Eustathium, diximus *p.* 27. *Hermeticorum:* illum vero Characem, cuius testimoniis vsum Iustiniano iam Imperatore Hermolaum Byzantium, ibidem notauimus, vetustiorem esse Pergamenum. Quae hic memorare, alienius quidem nonnihil est ab hoc instituto: fortassis tamen meretur excusationem, ob ingenuam erroris confessionem emendationemque.

SVPPLEMENTVM V.

Ad *pag. 6.*

I.

De scholis veterum CHALDAEORVM praeter ea, quae laudatis a me locis habent Diodorus & Strabo, vix quicquam memoratu dignum occurrit. Nam & illa, quae in sacro Danielis libro habentur, perquam sunt tenuia. De illorum doctrina agere non est huius instituti: & fortassis singulari libello id a nobis tractabitur, qui iam pridem est affectus. Par est ratio Persicarum atque Indicarum scholarum veterum, & earum cum alia, tum Magica sapientia. Etiam enim illa cura alterius erit fortasse temporis. 214

II.

Interea haud absque pretio operae fuerit, quod INDICA quidem attinet, cum cura legisse, quem *de gentibus Indiae & Brachmanibus* librum Graece olim conscripsit Palladius, atque ex Bibliotheca Regia erutum cis aliquot annos publicauit & vertit Latine eximiae vir doctrinae, Eduardus

dus Biſſaeus. Quicum omnino merentur conferri, quae de rebus noſtri aeui Braminum, qui priſcorum Brachmanum ſunt poſteri, rara induſtria Hollandice conſcripſit Abrahamus Rogerius, & doctiſſimo commentario eiusdem linguae illuſtrata Leidae prodierunt in lucem anno ſaeculi huius quinquageſimo primo. Etſi enim accepta ſint tantum ab iis, qui ad Coromandel habitant, reapſe tamen ſunt & reliquis Braminibus communia.

III.

Sinensivm, remotiſſimi Aſiae populi, ſcholae videntur recentiore multum inſtituto coepiſſe: poſt libertatem ſcilicet olim Tataris eiectis recuperatam, & quidem potiſſimo magiſtro illo, quem *Confuſô* appellitant. Hinc forte ſcholae & inſtituta Mandarinorum, quos vocant, multa habent ſimilia Europaeis illis, quae a ſaeculo demum Chriſtiano decimo tertio inualuerunt. Quia autem de iis complura a variis auctoribus noſtra patrumque memoria praeclare ſunt prodita, atque ita tantum non in vulgus iam innotuerunt, abs re fuerit, eorum quicquam heic repetere. Hanc autem meam de Sinenſibus coniecturam valide videtur confirmare Gregorii Abul-Pharaii, Medici & Hiſtorici Arabici doctiſſimi, teſtimonium. Vixit enim ille in Aſia anno Chriſtiano poſt milleſimum ducenteſimo quarto octogeſimo, quo tempore Sinas ſiue Cathaiam, vt reliqua Aſiae, Mogulenſes Tatari imperio ſuo tenebant: eoque res etiam Sinenſium ſatis habuit exploratas. Is vero *pag.* 2. cum dixiſſet, antiquitus ſeptem praecipuas fuiſſe gentes, Perſas, Chaldaeos, Graecos, AEgyptios, Turcas, Indos, Sinenſes, earumque aliis fuiſſe curae ſtudia ſapientiae, aliis non, poſtremis annumerans Sinenſes, de iis ita loquitur: *Quod ad Sinenſes, hi gentes alias numeri frequentia, imperii magnitudine, & amplitudine regionum excedunt. Cingunt territoria ipſorum, qua lon-*

215

longissime ad Orientem protenditur terra habitabilis, quicquid est inter lineam aequinoctialem ad vltimum septem climatum septentrionem versus. Ea scientiae portio, qua caeteras gentes superarunt, est artium mechanicarum peritia, & in pingendi arte praestantia. De Indis autem longe aliter idem Gregorius iudicat. *Illis Deus*, inquiens, *multis eorum, qui colore fusco vel candido gaudent, praecellere dedit: suntque fodina sapientiae & fons iustitiae, nisi quod mundi aeternitatem adstruant, & irritas habeant prophetias, & pro illicito ducant animalia mactare, eademque dolore affici prohibeant.* Quibus verbis Brachmanes Indorum laudari, manifestum est.

IV.

Quoniam porro in sacra Salomonis historia *1 Reg. IV, 30.* huius sapientia contenditur cum ORIENTALIBVS, indubie etiam hisce fuerunt quondam magnarum scientiarum atque artium scholae. Verum ne id quidem satis constat, quinam populi illo *Orientalium* nomine tunc fuerint vsurpati: multis id ad Chaldaeos trahentibus. De Chaldaeis tamen sic locutus est Ieremias *cap. I. 14*: *Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae.* Eodem modo & alibi passim loquitur. Chaldaei proinde neutiquam sunt illi doctrina Salomonis aetate celebres Orientales. Ne nunc dicam, Nabonassaro demum Rege, atque ita multo post, videri coepisse maiorem solito in Chaldaeis doctrinae cultum. 216 Pineda in *Salomone* suo, opere perinsigni, etiam Tyrios intelligendos censet: at nec illi fuerunt Israelitarum terris ab Oriente, sed Occidente potius. Arabes fuisse qui existimant, illis & meum calculum addo. Celebratam enim eorum sapientiam vetustissimis iam saeculis, liquet ex Iobi historia: & longe post etiam Pythagoram adiisse doctrinae capessendae causa Arabes, auctor est Porphyrius apud Cyrillum *lib. X. contra Iulianum.* Non quiuis tamen Arabes potuerunt *Orientales* vsurpari. Etenim Deserta Arabia, imo

& illa pars, vnde Regina Sabae venit, meridionalis fuit Israelitarum terris. Imo illa Deserta Arabia sero satis literatura aliqua coepit excoli, & quidem post Mahumedem demum: bona eius populorum parte ab retro omni aeuo etiamnum Nomadicam vitam viuentibus. Possit videri huc pertinere, quod, quae Mahumedem antecedit aetas, soleat ipsis Arabibus *tempus ignorantiae* vocitari. Fortassis autem hoc fit respectu *Islamismi* sui, cuius primus auctor fuit Mahumedus. In vniuersum tamen de Arabum, quae Islamismum praecessit, eruditione in *Historia Dynastiarum*, quam & Arabice & versam Latine editamque debemus Eduardo Pocockio, ita *pag.* 101. disseruit Gregorius Abulpharai, scriptor Arabs, sed Christianus: *Eruditio autem Arabum, cuius gloriae praecipue studiosi erant, haec erat: Linguae suae peritia, sermonis proprietas, carminum textura, & orationum compositio. Noti etiam illis erant stellarum ortus & occasus, item quaenam ex illis ita oppositae sint, vt oriente hac illa occidat, quamque in pluuiis excitandis vim habeant: quantum quidem summa attentione & diuturna experientia assecuti erant, (quod scilicet hanc rerum istarum co-* 217 *gnitionem vitae ratio illis necessariam faceret,) non qua vera scientia acquiritur methodo. Verum quod ad Philosophiae scientiam, nihil eius admodum concesserat illis Deus, nec eos ad haec studia idoneos fecerat. Atque hic status eorum erat per Ignorantiae tempora.* Haec ille. Sed quoniam scriptor est recentior, fortassis illi tuto de iis rebus credi non potest. Fortassis etiam talis eorum duntaxat fuit Arabum ratio, quos inter Mahumedes natus est. Imo fortassis illo tempore denique Arabia sese habuit perinde, atque hodie plurimum diuersa est Graecia ab antiquo cultu. Fatetur enim ipse Abul-Pharai, *gloriae eruditionis studiosos* fuisse Arabes. Sed & iam olim Arabum Orientales habuisse magnum numerum eorum, qui *Magi* dicti sint, non minus atque Persas, liquet ex eo, quod Ptolemaeus agnoscat in Arabiae illa Orientali parte *Magorum sinum*, *Magindanam* item ciuitatem, & vrbem *Magilu-*

gilunam. Epiphanius *lib. III. contra haereſes*, Abrahami ex Kethura liberos in eam partem Arabiae, cui *Magodiae* nomen, tranſiiſſe, refert: hodieque pars Felicis Arabiae ſive Iemin vocitatur *Magin.* Admodum ſane falluntur, qui ſolos Perſarum ſapientes *Magos* credunt olim audiiſſe. Imo vocem *Magus* origine eſſe mere Arabicam, docent illius linguae peritiores. Et vero qui aliis *Kebri*, illi Arabibus *Magiuſi* ſunt vſurpati. Vt proinde, etiam illos Magos, qui omnium primi natum recentiſſime Saluatorem noſtrum venerati ſunt, non equidem dubitem cum Patrum antiquiſſimis, & Grotio ac Voſſio, viris noſtri aeui longe doctiſſimis, ex Arabia aduenisſe, profiteri.

V.

Etſi autem vacat apud me omni dubio, olim & apud Arabes illos Orientales vt eruditionem, ita & doctrinae ſcholas, viguiſſe, non tamen vel de illa eorum doctrina, qualis fuerit & quanta, certi quicquam nouimus. Non dubito tamen, & illorum Magos, ſaltim nonnullos, perinde atque Perſarum, nefariis artibus (quas tamen ipſi, tanquam vel Naturae vel Diis ſuis debitas, haud iniquas exiſtimauerunt, longe alieni ab impietate noſtri aeui Magorum, daemoniis, quorum malitia ipſis nota eſt, foederatorum;) fuiſſe deditos: quoniam in vniuerſum omne illud nomen olim denique ſectatoribus fuerit infame, & ipſosmet illos Saluatoris noſtri primos adoratores ab eo crimine haud abſoluant Origenes, Ambroſius, Chryſoſtomus, Baſilius, & Patrum alii. Multo minus vero exploratum habemus de ſcholis illorum. Ideoque, vt Orientalium Arabum ſcholas non attigimus in Diſſertationibus, ita neque nunc de iis vllum nobis eſt ad manum ſupplementum. 218

VI.

Prius tamen, quam hunc locum deſeramus, fortaſſis

haud fuerit abs re, addere hoc loco nonnihil de ZABIIS ſive SABIIS, quorum in Arabicorum aliorumque ſcriptis frequens fit mentio. Idque, quandoquidem Zabiorum appellatio fortaſſis ſignificat idem, quod Orientales, fortaſſis etiam deflexa eſt a Sabaeis, Arabiae Felicis populis. Et vero Ioſephus Scaliger, princeps literatorum, epiſtola ad Caſaubonum, quae eſt *ſexageſima libri Epiſtolarum primi*, ſcribit: *De Zabiis, ſcito, eſſe Chaldaeos Tzabin. Dicti a vento Apeliote: quaſi dicas Orientales.* Quod vtrum ſit verum nec ne, haud definierim: etſi videantur Sabiorum dogmata Chaldaicis ſaltim affinia. Docent autem Arabum Iudaeorumque ſcripta, Sabios fuiſſe quaſi auctores, certe ſummos magiſtros, idololatrici, & quidem ſiderum coeleſtium religioſi cultus. Multa de iis refert Rabbinorum doctiſſimus, Moſes ben Maimon, libro, cui fecit titulum *More Nebuchim, lib. III.* paſſim, cumprimis *cap. 29.* Vbi affirmat, ſibi ad manum eſſe libros ipſorum antiquos, atque 219 ex iis multa affert in medium varii generis. Fuiſſe autem eorum libros omnes non perinde antiquos, alios vero etiam Syriace conſcriptos, liquidum eſt ex iis, quae Gregorius Abul-Pharai narrat de Thabet Eben Korra, illo inter Arabes maximi nominis Aſtronomo, *p. 148.* editionis Pocockianae: quem ait fuiſſe Sabium. Floruit autem Thabet ſub finem noni ſaeculi Chriſtiani. Recitabo eximii illius Hiſtorici quaedam verba, prout illa de Arabico a Pocockio Latine ſunt verſa: quoniam continent alias ignota, & ob libri ipſius raritatem minus obuia. *Multa ſcripſit* (Thabet ſiue Thebit Eben Korra,) *in diſciplinis Mathematicis, Medicina, & Logica. Sunt & illi libri lingua Syriaca ſcripti, de iis, quae ad Sabiorum religionem ſpectant, de eorum conſtitutionibus, praeceptis, & ritibus, de mortuis inuoluendis & ſepeliendis, de munditie & immunditie, quaenam animalia ſacrificiis idonea, quae inepta, de temporibus cultui diuino deſtinatis, de ordinanda lectione inter orandum. Illud autem, quod apud nos conſtat de* SECTA SABIORVM, *eſt:*

est: Professionem eorum eandem prorsus esse cum Chaldaeorum antiquorum professione; Keblamque ipsorum polum Arcticum: quatuor virtutibus intellectualibus illos diligenter studere: illis, vt ter orent, iniunctum esse: primo ante solis ortum, semihora aut minus, quo oriente sole finiantur octo incuruationes, quarum singulae tres contineant adorationes; secundo ita, vt finiatur oratio meridie, declinare incipiente sole, constatque quinque ingeniculationibus, quarum vnaquaeque tres contineat adorationes; tertio oration simili secundae, & finienda occidente sole: ieiunia illis iniuncta esse, (ieiunium) triginta dierum, quorum primus est nonus Alcanui prioris; nec non septem dierum, quorum primus Strebati octauus: stellas inuocare: multa offerre sacrificia, de quibus non comedunt, sed penitus igni absumenda tradunt: a fabarum & allii esu abstinere, nonnullos etiam a phaseolis, brassica, crambe, & lentibus. Dicta eorum affinia sunt dictis Philosophorum: argumenta eorum ad probandam Dei vnitatem longe firmissima sunt. Autumant, animas sceleratorum nouies mille seculis cruciari, deinde ad misericordiam Dei redire. Tantum quoque de Zabiis hac vice: siue in Arabia illi coeperint, siue veteribus Chaldaeis sint annumerandi. Longe plura ex Orientalium scriptorum monumentis, qua solet inusitata industria & curiositate, eruta de Sabiis illis docuit Hottingerus *lib. I. Hist. Orient. cap. 8.* vt & *Bibliothecae Orientalis cap. 2. classe 3. pag. 103.* Etsi vero indubie etiam illis Sabiis suae fuerint scholae, nos tamen nihil habemus, quod de iis doceamus.

220

SVPPLEMENTVM VI.

Ad *pag. 8.*

I.

Quae *pag. 8.* de Thalete aliisque Graecorum sapientibus vetustioribus diximus, non alio indigent testimonio, quam vnius Diogenis Laërtii: quoniam, quod eius hac de re narrationibus reluctetur, nihil reperire est ex veteri aeuo.

II.

II.

De Pythagorae ſcholis quae nos attulimus, referuntur poſt Liuium in hiſtoriis etiam vitae Pythagorae apud Laërtium, Malchum, ſiue, vt nomen eius Tyrium mutauit Dionyſius Longinus, Porphyrium, & Iamblichum, alibique. Tametſi hactenus operis Iamblichi *de vita & ſecta Pythagorae*, in ſeptem libros diuiſi, tantum duo, & quidem mendoſi infeliciterque verſi, in lucem prodierint, duosque ſequentes priores cum omnibus Iamblichi reliquis ſcriptis a ſeſe exſpectari quidem iuſſerit Lucas Holſtenius, vir longe doctiſſimus, ſed nullo ſucceſſu, quantum equidem ſciam. Dignum memoratu hic eſt, quod de ſchola Pythagorae notat ad Porphyrii librum idem Holſtenius: *illam proprie* διδασκαλεῖον *appellatam, vt Platonis Academiam, & Ariſtotelis Lyceum vel* περίπατον, *Epicuri hortos, Zenonis porticum.* Vereor autem, vt poſſit firmis teſtimoniis probari: quoniam, quod διδασκαλεῖον, idem & ἀκροατήριον Porphyrio dicitur: nec apparet ratio, quare communis ſcholae appellatio vni Pythagoricae facta fuerit propria.

221

III.

De Coa & Cnidia ſcholis Medicis exſtant varia dicta Galeni: an apud alios veterum alibi, non ſatis memini. Sophiſtarum inſtituta paſſim in vulgus pridem innotuerunt.

SVPPLEMENTVM VII.

Ad *pag. 9.*

I.

Vt ea, quae de ſcholis Atticis diſſeruimus *pag. 9.* rectius intelligantur, operae fuerit pretium, diligenter legiſſe

non

non ea duntaxat, quae iam tum laudauimus ex libro posthumo *de Ceramico gemino*, dicta a viro de Atticis rebus optime omnium merito, Ioanne Meursio, ad Academiam pertinentia, sed etiam quae idem magna industria congessit in vnum in *Athenis Atticis* de Porticu *lib. I. cap. V.* de Cynosarge *lib. II. cap. 2.* de Lyceo *cap. 3.* De priuilegiis porro scholarum Atticarum quae dicta ibidem sunt, illustrauimus iam tum in *Addendis pag. 289:* vt nihil iis addere sit hodie necessum.

II.

Verum praeterea esse, quod itidem docuimus, nempe Athenienses loca isthaec celebria non suppeditasse Philosophis liberaliter, atque in scholae vsum aptasse; id praeter hortum Epicuri, quem ab illo fuisse emtum, ex Diogene notauimus, haud obscure significant etiam illa, quae nonnulli de ipsamet Platonis Academia commemorant. Plutarchus *lib. de Exilio* sane ita scribit: *Academia tribus millibus drachmarum emtus agellus, Platonis habitaculum erat.* Isidorus *Origin. lib. VIII. cap. 6.* in eandem sententiam: *Academici appellati a Platonis villa, Academia Athenarum, vbi idem Plato docebat.* Docuit ergo Plato in parte Academiae sibi propria, & suo aere comparata. Et vero pridem ante Isidorum etiam Hieronymus *lib. II. aduersus Iouinianum* appellavit locum illum, vbi Plato docuit, *villae* nomine. Suidae si credimus, docuit Plato in villae suae paupere aliquo horto. Verba enim eius Latine versa ita sese habent: *Plato Philosophus pauper erat, & solum possedit in Academia hortum, qui fuit minima pars illius successorum. Nam hic quidem hortus aureos fere tres reddebat, postea vero mille & plures. Auctus autem reditus fuit temporibus posterioribus, cum homines sancti & Philosophi, alias alii, morientes testamento relinquerent Philosophiae studia tractantibus facultates ad vitae Philosophicae oti-*

222

um ac tranquillitatem. Haec omnia Suidas. Quorum priora ſatis vtique indicant id, quod diximus, locum ſcholae Platonicae non publicum fuiſſe, ſed priuatae poſſeſſionis: poſteriora autem, eundem locum etiam poſtea manſiſſe proprium Platonis ſucceſſoribus, ſed auctum liberalitate variorum. Et vero etiam Procli Lycii aetate ſuperfuiſſe Athenis aliquid *haereditatis Platonicae* dictum cognomento, iam tum *pag. 19. Diſſertationum* ex Marino Neapolitano annotauimus. Quandoquidem autem ne Platoni quidem, ciui Attico primariae nobilitatis, conceſſus eſt in ſcholae vſum locus publicus, per eſt veriſimile, Athenienſes non fuiſſe liberaliores erga Ariſtotelem, Cynicos, & Stoicos.

III.

De eo autem excidio Lycei & Cynoſargis, a Philippo, Demetrii filio, patrato, quod *pag. 10.* laudauimus, Liuii teſtimonium, meretur hic quoque ſuis diſertis verbis legi. *Intra muros deinde tenentibus milites Athenienſibus, Philippus, ſigno receptui dato, caſtra ad Cynoſarges (templum Herculis, gymnaſiumque, & lucus erat circumiectus:) poſuit. Sed Cynoſarges, & Lyceum, & quicquid ſancti amoenique circa Vrbem erat, incenſum eſt: dirutaque non tecta ſolum, ſed etiam ſepulcra: nec diuini humaniue iuris quicquam prae impotenti ira eſt ſeruatum.* Verba Plutarchi de ſyluis Academiae & Lycei deſtructis iam adduximus Supplemento I.

223

SVPPLEMENTVM VIII.

Ad *pag. 10.*

I.

Dubitauimus *pag. 10.* de Maſſilia, vtrum ibi ſumtu aliquo publico nutriti fuerint literarum doctores. Quae tamen *lib. 10.* de vrbe iſthac diſſerit Strabo, exuerunt iam, poſt

poſt attentam lectionem, illam dubitationem. Cum enim Strabo laudaſſet Maſſiliam, quod fuerit Gallis vicinis παιδευτήριον, quodque nobiliſſimi etiam Romanorum ſtudio diſcendi praetulerint Maſſilienſem peregrinationem Athenienſi, adiicit, *Gallos in pace iam viuentes Maſſilienſium exemplo otium illi vitae inſtituto impendere non ſingulatim duntaxat, ſed etiam publice:* Σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται, τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι, καθάπερ καὶ ἰατρούς. Si vrbes autem Galliae Maſſilienſium imitatione Sophiſtas, hoc eſt, eloquentiae Profeſſores ſumtu publico conduxerunt, indubie factum idem fuit ab ipſa Maſſilienſium ciuitate.

SVPPLEMENTVM IX.

Ad pag. 11.

I.

Ptolemaei Reges tantum non omnes optime ſunt de eruditionis propagatione meriti. Eorum ſeptimus tamen, Euergetes ſecundus dictus, maleficio potius profuit, quam benignitate. De illo Athenaeus *lib. IV. cap. vlt. in Dipnoſophiſticis* ita refert: *Renouatae ſunt omnes diſciplinae ſub ſeptimo AEgypti rege, quem alii, praecipue Alexandrini,* κακεργέτην *appellarunt. Hic enim multis Alexandrinis iugulatis, nec paucis, qui cum fratre eius adoleuerant, in exilium actis, vrbes ac inſulas repleuit Grammaticis, Philoſophis, Geometris, Muſicis, pictoribus, puerorum magiſtris, Medicis, & aliis multis artificibus: qui ob inopiam ea docentes, quae ſciebant, omni humanitate praeclaros viros expoliuerunt.* Caeterum de bibliotheca Alexandrina multa a nobis ſunt dicta etiam in illa Epiſtola, quam *de Bibliotheca Auguſta* edidimus ad Boineburgium. De cuius magni viri inſperato & Germaniae rebus infauſto atque intempeſtiuo obitu adueniens hoc ipſo momento fa-

224

ma animum haud leuiter percellit & in luctum coniicit: idque non tam, quod ego amiserim amicum summum, quam quod laborans Germaniae respublica orbata sit prudentia & rerum agendarum dexteritate maximo senatore. Quem animi dolorem non potui hic dissimulare.

II.

Memorat vero illam bibliothecam & Vitruuius *lib. VII. c. 1.* simulque instituta a Ptolemaeo certamina eruditorum. Quoniam lepidam ille historiam narrat vnius eorum ludorum, videtur ista etiam hoc loco repetenda. *Reges*, ait, *Attalici magnis Philologiae dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem instituissent, tunc idem Ptolemaeus, infinito zelo cupiditatisque incitatus studio, non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandriae comparare. Cum autem summa diligentia perfecisset, non putauit, id satis esse, nisi propagationibus in seminando curaret augendam. Itaque Musis & Apollini ludos dedicauit, &, quemadmodum athletarum, sic communium scriptorum victoribus praemia & honores constituit. His ita institutis, cum ludi adessent, iudices literati, qui ea probarent, erant legendi. Rex cum iam ex ciuitate sex lectos habuisset, nec tam cito septimum idoneum inueniret, retulit ad eos, qui* 225 *supra bibliothecam fuerant, & quaesiuit, si quem nouissent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt, esse quendam Aristophanem, qui summo studio summaque diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaque in conuentu ludorum, cum secretae sedes essent iudicibus distributae, cum caeteris Aristophanes citatus, quemadmodum fuerat ei locus designatus, sedit. Primo Poëtarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta, populus cunctus significando monebat iudices, quod probarent. Itaque cum ab singulis sententiae sunt rogatae, sex vna dixerunt, &, quem maxime animaduerterunt multitudini placuisse, ei primum praemium, insequenti secundum tribuerunt. Aristophanes vero cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronuntiari iussit, qui minime populo placuisset. Cum autem Rex & vniuersi vehementer indignarentur, surrexit, & rogando impetrauit, vt se paterentur dicere. Itaque silentio facto docuit, vnum ex*

his

his eum esse poëtam, ceteros aliena recitauisse: oportere autem iudicantes non furta, sed scripta probare. Admirante populo, & Rege dubitante, fretus memoria e certis (forte *exertis*,) *armariis infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coëgit ipsos furatos de se confiteri. Itaque Rex iussit cum his agi furti, condemnatosque cum ignominia dimisit; Aristophanem vero amplissimis muneribus ornauit, & supra bibliothecam constituit.* Haec omnia Vitruuius.

III.

De Museo praeter illa Straboni dicta, ex Athenaeo, Philostrato, Spartiano, Dione, & aliis possent quidem nonnulla adiici: sed institutum haud patitur.

SVPPLEMENTVM X.

Ad *pag.* 14. & 15.

I.

Quae *pag.* 14. notauimus de tolerato ab Athenienfibus sententiarum Philosophicarum a sacris suis receptis dissidio, non ita accipienda sunt, quasi ἁπλῶς eo ipso male consuluerint reipublicae suae. Enimuero est quidem haud paucis Politicorum persuasum, nihil eiusmodi ferendum in bene constituta republica: idque, quoniam consulendum est paci ac tranquillitati ciuili, quae dissidio isthoc corrumpitur. Pridem tamen a nobis victum est, & alias denuo firmius constituetur, ἀξίωμα illud quorundam procul abesse a veritate; ad quietemque reipublicae satis esse, si nemini permittatur cum turba sententias suas docere, & modo religionis natura notae scita constent: nempe de vnius Dei prouidentia humanarum etiam quarumuis rerum, deque animae immortalitate, & poenis praemiisque iusto iudicio diuino a morte etiam accipiendis. Quo posito manifestum est, non debuisse

226

buiſſe ferri Epicuri ſcholam, & ſi quae alia impugnauit olim ſiue aperte ſiue clam illas, quas diximus, reipublicae omni conſeruandae neceſſarias, vt ita dicam, ὑποθέσεις. Vix etiam eſt, vt ſaltim in nonnullis debuiſſent tolerari Stoici: nimis ſcilicet crude pro libertatis ſtudio & de republica diſſerentes. Nec vero cuiquam dominatui doctrina illorum temere fuit conſentanea: eoque nomine male inter Philoſophos reliquos Stoici cumprimis audierunt, cum alias, tum Domitiano imperante, ac propterea pulſi ſunt vrbe.

II.

Quod porro *pag. 15.* diximus, promiſcuam illam liberam philoſophandi, etiam de ſacris, rationem cum Chriſtiana demum doctrina Athenis deſiiſſe, accipiendum eſt de Chriſtianismo iam plene adulto. Neutiquam enim fuerunt Chriſtiani illi πρεσβεῖς Suidae dicti Philoſophi, qui Iuſtiniano imperante quaſi deſperabundi in Perſiam iuerunt ad regem Coſroëm, voti tamen fruſtrati rediere: quos inter fuit & Simplicius, celebris ille in ſchola Athenienſi Ariſtotelis aliquot librorum commentator, vir quidem doctus, ſed Chriſtianae religionis amarulentus hoſtis.

227

SVPPLEMENTVM XI.

Ad *pag. 15. & 16.*

I.

Notauimus *pag. 15.* a primo Antonino Pio Imperatore per omnes prouincias eſſe conſtituta Profeſſoribus ſalaria. Iam tum ante autem Profeſſoribus (forte tamen ſolis Romanis,) perquam benignum ſeſe praebuerat Hadrianus. De illo enim cap. XVII. Spartianus: *Quamuis eſſet in reprehendendis Muſicis, Tragicis, Comicis, Grammaticis, Rhetoribus, Oratoribus facilis, tamen omnes Profeſſores & honorauit & diuites fecit*

cit, licet eos quaeſtionibus ſemper agitauit. Et doctores, qui profeſſioni ſuae inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a Profeſſione dimiſit. Caeterum de ſalariis Profeſſorum monuit quidem nonnulla etiam P. Faber in *Agoniſtici lib. II. c. 20.* & Pancirollus de Annonis *Var. lect. lib. II. cap. 188.* Sed omne illud exigui eſt momenti.

II.

Quoniam porro *pag. 16.* facta eſt mentio reſtitutae CLIVENSIVM ſcholae per Eumenium Rhetorem, obiter obſeruari poteſt, teſtari Eumenium, auum ſuum Athenis natum in eadem olim ſchola docuiſſe. Vnde colligo, iam initio ſaeculi Chriſtiani tertii ſcholam illam viguiſſe. Eumenium enim iuſſu Conſtantii Chlori ſcholam reparaſſe, liquidiſſimum eſt ex epiſtola Caeſaris orationi ab Eumenio inſerta.

SVPPLEMENTVM XII.

Ad *pag. 16.*

I.

Romana ſchola publica, cuius mentio a nobis facta eſt *pag. 16.* prae aliis totius Occidentalis Imperii, indubie cum aliis de cauſis, tum quod ibi ſolum iuris Romani ſtudia exerceri ſint ſolita, maxime floruit. Diximus de illa latius ſingulari libro, quo illuſtrauimus legem primam Codicis Theodoſiani *de ſtudiis liberalibus Vrbis Romae & Conſtantinopolis.* Sed & eius facies ſic ſatis clare elucet ex eiusdem tituli Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani Auguſtorum, quae in Theodoſiano Codice eſt tertia, in Iuſtinianeo vnica. Diſcere vero eſt ex illa Conſtitutione etiam hoc, ſcholam illam publicam fuiſſe tum habitam in Capitolio: fortaſſe tamen non veteri, ſed nouo Chriſtianorum Imperatorum inſtituto,

228

post sacra Capitolini Iouis antiquata. Lampridius enim ita quidem de Alexandro Seuero loquitur : *Ad Athenaeum, audiendorum & Graecorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum causa, frequenter processit.* Sed quinam Vrbis locus tunc temporis *Athenaeum* fuerit vsurpatus, haud perinde est liquidum. Non enim tuto etiam credere licet Raphaëli Volaterrano, qui lib. XII. *Geograph.* tradit, institutum illud esse a Claudio Imperatore. Omnia autem illa multum sunt diuersa ab antiquis moribus, quales illi fuerunt etiam saeculo primo & secundo Christiano: longe diuersissimi a consuetudine temporum, quae sacros Saluatoris nostri natales antecesserunt.

II.

Meretur annotari, quod Augustinus *lib. V.* sanctissimi *Confessionum* operis, narrans, Carthagine Romam sese concessisse priuata opera docendi Rhetoricen ergo, memorat de moribus Studiosorum vtriusque loci. *Non ideo Romam pergere volui,* ait, *quod maiores quaestus, maiorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc suadebant, promittebatur; (quanquam & ista ducebant animum tunc meum:) sed illa erat tunc causa maxima & pene sola, quod audiebam, quietius ibi studere adolescentes, & ordinatiore disciplinae coercitione sedari, ne in eius scholam, quo magistro non vtuntur, passim & proterue irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem foeda est & intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, & prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniuriosa faciunt, mira hebetudine & punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit: hoc miseriores eos ostendens, quo, quasi iam liceat, faciunt, quod per tuam aeternam legem nunquam licebit, & impune se facere arbitrantur, cum ipsa faciendi caecitate puniantur, & incomparabiliter patiuntur peiora, quam faciunt. Ergo quos mores, cum studerem, meos esse nolui, eos, cum docerem, cogebar perpeti alienos: & ideo placebat ire, vbi talia non fieri, omnes, qui nouerant, indicabant.* Haec omnia sanctissimus Ecclesiae pater. Eodem libro etiam haec habet : *Sedulo*

agere

agere coeperam, propter quod veneram, vt docerem Romae artem Rhetoricam, & prius domi congregarem aliquos, quibus & per quos innotescere coeperam: & ecce, cognosco, alia Romae fieri, quae non patiebar in Africa. Nam reuera illas euersiones a perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subito inquiunt: Ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, & transferunt se ad alium: desertores fidei, & quibus pro pecuniae charitate iustitia vilis est. Oderat etiam istos cor meum, quamuis non perfecto odio. Etiam haec ille. Euersionum autem ita nuncupatarum diabolicum institutum iam execratus fuerat *lib. IV.* Vnde liquet, etiam tunc scholas iuuenilibus vitiis infectas, etsi non vbiuis iisdem.

SVPPLEMENTVM XIII.

Ad *pag.* 17.

I.

MEDIOLANI, de cuius vrbis schola verbo aliquid attigi *pag. 17.* itidem vnum duntaxat fuisse ordinarium magistrum Rhetorices, eumque constitui solitum a Praefecto Vrbis, (indubie, quod intra limites Vrbicae Praefecturae tunc Mediolanum censeretur:) praeuia tamen probatione aliqua, docent ipsamet a me laudata S. Augustini verba. *Itaque posteaquam missum est a Mediolano Romam ad Praefectum Vrbis, vt illi ciuitati Rhetoricae magister prouideretur, impartita etiam euectione publica; ego ipse ambiui per eosdem ipsos Manichaeis vanitatibus ebrios, (quibus vt carerem, ibam; sed vtrique nesciebamus:) vt dictione proposita me probatum Praefectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambrosium Episcopum.* Hactenus Augustinus.

230

II.

De CARTHAGINE eiusque studiis haud abs re fuerit addere Saluiani item, Massiliensis presbyteri, patria autem,

tem, quantum videtur, Agrippinenſis, facundia & ſanctitate perquam eximii eiusdem paene tempeſtatis ſcriptoris, *ex libro ſeptimo de Gubernatione Dei* verba aurea. *Illic omnia officiorum publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholae, illic Philoſophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnaſia vel morum.*

III.

Scribit porro S. Auguſtinus *lib. II. Confeſſionum*, ſeſe a parentibus miſſum MADAVRVM, literarum atque orationis percipiendae gratia. *Libro* item *quinto & ſexto* memorat, docuiſſe ſeſe & in patrio oppido. Vt proinde fuerint tum Africae etiam non magnis ciuitatibus ſcholae quaedam Oratoriae, ac proinde & Grammaticae. Vtrum vero illae fuerint etiam publicis impenſis habitae, nec ne, haud dixerim.

SVPPLEMENTVM XIV.

Ad *pag. 18.*

I.

Scholae iuris Romani BERYTIENSIS iam ante Diocletiani & Maximiani imperium meminit S. Gregorius, Neocaeſarienſis Epiſcopus, qui magnorum miraculorum patratorum dignitate θαυματέργȣ cognomentum meruit. Is enim in *Panegyrico*, quem in magiſtri ſui Origenis laudem conſcripſit, ita locutus eſt: Ἡ τῶν Βηρυτίων πόλις, Ῥωμαϊκωτέρα πως, καὶ τῶν νόμων τȣ́των εἶναι πιςευθεῖσα παιδευτήριον. Hunc vero Gregorium factum fuiſſe Epiſcopum decimo Alexandri Seueri anno, recte probat Baronius tomo Annalium ſecundo ad annum 233. Antiquior ſcholae illius memoria, vereor, vt hodie ſuperſit: ideoque haud vana fortaſſis coniectura dixeris, coepiſſe illam auſpiciis ipſius Alexandri Seueri Imperatoris. Is ſane vt gente Syrus, ita fauit illi regio-

231

ni,

ni, perinde vt ante illum Heliogabalus ſiue Alagabal. Simul vero cum aliis literis, tum Iuris ſtudio impenſe fuit deditus: quo factum, vt plerique peritorum Iuris, e quorum ſcriptis *Digeſtorum* libros Tribonianus conſarcinauit, eius in aula vixerint. Quos inter cum eminuerit Domitius Vlpianus, natione & ipſe Syrus, fortaſſis huius conſilio noua ſchola haec Legum Romanarum eſt excitata. Metropolis tamen dignitatem ciuitati Beryto primi Theodoſius & Valentinianus Auguſti dederunt: ceu liquet ex titulo Codicis Iuſtinianei *de Metropoli Beryto*, qui eſt viceſimus primus libri vndecimi. Quarto ſaeculo Chriſtiano inuidendo eam vrbem proſecutus eſt elogio Geographiae ille Graecus ſcriptor, quem edidit, vertit, & doctiſſimis notis illuſtrauit Iacobus Gothofredus, vir inter primos rei literariae antiſtites numerandus. *Berytus*, ait, *vrbs valde delicioſa, & auditoria Legum habens, per quae omnia tribunalia Romanorum ſtant. Ibi quippe viri docti per omnem orbem terrarum aſſeſſores fiunt, & legum peritia prouincias tuentur, quibus Conſtitutiones mitti ſubinde ſolent.* Operae fuerit pretium, legiſſe, quae ad hunc locum eruditiſſime, vt ſemper, Gothofredus annotauit. Eunapianum elogium ex ſaeculo illo iam adduximus. Incidit autem in tempora Conſtantii Imperatoris. Non multo poſt Libanius *oratione 26.* conqueſtus eſt de numeroſa adoleſcentum multitudine, eloquentiae ſtudiis poſthabitis Berytum confluente. Unde diſcere eſt, ſcholas Rhetoricas nullas ibi fuiſſe celebratas: perinde atque nullam ibi fuiſſe ſcholam Philoſophicam, facile collectu eſt ex iis, qua diſſeruntur initio libelli Zachariae Scholaſtici. Ideoque non dixerim poſthac, Zachariam illum Scholaſticum fuiſſe fortaſſis Rhetorem Berytium: praeſertim quia *Scholaſticus* tunc temporis fuit potius cauſarum patronus. Verba ipſamet Libanii prolixitatis vitandae cauſa non adducemus. Ex quinto ſeculo eſt illud, quod ex Zacharia Scholaſtico ad-

232

duximus. Eodem Nonnus cecinit *lib. XLI. Dionyſiacorum*:

τερπνῆς
Φοινίκης κλυτὸν ἄϛυ, νόμων ἕδος Αὐσονιήων,

Non terrae autem motu duntaxat euerſa eſt Berytus, ſed poſt etiam incendio periit. De quo ſupereſt Graecum epigramma, quod Conradus Rittershuſius, vir incertum pietate an eruditione maior, in ſuis ad Saluianum longe praeclariſſimis Annotatis *pag. 46.* ex Anthologia adducit, & ſic vertit Latine:

Heu nimium infelix vrbs, non vrbs, lumine caſſis,
Fuſa ſolo, en, iaceo mixta cadaueribus.
Nec ſat erat, me Neptuni ſenſiſſe tridentem:
Mulciberis cladem hanc addidit ira nouam.
Hei mihi! quae pridem fuerat pulcerrima forma,
Eheu iam tenui puluere verſa iacet.
Vos, quibus hac iter eſt, noſtrae miſereſcite ſortis,
Beryto & lacrymas poſt ſua fata date.

Sic vero interiit celeberrima illa quondam Romanarum legum ſchola. Nec enim vnquam ex eo refloruit: etſi ipſa vrbs priſtinae dignitatis haud parum poſt recuperauerit.

II.

233 Quoniam vero vſi ſumus Zachariae Scholaſtici teſtimonio, eumque ſaeculo quinto ſcripſimus floruiſſe, obiter meretur notari, perperam a Caſparo Barthio, *fine Notarum ad AEneae Gazaei Theophraſtum*, illum coaeuum factum Ammonio Sacae, quem ipſe tradit Commodo imperante vixiſſe. Omnia enim, quae ibi docet Barthius, ſunt ἀσύϛατα: & ipſemet in Notis ad Zachariam *pag.* 243. & 256. demonſtrat, intelligendum eſſe non Sacam Ammonium, ſed Hermeiae filium; & Zachariam Baſilio ac Nazianzeno eſſe iuniorem. Ammonium vero hunc eſſe eum, ex cuius diſſertationibus

ſuos

ſuos in Ariſtotelem commentarios concinnauit Philoponus, liquidum eſt non minus, atque, hunc Philoponum Heraclio Imperatore adhuc floruiſſe Alexandriae. Veriſſimum igitur eſt, & Zachariam hunc & AEneam Gazaeum aetate fuiſſe pares ſub finem ſaeculi quinti. Vnum autem aliquem ſub illis nominibus latere, non equidem dixerim. Etſi enim eruditio non ſit diſpar, dictio tamen Zachariae eſt floridior & diuerſa.

SVPPLEMENTVM XV.

Ad *pag.* 19. & 20.

I.

Defuiſſe Athenis Grammaticos magiſtros, vix eſt veriſimile. Quia illud ſtudium ab antiquis vsque temporibus inter Graecos, & Marci aeuo alibi paſſim, fuit celebre. Politicam cathedram Philoſophos tenuiſſe, forte non debuit dici. Sane olim, Ariſtotelis ſucceſſorum aeuo, Politici Philoſophi audierunt illi, qui erant ex Peripato. Quoniam tamen, poſt Ariſtotelis libros in lucem reductos, Graecorum nemo *Politica Ariſtotelica* illuſtrauit, vero eſt ſimile, a Philoſophis curam Politicae prudentiae tandem fuiſſe alienam. Eoque praeplacet, Politicam cathedram fuiſſe occupatam a Rhetoribus illis, qui ſcholam habuerunt in cauſis Generis deliberatiui: cuiusmodi ſunt declamationes Dionis Chryſoſtomi cumprimis & Libanii.

II.

Hereditatis Platonicae nomine veniſſe illa tempeſtate prouentus horti Platonici, quales illi erant ſenſim aucti multorum liberalitate, per eſt veroſimile. Verba Suidae huc pertinentia iam tum in *Supplemento ſeptimo* adduximus.

234

III.

Synefio potius credendum eſſe, quam Zoſimo, de Athenarum infortunio, quod ab Alarico & Gothis fuerunt paſſae, paene vacat dubio. Syneſius enim ipſa illa vixit aetate, Zoſimus poſtea demum, homo idololatra. Sed & Claudianus, eiusdem aetatis Poëta magnus, *lib. II. in Ruffinum* de Gothica illa in Graeciam irruptione diſerte ait:

Nec fera Cecropias traxiſſent vincula matres.

Quo videtur facere etiam hoc, quod ne quidem Geophraphus ille, quem Iacobo Gothofredo debemus, Athenas celebret melioris doctrinae ſcholarum nomine. Cum poſt autem Proclus & Marinus aliique Philoſophiae magiſtri ibi docuerint, iterum aliqua laude refloruiſſe ſcholam etiam illam Philoſophicam, liquet. Idem colligere eſt ex *Theophraſti*, AEneae Gazaei dialogi, primordio, vbi legitur, voluiſſe illuc quidem proficisci Axitheum, non Alexandriam tamen. Caeterum Iuſtiniano imperante videtur illa ſchola ſenſim vna cum aliis exſpirauiſſe. Non enim vlla eius laudatio poſt tempeſtatem iſtam vsquam memoratur: etſi Procopius Caeſarienſis περὶ κτισμάτων Ιȣςινιανȣ̃ *lib. IV.* renouatam illam vrbem nonnihil a Iuſtiniano, prodiderit.

IV.

Qualis ſuperiore ſaeculo fuerit Athenarum infelix ſtatus, diſcere eſt ex Turcograecia Cruſii, pag. cumprimis 46. 95. 430. & 461. Claudemus narrationem verbis Cretenſis Philoſophi doctiſſimi, Danielis Furlani. Is enim in ſuis 235 *Annotationibus ad Theophraſti Ereſii librum de ſignis pluuiarum & ventorum*, ad Maximum Margynium, Cytherae Epiſcopum, in haec verba eſt praefatus: *In infelici illa Graecia quae barbaries! quae ignauia! Felix illa ingeniorum mater & altrix, quae literas omnibus paene populis tradidit, miſere devaſtata,* bar-

barbarorum mores legesque suscepit: literas autem non amisit modo, verum & illam coeli temperiem, quae vetera producebat ingenia, infelicissimam experitur. Itaque Athenis ipsis, imo in Athenarum ruderibus atque reliquiis, vix inuenias, qui norit legere: in tota Graecia pecudes verius esse dicas, quam homines. Ac fuit sane tempus, cum sub priscorum Palaeologorum auspiciis in Peloponneso, vbi maxima fuit illorum Principum auctoritas, coeperunt literae reuirescere. At Byzantio capto, Peloponnesique vrbibus & captis & dirutis, eandem & illa infelicitatem experta est, quam reliqua Graecia.

SVPPLEMENTVM XVI.

Ad *pag.* 22.

I.

In hisce literis quondam maximus Thomas Reinesius *lib. III. Var. lect. c. XI.* Olympii Archiatri facta mentione, ita scribit pag. 519: *Iste, quod Constantinopoli artes profiteretur,* (*hoc autem erat archiatrorum:*) *Sophista vocatur ab* Aëtio *tetr. 3. sect. 3. cap. 29. eique tribuitur compositio quaedam ad vesicam exvlceratam.* Verum videtur eorum oblitus, quae paulo ante, & recte quidem, de Archiatrorum officio praemiserat. Et vero artem medicam facere Archiatri est, non autem docere. Nec inter Constantinopolitanos Professores receptum quenquam, qui Artem medicam docuerit, liquidum est ex iis, quae adduximus, *Codicis* verbis. Sophista igitur qui Aëtio audit, Olympius, aut alius fuit ab illo Archiatro, aut etiam ille docuit Artem Medicam Alexandriae: qui vnus locus scholam habuit quondam, sub Caesaribus Medicae arti consecratam.

SVPPLEMENTVM XVII.

236

Ad *pag.* 23. 24. & 25.

I.

Philologica indubie & Grammatica fuerunt, quae in Alexandrino Museo agitauit Hadrianus: non enim vltra ex-

porrexit

porrexit ſeſe Auguſti illius curioſa eruditio. Spartianus in eius *Vita cap. 19.* ita ſcribit: *Apud Alexandriam in Muſeo multas quaeſtiones propoſuit: & propoſitas ipſe diſſoluit.* Refert Dio *lib. 77.* Caracallam Ariſtotelicis Alexandriae abſtuliſſe vna victitandi commoditates aliosque fructus, quos habebant. Quo liquet, iſthac etiam tempeſtate manſiſſe inſtitutum Philadelphi de communi victu Profeſſorum quorundam in Muſeo. Indubie enim Dioni ſermo eſt de Muſeo, a quo, Alexandri Magni inſano amore furioſus, Caracalla Peripateticos excluſos voluit, ſicut florentiſſimam vrbem paene excidit. Diximus, iam tum de Muſeo: nec iis quicquam addere vtile fuerit. Legenda autem omnino ſunt, quae Caſaubonus ad extremum librum quintum Suetonii annotauit: vbi etiam expenditur, quod a Claudio Principe nouum nomine ipſius dictum veteri Muſeo fuerit additum. Quae autem Geographus ille Gothofredi narrat de certamine inter Graecos & AEgyptios, vtris debeatur merito primus in Muſeo locus, fabuloſa arbitror & memoratu indigna: arguunt autem, niſi fallor, auctorem illum fuiſſe gente non Graecum, ſed AEgyptium. Notiſſimum videlicet eſt, colonias Graecas longo doctrinae interuallo ſuperaſſe originarios AEgyptios: & plurimis a me demonſtratum *primo Hermeticorum libro.*

II.

Quae de Hypſiclis aetate diximus, multum abſunt quidem ab iis, quae habet incomparabilis Voſſius *libro de Scientiis Mathematicis c. 54.* Coniicit enim aetatem Hypſiclis in tempora Prolemaei Latyri: ſed leui argumento. Quaſi nempe Iſidorus, laudatus Hypſiclis magiſter, Latyro fuerit coaeuus. Quis credat autem, iam Latyri aeuo Appollonium habuiſſe ſuos in ſchola interpretes? Sed & Eutocii aetatem incertam eſſe, docuit Voſſius: quam nos certo definiuimus.

237

III.

III.

Ad ſaecularia porro, vt vocantur, & vere ſacra ſtudia Alexandrina reſpexit Gregorius Nyſſenus, *libro contra Apollinarium* ſcribens: Οὐ μόνης ἐϛὶ κοσμικῆς σοφίας εὔφορος ἡ μεγάλη τῶν Ἀλεξανδρέων πόλις, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀληθινῆς τῆς ὄντως σοφίας παρ᾽ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς βρύουσιν αἱ πηγαί. Idem in *Vita Gregorii Thaumaturgi* indicat, ſua aetate ad Philoſophiam & Medicinam diſcendam vndique iuuenes concurriſſe. Εἰς ἣν (τὴν μεγάλην τοῦ Ἀλεξάνδρου πόλιν) καὶ ἡ πανταχόθεν συνεῤῥεῖ νεότης, τῶν περὶ φιλοσοφίαν τε καὶ ἰατρικὴν ἐσπουδακότων. Gregorius Nazianzenus illa, qua Caeſarium fratrem defunctum laudauit, oratione Alexandriam appellat παντοίας παιδεύσεως καὶ τότε καὶ νῦν οὖσαν καὶ δοκοῦσαν ἐργαστήριον. Quanta Alexandriae quondam fuerit Medicorum Chirurgorumque frequentia, indicat illud in *prologo Mythologiae* Fulgentii, ſcriptoris caeteroquin pretii exigui. *Inueniebat animus, quibus inter bella arrideret, niſi me etiam exinde bellis crudelior Galeni curia excluſiſſet: quae paene cunctis Alexandriae ita eſt inſerta angiportis, quo Chirurgicae carnificinae laniola pluriora habitaculis numerentur.*

IV.

Quantumuis autem ita ſaeculo quarto ſtudiis omne genus Alexandria floruerit, fine tamen ſaeculi quinti multum priſtinae laudis iam perdidit. Manifeſtum illud eſt ex iis, quae habentur circa initia eius dialogi, quem *Theophraſtum* inſcripſit AEneas Gazaeus. Adducemus inde nonnulla, qualia vertit Caſpar Barthius. Ibi ſcilicet Axitheus, aduena Alexandrinus, ita compellat AEgyptum, hominem Alexandrinum: *Sed dic mihi, ſuperantne apud vos,* (Alexandriae,) *qui Philoſophiae arcana perinde enarrant, vti noſter Hierocles, & e iuuentute generoſi cordatique auditoria diſcentium frequentant, qualem memineris Protagoram illum Lycium,* (fortaſſis autem ita appellat Proclum Lycium, ſuum quondam con- 238

discipulum:) *aetate mihi aequalem, specie vero ingenioque superiorem?* AEgyptus *respondens: Olim pulchrarum rerum erat studium: nunc omnia id genus passim euanuerunt. Qui nomina tabulis studiosorum dederunt, abhorrent doctrinam: cuius erat docere, nihil praeter supercilium doctoris habet, caetera vel docendis rudior. In Circo & Theatris iuuentus habitat: frigent liberalium subsellia artium, magna vastitate horrent Philosophorum scholae.* Docuit tamen ibi, si non iam tunc, paulo certe post, magna doctrinae laude Ammonius: ex cuius publicis dissertationibus ab Ioanne Philopono & Olympiodoro conscripti sunt eximii Aristotelicorum aliquot librorum commentarii. Caeterum de Alexandrinorum omnibus rebus fuerit pretium legisse, quae magno studio ad Zachariam a *pag.* 285. vsque 296. Barthius, atque ad XVIII. caput sui Geographi Iacobus Gothofredus, congesserunt.

SVPPLEMENTVM XVIII.

Ad *pag.* 28.

I.

Per sane videtur simile vero, id ipsum, quod Zonaras habet de subtractis a Iustiniano subsidiis siue salariis Professorum, ex Procopii Ἀνεκδότοις acceptum esse. Illa enim Ἀνέκδοτα fuisse in manibus Zonarae, multis est indiciis manifestum. Certo tamen equidem haud asseuerauerim: quoniam vtriusque narratio non omnino est eadem. Verba Zonarae Latine versa adduximus. Iis iam adiungemus Procopiana Graece, vt & Latine a nobis reddita, (Alemanni versio enim nimis sibi indulget:) quo possit institui comparatio. Igitur cum, a Iustiniano causidicos Byzantii fuisse euersos, dixisset, pergit Procopius etiam de Medicis & Professoribus: Ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰατροὺς τε καὶ διδασκάλους τῶν ἐλευθερίων τῶν ἀναγκαίων στερεῖσθαι πεποίηκε. Τάς τε γὰρ σιτήσεις, ἃς οἱ πρότεροι βασιλεύοντες

239

σιλεύοντες ἐκ τοῦ δημοσίου χορηγεῖσθαι τούτου δὴ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἔταξαν, ταύτας δὴ οὗτος ἀφείλετο πάσας. Paulo post: καὶ οὔτε ἰατρῶν τις ἢ διδασκάλων τὸ λοιπὸν ἐγένετο λόγος. *Sed & Medicos ac liberalium scientiarum Professores iis, quae vitae sunt necessaria, carere fecit. Annonas enim, quas priores Reges ex aerario in hos vsus praebere constituerant, hic subtraxit omnes. Ideoque imposterum nulla fuit ratio Medicorum aut Professorum.* Haec habet historia illa Ἀνέκδοτος: nulla hic quidem facta mentione siue nimii aedificandi studii, siue Praefecti alicuius, quod tamen fit apud Zonaram. Vt proinde Zonaras alium forte auctorem fuerit secutus. Haud dissimulabo tamen, in ipsa illa *Arcana* aut *Occulta historia* alibi inter causas rapinarum, quarum Iustinianus accusatur, reprehendi etiam aedificandi insanum amorem, & quorundam praefectorum φιλαργυρίαν: quae tamen non omni ex parte Zonarae narrationi conueniunt. Fortassis vero & de fide eius, quod Iustiniano impingitur, criminis haud iniuria dubitaueris. Etenim τῶν Ἀνεκδότων scriptori haud fas est secure credere: quoniam exemplo carent illi commentarii. Procopius autem, si isthaec scripsit, fuerit vtique ille ingenii maligni, & proinde indigni fide. Adhoc in Codice Iustinianeo longe alia legere est titulo *de Medicis & Professoribus*, vt & *de Professoribus Vrbis Romae ac Constantinopolis*, alibique. Veruntamen saepenumero & leges non obseruantur: neque ex legibus, quaenam fiant, sed fieri debebant, potest, fateor, accipi. Fortassis sane ob subtracta Professoribus stipendia in Persiam Iustiniano imperante commigrauerunt praestantissimi eius aetatis Philosophi, Damascius Syrus, Simplicius Cilix, Eulalius Phryx, Priscianus Lydus, Hermeias & Diogenes Phoenices, Isidorus Gazaeus: quod iter memorat Suidas *voce* πρέσβεις. Nisi id contigisse malis ob irruptiones Scythicarum gentium, quae isthac tempestate Graeciam, vbi hi Philosophi vixerunt, foede sunt populatae. Id certum est, nul-

240

lius liberalium diſciplinarum Profeſſoris, in quem Iuſtinianus fuerit beneficus, mentionem fieri; nec a quoquam munificentiam illius Principis in literas & literatos laudari; ex aduerſo illa circiter tempeſtate paſſim terrarum ſtudia meliora concidiſſe.

II.

Prius vero, quam hunc de ſalariis Profeſſorum ſubtractis locum deſeramus, monendum videtur, illa, quae *Supplemento VII.* ex Suida adduximus, de priuatis, in vſum Philoſophiae Profeſſorum, Athenis nomine *Platonicae haereditatis* inſtitutis bonis, vt complura alia, eſſe deſumta ex *Vita Iſidori* a Damaſcio conſcripta. Leguntur enim eadem in Excerptis illius libri, quae Photius reliquit tmemate ducenteſimo quadrageſimo ſecundo. Quia pleniora ſunt illis Suidaeis, afferemus etiam haec in medium, & quidem ſua lingua: Ἡ τῶν Διαδοχῶν ȣσία ȣ̓χ, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζȣσι, Πλάτωνος ἦν τὸ ἀνέκαθεν. Πένης γὰρ ἦν ὁ Πλάτων, καὶ μόνον ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐκέκτητο κῆπον, ȣ̔ ἡ πρόσοδος νομισμάτων τριῶν. ἡ δὲ τῆς ȣσίας ὅλης χιλίων ἢ καὶ πλειόνων ὑπῆρχεν ἐπὶ Πρόκλȣ, πολλῶν τῶν ἀποθνησκόντων χρήματα τῇ σχολῇ καταλιμπανόντων. Hanc porro ſubſtantiam ſucceſſionis Platonicae itidem a Iuſtiniano fuiſſe ſubtractam, haud memoratur quidem in Excerptis; forte tamen, quia nondum contigerat. Et vero ſcripta eſt illa *Iſidori Vita* ante Iuſtiniani tempora. Legitur enim in iisdem Excerptis de Balamire, vno Attilae aulicorum, corpus ipſius ſcintillaſſe, illumque patrem fuiſſe eius Theodorici, ὅς νῦν τὸ μέγιςον ἔχει κράτος Ἰταλίας ἁπάσης: quibus verbis ſignificari Theodoricum, Oſtrogothorum Regem, manifeſtum eſt. 241

SVPPLEMENTVM XIX.

Ad *pag. 31. & 32.*

I.

Qualis fuerit eruditio Saracenorum ante Muhamedem, ex iis, quae iam tum attulimus *Supplemento quinto*, conſtat

ſtat. Nec vero eſt, quod aliter ſentire nos faciant *Locmanni*, quae feruntur, *Fabulae*. Sunt enim quidem illae vetuſtiores, arguuntque aliquam humanae vitae rerum prudentiam; ſed illam etiam nos Arabibus iſtis haud denegauimus: & fuit illa ſcribendi ratio antiquo aeuo familiaris. Sed & a Gregorio Abul-Pharaii celebratur *p. 99.* Hared Ebn Chalda, quo medico vſus fuerit ipſe feliciſſimus Pſeudoprophetarum Muhameth: verum ille alibi artem didicit, non in Arabia, teſte eodem Gregorio. Si ea porro eſt Arabismi elegantia in *Alcorano*, quam nonnulli praedicant, (forte tamen nullo idoneo inſtructi argumento: Vnde enim noscas linguae illius puritatem, quoniam cum antiquioribus Mahumete Arabum ſcriptis inſtitui comparatio non poteſt?) ad doctrinae vim tamen probandam nihil facit. Enimuero, quod Abul-Pharai ſcribit *pag. 104.* in defectu miraculorum ſui Prophetae, *Iſmaelitarum doctos* ad Prophetiam Mahumetis confirmandam *inniti magis vni Alcorano: in quo hoc ipſum pro miraculo habeant, quod, cum conati ſint eloquentiſſimi quique ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem vnum ipſi conferendum proferre potuerint;* id ſtupidam ſuperſtitionem arguit, confutationem haud meretur.

II.

Quae ex Leone notauimus de melioris cuiusque doctrinae libris antiquis, ſiue Graecis ſiue Latinis, a ſuperſtitioſis Arabibus per Africam abolitis, ſerius nonnihil contigerunt. Verba enim eius ſunt: *Eo tempore, quo a Bagadadi Pontifice deficientes rerum in Africa potiebantur Arabes, omnes Afrorum libros igni committi iuſſerunt. Sic enim perſuaſum habebant, quamdiu penes Africae incolas eſſet aliqua Naturalis ſcientiae aut bonarum disciplinarum cognitio, fore, vt ſuperbia eos indies ad tumultum atque ad Mahumeticae Legis contemtum magis ac magis prouocaret.* Idem paulo poſt de Perſarum li- 242

 teris

teris & ſcriptis ait: *Nonne idem & Perſis, dum adhuc ſtaret Arabum imperium, accidiſſe legitur? Certiſſime conſtat, hos quoque literas, quas ſibi peculiares habent, amiſiſſe: omnesque illorum libros Pontificum Mahumedanorum iuſſu igne conſumtos: ne quid rerum Phyſicarum cognitio aut idolorum leges Mahumeticae detraherent dignitati.* Horum primum, quod de libris per Africam combuſtis ſcribitur, ſi Leonis volumini credamus, contigit demum anno circiter Hegirae quadringenteſimo, atque adeo poſt Chriſti annum milleſimum, aetate nempe Elcaini, Chalifae AEgyptii ſchismatici. Fortaſſis autem mendoſus eſt ille Hegirae numerus, idque non tam Leonis, quam librarii culpa. Pridem certe antehac id factum Alexandriae (quae vrbs ipſo etiam Mahumete viuo prae aliis abundabat adhuc quadam & librorum & doctorum copia) iuſſu Omaris Chalifae, eius, qui Heraclio adhuc imperante Pſeudoprophetae ſucceſſit ſecundus, obiitque anno Chriſti 643: quando in Africam nondum penetrauerant Arabum arma. Operae facturus forte ſum pretium, ſi attulero, quod Gregorius Abul-Pharaii huc ſpectans narrauit *pag. 116.* de Ioanne Grammatico, alias *Philopono* dicto, Alexandrino Profeſſore, & Amro, quo duce Omar AEgyptum occupauit. Prolixiuscula enim vtut videri poſſint, lectu tamen ſunt digniſſima. Scribit igitur in hunc modum, vertente Arabica Eduardo Pocockio: *Hoc tempore* 243 *claruit inter Muslemios Ioannes, quem vocamus nos Grammaticum: qui & Alexandrinus fuit, fidemque Chriſtianorum Iacobiticorum profeſſus Seueri doctrinam adſtruebat, deinde receſſit ab eo, quod profitentur Chriſtiani de Trinitate. Quare conuenientes eum Episcopi in vrbe Metsra rogarunt, vt ab eo, quod profitebatur, rediret: cumque redire nollet, eum de gradu ſuo deiecerunt. Vixitque, donec caperet Amrus Ebno l As Alexandriam: & ad Amrum acceſſit. Qui, cognito, quem in ſcientiis locum teneret, honore ipſum affecit, auditque de ſermonibus eius Philoſophicis, quibus aſſueti non fuerant Arabes, quod eum ad ſtuporem redigeret, quoque percelleretur. Fuit autem Amrus intellectu praeditus, ad res percipiendas promtus, con-*

ceptibus

ceptibus claris: adhaesit ergo illi, neque ab eo discessit. Deinde die quodam dixit illi Iohannes: Circumiuisti tu omnia Alexandriae repositoria, omniaque rerum genera, quae in iis reperiuntur, obsignasti. Quod ad illa igitur, quae tibi profutura sunt, nolo tibi contradicere: at quae nulli tibi vsui futura sunt, nobis potius conuenient. Dixit illi Amrus: Quid est, quo opus tibi sit? Dixit ille: Libri Philosophici, qui in gazophylaciis (Bibliothecis) Regiis reperiuntur. Hoc, inquit Amrus, est, de quo statuere non possum: illud (potis,) de quo ego quid in mandatis dare non possum, nisi post veniam ab Imperatore fidelium, Omaro Ebno 'lchattab, impetratam. Scriptis ergo ad Omarum literis notum ei fecit, quid dixisset Iohannes: perlataeque sunt ad ipsum ab Omaro literae, in quibus scripsit: Quod ad libros, quorum mentionem fecisti; si in illis continetur, quod cum libro Dei conueniat, in libro Dei (est,) quod sufficiat absque illo; quod si in illis fuerit, quod libro Dei repugnet, neutiquam est eo (nobis) opus: iube igitur e medio tolli. Iussit ergo Amrus Ebno 'lAs dispergi eos per balnea Alexandriae, atque illis calefaciendis comburi. Ita spatio semestri consumti sunt. Audi, quid factum fuerit, & mirare. Haec omnia Abul-Pharaiius. Vnde discimus, quo tum animo in Philosophiam & meliores quasque literas fuerint superstitiosi Arabes, quamque misere tum perierit thesaurus ille librarius, Alexandriae hactenus superstes. 244

III.

Perinde vero, atque Saracenorum in libros saeuitiam & ruditatem egregie narrauit nobis Abul Pharaii, ita mirifice illa etiam, quae de Maimone Chalifa diximus, illustrantur iis, quae idem memorat *pag. 160.* Quapropter illa quoque non possumus non hic integra dare, quamuis itidem fortassis nonnihil sint prolixiora. Verba haec sunt versionis Pocockianae: *Ait Alkadi Saed Ebn Ahmed Andalosenus, Arabes initio Islamismi haud aliis curam impendisse disciplinis, quam linguae suae peritiae, Legisque suae constitutionum scientiae, excepta arte medica, quae aliquibus eorum nota, nec pluribus improbata fuit, quod ea hominibus vniuersim opus sit. Atque*

que hic Arabum status fuit sub Ommiadarum imperio. At vbi Deus Hashemidas ad imperium euexit, & ad ipsos regnum transtulit, reversi sunt animi ab incuria sua, & experrecti intellectus a deliquio suo. Primus autem eorum, qui scientiis operam dedit, fuit Chalifa secundus, Abu Iaafar Almansur, qui, praeterquam quod Legis peritia excelluit, Philosophiae etiam studio incubuit, ac praecipue Astronomiae. At vbi deuolutum est inter ipsos imperium ad Chalifam septimum, Abdallam AlMamunem, Harunis AlRashidi filium, perfecit ille, quod orsus fuit auus ipsius AlMansur, & scientiam locis suis quaerere aggressus, cum Graecorum Regibus intercedens, petiit ab illis, vt, qui apud ipsos essent, libros Philosophicos ad ipsum mitterent. Qui cum ad ipsum, quos haberent, misissent, conquisitis ille interpretibus peritis eos ipsis accurate vertendos imposuit. Cumque, qua fieri potuit, diligentia versi essent, homines ad eos legendos incitauit, eorumque perdiscendorum desiderium ingessit, ipseque doctis vacare & eorum disputationibus interesse (solitus,) & eorum dissertationibus delectari. Cum sciret, doctos eos esse, quos sibi Deus e creaturis suis selegit, & e seruis proprios vendicauit: vtpote qui studium suum adhibuerint ad virtutes animae rationalis acquirendas, abstinentes ab eo, cui praecipue inhiant Sinenses & Turcae, quique eorum vestigiis insistunt, vt peritia artium mechanicarum excellant, gloriamque captent ex iis, quae animae irascibilis propria sunt, vt potentiis concupiscibilibus emineant. Etiam hactenus Abul-Pharaii.

245

IV.

Faciunt huc etiam illa, quae Ioannes Leo refert de Mamone *libro de Vitis Philosophorum Arabum*, quem ex bibliotheca Florentina erutum primus edidit Hottingerus, & *Bibliothecario* suo inseruit. Ibi enim de Ioanne Mesue Chaldaeo disserens haec etiam narrat: *Tunc Mamon desiderio immortali desiderabat intelligere antiquorum scientias: quoniam tunc nulla erat scientia Arabice descripta: adeoque dictus Mamon congregauit ingentem numerum doctorum diuersarum linguarum, & interrogauit auctorum nomina atque librorum, quae scripta fuerunt in artibus lingua Graeca, Persica, Chaldaea, atque AEgyptia, adeoque multa eorum nominata sunt volumina. Misit*

ſit tunc multos ex familiaribus ſuis in Syriam, Armeniam, atque AEgyptum, vt illos emerent libros: de quibus ſarcinas infinitas & tulerunt & conduxerunt. Tunc ſegregati ſunt boni & vtiles: ſicut in Medicina, in Phyſica, in Aſtronomia, in Muſica, in Coſmographia, & Chronica, deſcripti. Et poſuit ſupra traductionem linguae Graecae Ioannem, filium Meſuah, praedictum, quoniam in illo tempore Chriſticolae Graecis ſtudebant literis. Poſuit etiam ſupra traductionem Graecam alios quamplures ſub eodem Ioanne: & ſupra linguam Perſicam Maham, dictumque Meſuah. Qui traduxerunt librum Galeni in Medicina: poſt quae omnia opera Ariſtotelis Arabice traduxerunt, multis etiam aliis magiſtris auxiliantibus. Haec Leonis addidiſſe de Mamone, nunc ſufficiat. Congeſſit enim quaedam etiam huc pertinentia incomparabilis Hottingerus in *Hiſtoria ſeculi IX*: verum illa ibi facile reperiri & maiore cum fructu ſuo legi poſſunt.

246

V.

Igitur Ommiadibus Chaliſatum adminiſtrantibus nullam inter Muslimos, quos appellant, ſcientiarum curam fuiſſe, certum eſt. Et vero ad interitum omnis priscae doctrinae Graecorum non potuit non vergere illud quoque Walidi Chalifae edictum, cuius Abul-Pharaius *p. 129.* ita meminit: *Chriſtianorum ſcribis, ne amplius Graece, ſed Arabice, libros exararent, interdixit.* Obiit autem ille Walid anno Hegirae nonageſimo ſexto, qui Chriſti eſt ſeptingenteſimus decimus quartus. Fortaſſis tamen hoc edictum maxime ſpectauit ſcribarum illud genus, quos *Notarios* nuncupamus. Et vero Landulphus Sagax, tempora Iuſtiniani Rhinotmeti enarrans, ſcribit, *prohibuiſſe* Vlid ſiue Walid, Chalifam Syriae, (adhuc ſcilicet Regia ſede Damaſci haerente,) *ſcribi Graece publicos Logotheſii codices, ſed in Arabicis annotari ſine computo*: *quoniam*, ait ille, *impoſſibile eſt, illorum lingua monadem vel dualitatem aut trinitatem, aut octo & dimidium & tria ſcribi: propter quod & vsque hodie ſunt Notarii Chri-*

 ſtiani.

ſtiani. Verum huic Landulpho vix poteſt credi. Non enim, quod addit de notis numerorum ignoratis Saracenicae genti, meretur fidem, quia Zifrae, quibus hodie nos vulgo vtimur, Arabicum eſt inuentum. Niſi forte illas etiam ipſi Arabes initio ignorauerint, & denique, iam renatis ſub Abaſidis ſcientiarum Mathematicarum ſtudiis, poſt Landulphi aut eius Graeculi, vnde haec ille hauſit, aeuum in vſum communem receperint. Quicquid ſit, librum vllum Graece a ſaeculo vsque ſeptimo, atque adeo poſt illud Walidi edictum in terris Saracenici Imperii ſcriptum 247 eſſe, nullo hactenus fuit indicio probatum. Par eſt ratio librorum Latinorum per Africam. Nec vero vllus hodie ſupereſt ſcriptor Latinus Africanus, recentior irruptione Saracenica in Africam. Quod ſi etiam fas eſt credere Ioannis Leonis narrationi, ſuo iam tempore per annos nongentos, ſolos Arabicos literarum characteres in Africa obtinuiſſe, vtique a primo vsque exordio Islamismi in iis terris Latina quaeuis ſcriptio abolita eſt. Vixit enim Leo ſedente Papa Leone decimo, ab illo nomen vtrumque conſecutus in baptismo, poſt tamen, vt canis ad vomitum, ad Muhamedis ſacra reuerſus.

VI.

Ommiadum porro Chalifarum imperium durauit ad annum vsque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum: quo primus Abu l' Abbas Chalifatum ſuſcepit, atque ad poſteros Abbaſidas ſiue Hashemidas propagauit. Manſur praeterea, qui inter Abbaſidas primus fertur fauiſſe nonnihil ſcientiis, Chalifatum aggreſſus eſt demum anno Chriſti DCCLIV, & Bagdadum coepit condere octauo poſt anno, mortuus anno DCCLXXIV. Hactenus igitur, & vsque ad Mamonem, adeoque ad ſaeculum Chriſtianum nonum, durauit inter Arabes, ob imperantium ruditatem, etiam inter

ter omnes alios subditos eorum, tantum non spissa barbaries: quantumuis aliquis literatorum amor in Mansore & Arone Rasiido fuisset resuscitatus.

VII.

Non tantum vero celebris est fama institutae cura Almamonis bonae doctrinae, vt & dimensionis terrae, sed etiam obseruationum sideralium. Memorat sane & illas Gregorius Abul Phraii *p. 161.* hisce verbis: *Cum vellet Almamun stellarum obseruationes fieri, ipsum* (Almansurem) *aliosque* 248 *complures obseruationum & instrumenta conficiendi peritos illud facere iussit: qui illud praestiterunt in loco Sebmasia dicto, in provincia Bagdadensi, & in monte Casio prope Damascum.* Est autem & frequens laudatio illarum obseruationum in scriptis Astronomorum sequioris tempestatis, Arabibus pariter & Latinis, fere non minus, atque post coepit *Tabularum Alphonsinarum* gloria.

VII.

Inter eos porro libros, quos de Graeco verti fecit Arabice AlMamon Chalifa, fuisse etiam Ptolemaei Almagestum, docet ex manuscripto codice Latino Almagesti Iacobus Christmannus, vir eximie mathematicarum rerum peritus, deque iis praeclare meritus, *libro de Connexione annorum* cum Alfragani Elementis edito *pag. 471.* Ibi enim haec verba fuisse notata: *Liber hic praecepto Mamonis, Regis Arabum, qui regnauit in Baldach, ab Abbazez, filio Iosephi, filii Maire, Arithmetici, & Sergio, filio Elbe, Christiano, in anno XII. & CC. sectae Sarracenorum translatus est.* Abul-Pharaii quoque notauit *pag.* 4. tempore Mamonis versos esse Arabice Apollonii Conicorum libros septem, etsi octo sint ab ipso Apollonio scripti. Neutiquam vero credendum est cum nonnullis, omnes Graecos libros, qui Arabice sunt versi,

isthac vna tempestate translatos esse. Etenim etiam ab ipsomet Abul-Pharaiio varii interpretes celebrantur, qui multo post demum vixerint. Quin tamen isthoc aeuo plurimi sint versi, non dubitamus.

VIII.

Obseruari hic obiter meretur, Graecos quidem & Syriacos libros Arabice versos passim narrari, Latinum autem nullum a quoquam. Non enim me fugit quidem, Leonclauio fuisse persuasum, Iustinianeum Codicem Arabice versum. Non dubito autem, fuisse viro praeclarissimo impo- 249 situm: quoniam quo tempore sub Abasidis libri Arabice verti coeperunt, ne Constantinopoli quidem Codicis Iustinianei Latini vlla fuit auctoritas, vllus in foro vsus, forte nec exemplar aliquod, saltim in vulgi manibus: unde & *Basilicorum* editio similiumque librorum tunc fuit necessaria.

IX.

Lectas quoque historias Africae Latinas Arabicis eiusdem terrae scriptoribus, tradit quidem & Iohannes Leo, sed ita, vt haud obscure significet, illas Latinas non esse integre in Arabicum sermonem versas. Sic enim ille *lib. I.* loquitur: *Nullam habent Arabes de rebus Africanis historiam, quae non fuerit prius Latine descripta. Auctores habent antiquos quosdam, qui partim Arianorum temporibus scripserunt, partim etiam, qui ante ea tempora fuerunt: quorum omnium nomina memoria exciderunt. Illorum autem volumina permultos continere libros, credibile est. Cum enim horum interpretes nobis quid persuadere vellent, id septuagesimo haberi libro, ex illis me audisse, memini. Neque in vertendis iam dictis voluminibus autoris ordinem sunt secuti, sed sumta alicuius Principis historia, tempora illa cum Persarum Regum, aut Assyriorum, aut Chaldaeorum, aut Israëlitarum temporibus connexa maluerunt.* Si Leonis

nis ſane huic narrationi credendum, haud ſupereſt hodie Liuii aliorumque hiſtoria ex Latino Arabice verſa: quam tamen nonnulli ex Africa audent exſpectare. Et vero ipſam Liuii hiſtoriam fuiſſe in manibus eorum, qui *ſeptuageſimum* hiſtoriae Latinae librum teſtem laudauerunt, ſuſpicor quidem, quia vnus Liuius multos adeo hiſtoriae libros condidit: indubie autem etiam illa Liuiana interpolata ſunt ab interpretibus & corrupta. Praeter hiſtorica porro iſthaec nulla omnino reperitur vllius Latini ſcripti inter Arabes, nobis quidem notos, laudatio.

SVPPLEMENTVM XX.

Ad *pag. 33.*

I.

Scriptores Arabici indubie plurimi floruerunt, a ſaeculo cumprimis Chriſtiano nono ad decimum quartum. Pauci tamen in vulgus Europaeum innotuerunt: nempe illi duntaxat, qui Latine ſunt verſi. Hiſtoria tamen doctorum Arabicae linguae virorum a non vno exacte eſt tradita. De quibus quandoquidem iam dictum a nobis aliquid eſt in *Epiſtola ad V. C. Ioannem Henricum Meibomium*, amicum, dum viueret, noſtrum non e multis, quae in opere Epiſtolico eſt *quadrageſima*, non eſt, cur illud argumentum hic denuo tractemus: praeſertim quia non eſt huius inſtituti. Hoc vnum duntaxat nunc addimus, quod ex eo tempore, quo ſcripta eſt illa Epiſtola, vir Orientalis literaturae ſine exemplo peritiſſimus, ſimulque inuſitatae induſtriae ac probitatis, amicus itidem heu quondam noſter, Hottingerus, in *Bibliothecario* ſuo, *libri ſecundi Bibliothecae Theologicae appendice*, nobis dederit Ioannis Leonis illum librum de *Vita quorun-*

250

dam Philosophorum & Medicorum Arabum, cuius ibi facta est mentio: prodierit quoque non multo post in lucem, interprete atque editore Edoardo Pocockio, *Historia Gregorii Abul-Pharaii* docta & varii argumenti.

II.

Quamuis porro abunde constet, passim per omnem fere Asiam, temporibus Abasidarum, doctrinam variam sapientiae fuisse cultam, de scholis tamen publicis vix quicquam paene solet memorari. Id quod indicio fortassis est, propagatam illa tempestate meliorem quamque eruditionem opera virorum doctorum priuata: ad quos scilicet alii confluxerunt discendi gratia. Et vero ipso Mamone imperante eiusmodi scholam instituisse Ioannem Mesue, (non illum Damascenum longe recentiorem, cuius scripta quaedam Latine versa in nostris sunt manibus,) diserte narrat Abulpharaius. Qui item nullius meminit scholae publicae vel ab ipso Mamone institutae: etsi, apud illum in pretio fuisse doctos, eiusque cura propagatam e Graecorum scriptis Philosophiam theoreticam, haud praeterierit silentio. Maronitae tamen apud Geographum Nubiensem *lib. de vrbibus & moribus Orientalium cap.* 2. de Bagdado aiunt: *Vrbs haec nobilis est scholis, quae omni scientiarum genere floruerunt, & adhuc florent.* Sed fortassis hoc etiam ita accipi debet, quasi vixerint ibi magistri, qui scilicet docuerunt perinde, atque apud Athenienses & Romanos ante saeculum Christianum secundum moris fuit: priuilegiis quidem nonnullis & immunitatibus fortasse instructi, non tamen conducti publico aere. Prae aliis autem Asiae vrbibus inclaruerunt doctis magistris post Bagdadum secundo loco Damascus, Cufa, Basora, Coralmiae etiam metropolis, Coacangh: de qua etiam Hottingerus quaedam notauit in *Historia seculi XV. pag.* 673. ex Ahmede Arabscide.

III.

III.

Etſi denique poſſit videri, non omnino certum id, quod diximus, Tatarorum & Turcarum imperiis extinctam in Aſia illam ſub Abaſidis renatam meliorem doctrinam; verum tamen eſt. Quamuis etiam ſic leues aliquas reliquias hic alibi manſiſſe, aut interdum ſcintillam aliquam iterum emicaſſe, etiam ipſimet haud negauerimus. Et vero Gregorius Abulpharaii *pag. 358.* de Naſeroddino Tuſenſi, qui obiit anno 675. hoc eſt, anno Chriſti 1276, hisce verbis vſus eſt: *Hoc tempore diem obiit Choiah Naſeroddin Tuſenſis, Philoſophus, qui obſeruationes Aſtronomicas in vrbe Maraga fecit, ſapiens inſignis in omnibus Philoſophiae generibus: quem ad obſeruationes faciendas conuenit magna Geometrarum praeſtantiſſimorum multitudo. Sub eius arbitrio fuerunt omnes ſcholarum reditus in omnibus, quae ſub imperio Mogalenſium erant, regionibus.* Liquet hinc ſane, a Tataris non fuiſſe exciſas ſcholas perinde, atque factum initio ſtatim ab Arabibus, ſed earum habitam ſaltim tunc curam laude non indignam. Dixerat autem & de Hulaco, Mogolenſium magno Monarcha, 252 iam tum Abulpharaii pag. 355: *Anno ſexcenteſimo quarto* (Chriſti 1265.) *e viuis exceſſit Hulacu, vir ſapiens, manſuetus, intellectu & ſcientia praeditus, ſapientum & doctorum amans.* Item p. 351. de Kublai Kanni: *Amabat ſapientes, doctos, & religioſos, cuiuscunque tandem ſectae aut gentis.* Imo cum iam concidiſſet A. C. 1335. Monarchia Tatarorum, de ipſo Timur Lenc, qui obiit anno 1404, proditum, *doctis illum fauiſſe, eorumque conſortio delectatum.* Quid? quod cum admiratione Europaeorum legantur *Tabulae Aſtronomicae* Vlug Beig, magni Mogolis, nepotis Temurlenchi, ſiue, vt vulgo loquimur, Tamerlanis. Sed vnus ille inter ſuos hanc laudem meruit: de reliquis nihil tale fuerit legere: eoque ad gentis vituperium magis haec Vlugi opera facit, quam commendationem.

IV.

IV.

De Solimanno item, Turcarum Imperatore, ita Maronitae *cap.* 7. ſcribunt: *Templo Meccano accedit nobilis diſciplinarum Academia, beneficio & munificentia Solimanni anno fere ab Hegira 949. erecta: qui & ſumtibus architecturam mirabilem & prouentibus Lyceum ipſum ditauit.* Verum & hoc in illa gente exemplo caret: nec ac ingenio Turcico profectum, ſed a religioſo quodam cultu & conſilio alieno. Quanquam non deſint, qui affirment, Auerroicae Philoſophiae fuiſſe ſtudioſum illum magnum Ottomannidam.

V.

Magis indubie admirationem meretur id, quod Ioannes Leonclauius *lib. XV. Hiſtoriae Muſulmannicae* narrat de Mahumetho, eius nominis ſecundo, Turcarum Imperatore, atque vrbis Conſtantinopolis expugnatore. Vbi enim aedificia ab illo conſtructa enarrat, poſt alia ſic loquitur: *Erat in vrbe Conſtantinopoli locus ſacer, quo Chriſtiani templum ſuae* 253 *religioni peruetus habebant, ſanctis Apoſtolis dedicatum. Eo loco medreſſas octo ſiue gymnaſia pro ſtudioſis literarum ſtruxit, & in horum medio templum eximium collocauit, & ex aduerſo templi magnum imaretum fieri curauit, itemque ab altera parte timarhanam, quae medicandis aegris eſt domus. Poſt ſingulas vero ſtudioſorum medreſſas, vnam tetimmen, quam vocant, iisdem inhabitandam aedificauit. Simul, vt omnibus horum gymnaſiorum doctoribus, magiſtris, & incolentibus tetimmen ſtudioſis, ex imareto ibidem ſuo cibi, panes, alimenta caetera praeberentur, ordinauit. Imaretum literae, quam Eleff vel Aleff vocant, ſimilitudinem refert. Hinc ornandi doctoris ſecretiorum diſciplinarum Scheichis Veſae Zadis cauſa templum conſtruxit, cum cellis religioſorum: in quibus & Deo ſeruiunt, & dogmata penitiora percipiunt. Praeterea viro Turcorum opinione ſancto, Ebu eiubi Enſari, templum cum imareto gymnaſioque ſcholaſtico, extra*

vrbem

vrbem condidit. Addit ibidem: *Denique viris in vrbe Constantinopolitana doctis, pauperibus, pupillis, viduis, mulieribus, dona distribuere solebat, ex animi benigni liberalitate profecta, quae dici consueuerunt eleemosynae. Doctoribus etiam menstrua salaria constituit.* Haec omnia Leonclauius. Sed nihil horum facit ad sapientiae & artium studia: duntaxat autem pertinent cuncta partim ad ludos triuiales, partim ad doctrinam Muhamedicae religionis & Iuris ciuilis Turcomannici. Quae etiam ipsa tamen suam commerentur laudem.

VI.

Fatemur praeterea, esse hodieque & PERSIS sua literarum gymnasia. Sunt autem & illa eiusdem fere generis cum Turcicis. Quam rudia autem sint reliqua omnia & barbara, optime possunt testari illa, quae refert Olearius *lib. V. cap. 25. Itinerarii Russo-Persici.*

SVPPLEMENTVM XXI.

Ad *pag. 35.*

Quam in AEgypto hodie scientiarum artiumque prisca cultura mutauerit, vt pateat omnibus, ipsamet Ioannis Leonis verba hic afferemus. Agens ille de Alcairi incolis, 254 ita scribit: *Mercaturae ac mechanicis artibus dant operam, non tamen loco natali excedunt. Plurimum studio Legum incumbunt, Artium paucissimi. Quamuis Collegia perpetuo studiosis referta sint, pauci tamen ad frugem perueniunt.* Eandem rem quoniam Prosper etiam Alpinus, medicus doctrina praestans, & qui per aliquot annos Cairi fecit artem in ministerio Consulis, quem vocant Veneti, *lib. 1. cap. 1. operis de Medicina AEgyptiorum* pridem post Leonem praeclare narrauit, huius etiam verba afferemus. *Ac primum dico, Cayri aliisque in locis AEgypti plurimos tum viros, tum mulieres reperiri, qui publice per vrbem medici-*

dicinam faciunt; non tamen vllos existere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocratice faciant: quando ibi nunc non literis, sed armis, opera ab his populis detur. Neque id quidem mirum: cum Turcarum imperio ea gens subiecta sit, qui nullis scientiarum studiis delectantur, armis tantum, auro argentoque, & Veneri indulgentes. De quibus vere videtur Seneca dixisse:

> *Turpis libido dominatur* (scilicet nunc) *potens Venere.*
> *Luxuria, victrix orbis, immensas opes*
> *Iampridem auaris manibus, vt perdat, rapit.*

Deest illis studiorum exercitatio, quanquam publicas scholas siue Studia ipsi habeant, in quibus varia scientiarum genera docentur. Cayri Studii locum Gemelhazaz appellant, pro quo tercenta millia aureorum anno quolibet dissipari aiunt. Siquidem ibi totius Academiae sumtus ad libros, ad victum, & ad reliqua doctoribus & scholaribus necessaria, quotannis aere publico suppeditantur. Ex omnibus vero scientiis atque artibus, quae ibi docentur, ea sola pars Theologica apud ipsos colitur, quae Pseudoprophetae Mahometis leges institutionesque pertractat. Multi siquidem propemodumque infiniti sunt, qui honoris atque vtilitatis gratia in eiusmodi scientiam incumbunt: quam qui adepti sunt, in summo pretio atque honore apud Turcas aliosque omnes habentur. Hos CADI appellant, quasi dixerint sacrae Legis 255 *doctores: quos Turca, illius regionis praefectus, suos quoque iudices creat: quibus auctoritas concessa est, vt possint quacunque de re in iure ciuili ac pontificio iudicare: ob quam rem ipsam tum in summa veneratione habentur, tum maximas parant opes. In aliis vero artibus atque scientiis perpauci sunt, qui perfecti fieri studeant: omniumque minime in arte Medica. Quae cum aliis omnibus fere in locis summo dignitatis gradu sit, infimum nunc atque vilissimum, tum ob gentis barbariem, tum ob eorum, qui per vrbem medentur, ignorantiam, locum tenet.*

SVPPLEMENTVM XXII.

Ad *pag. 36.*

De Maurico per Africam & Hispaniam imperio non consentiunt scriptores. Nos praecipue Ioannem Leonem

& Thuanum secuti sumus. Iis possunt & merentur adiungi, quae narrat Ioannes Mariana, Hispaniae rerum scriptor prudens non minus ac disertus, & alias passim in praeclaro historico opere, & cumprimis *lib. VII. cap. 5. lib. X. cap. 1., & libri XI. primo capite.* De iis etiam, quae contigerunt Auerroi imperante Mansore, egregia narrat Ioannes Leo libro *de vitis Philosophorum*: cuius primam editionem debemus illi, cui plurimum debet literatura Orientalis, Hottingero.

SVPPLEMENTVM XXIII.

Ad *pag. 40.*

I.

De studiis Maurorum in vrbe Feza quae tradit Nicolaus Clenardus passim in *Epistolis*, idonea sunt Leonis narrationes illustrare. Non omnem autem tunc in schola Fessana sapientiae curam exoleuisse, etiam ipse Ioannes Leo probauerit: 256 qui, se Fessae in scholis profecisse, profitetur, simulque eruditionis suae insigne praebuit documentum non tantum luculenta illa Africae descriptione, sed etiam libello *de Philosophorum vitis.* Adhoc testatur Paulus Iouius *lib. 34. Historiae* de Muleasse, Tunetano rege exule, *per otium cum Philosophis de natura vniuersi, & de motu coeli, potestateque siderum, exactissime ex Auerrois disciplina illum disputasse.* De occupatione item Tunetanae vrbis, Caroli Imperatoris auspiciis facta, agens: *In ea,* inquit, *arcis direptione tria incomparabilis iacturae detrimenta Muleasses deplorauit, Arabicorum voluminum inprimis, quae perturbata atque direpta bibliotheca perierunt. Asseruabantur enim antiquissimi codices, non disciplinarum modo omnium praecepta, sed superiorum etiam Regum res gestas, & Mahometanae superstitionis interpretationem con-*

tinentes: quos Rex ipse postea me audiente, se vnius vrbis pretio (si fieri posset,) fuisse redemturum, disserebat. Quantumuis autem in Muleasse & aliis nonnullis fuerit, imo nunc etiam sit, aliquis Philosophiae amor, communem tamen gentis ignauiam & ruditatem nihil huius excusare est idoneum. Perinde ac superstites ibi bibliothecae non sunt documenta florentis ibi etiamnum doctrinae.

II.

Obiter non possumus hic non monere in vniuersum aliquid de eorum, qui Arabica lingua scripserunt, eruditione. Magnus satis eorum est numerus, quantum hactenus variis est monumentis proditum, scriptorum eiusmodi: quoniam eorum pars in Asia, pars in Africa vixit, ex variis regionibus oriundi, ita vt raro vel nullos inuenire inter illos sit ex prisca Arabum prosapia. Quorum scripta Latine sunt versa, (esse autem versa Physicae quidem & Astrologicae & Medicae doctrinae linguae illius potissima, facit illud verosimile, quod saeculo duodecimo & tertiodecimo Chri-257 stiano, quibus versiones illae sunt institutae, optimae famae libri quique Arabici fuerint nostris hominibus notissimi, eoque nomine interpretes suos acceperint:) arguunt pleraque ingenium & iudicium auctorum suorum pereximia, non quidem si dictionem, sed si res, quae tractantur, spectare velis, & docendi methodicam rationem. Quemadmodum autem ipsi illi scriptores ingenue eruditionis suae principes magistros agnoscunt Graecos priscos, ita licet etiam fortassis citra inuidiam & obtrectationis suspicionem profiteri, longo interuallo omnem Arabicae doctrinae laudem infra Graecorum illorum merita subsistere: parum certe, idque in perpaucis, isti Graecae sapientiae veteri ab Arabibus illis accessisse; ac proinde, quoniam Graeca hodie redierunt in manus nostras, non etiam esse, quamobrem Arabica isthaec non-

nondum verſa anxie amplius deſideremus. Hiſtoriae humanarum rerum, quae quidem florentibus Arabum imperiis acciderunt, longe alia eſt ratio: vix enim illam petere aliunde licet. Fruſtra tamen aliarum gentium, quamuis Orientalium, res antiquiſſimas quasque, atque adeo & Graecorum & Latinorum, inde exſpectari, produnt nimis luculenter, quae ad nos peruenerunt, Arabum monumenta.

SVPPLEMENTVM XXIV.

Ad *pag.* 43.

I.

Quae Theophilo eiusque filio Michaële imperantibus facta eſt Conſtantinopoli melioris cuiusque literaturae reſtitutio quaedam, ea quin contigerit Barda Caeſare annitente, nemo facile negauerit. Etenim Imperatores illi tantum non monſtra quaedam hominum fuerunt: certe a ſtudiis colendis quam alieniſſimi. At nec Bardae ingenium fuit doctrina aliqua illuſtri excultum. Igitur perquam eſt veroſimile, illud omne beneficium Photii conſiliis deberi. Hic ſcilicet fuit ab eruditione quamoptime inſtructus, quod Μυριόβιβλος & Νομοκάνων ipſius hodieque docent cum noſtra admiratione: idemque gratia atque auctoritate plurimum apud Bardam valuit, teſte ipſomet Zonara. Leo porro ille Philoſophus, quem Theophilus euexit, praeter Zonarae Cedrenique elogia, etiam a Conſtantino Manaſſe in *Annalibus* audit μυριομαθέστατος. Quin etiam non dubitauit Manaſſes narrare, hunc Theophilo Imperatori plane inuſitatum confeciſſe horologium: per quod Imperatori in regia conſidenti ſingulis horis ſpectandum exhibuerit, quicquid noui vel apud Arabes vel apud Syros tentaretur; machinam vero illam a Michaële, Theophili filio, fuiſſe deſtructam. Indubie

258

dubie quidem hoc omne vanum ac fabulosum est : arguit tamen opinionem vulgi de isto Leone, quod nempe populus incredibilia etiam sibi de illo persuaserit.

II.

Caeterum ea, quae Theophilo Imperatore contigerunt doctrinae in lucem e tenebris reductae primordia, per fuerunt obscura : & lux maior denique refulsit saeculo decimo: si quidem credere licet iis, quae in Praefatione *Geoponicarum Eclogarum* Constantini Porphyrogennetae Imperatoris continentur. Auctor enim earum Constantinum illum Imperatorem ita alloquitur, vt quidem verba Graeca interpretatus est Ianus Cornarius: *Primum Philosophiam & Rhetoricen iam deperditas, & ad immensam obliuionis profunditatem demersas, mirabili artificio & prudentia retraxisti, robusta dextera tua illis porrecta. Deinde vero etiam alias omnes scientias ac artes renouasti. Postremum autem gnarus, politiam in tria haec esse diuisam: militiam, inquam, sacerdotium, & agriculturam; non minimam curam* 259 *circa hanc postremam partem adhibuisti, quae humanam vitam maxime conseruare cognoscitur.* Si sane ad illud vsque tempus Philosophia & Rhetorice perierant, facile liquet, quam misera fuisset hactenus vtriusque conditio. Vbi obiter haud abs re fuerit obseruare, respexisse Praefationem illam ad libros varios, Constantini illius cura iam tum editos, quales de re militari erant τακτικῶν & περὶ θεμάτων commentarii: nullo tamen indicio facto magni operis *Eclogarum Historicarum*, quia forte illud tunc nondum fuit institutum. Is etiam porro, qui praefatus est in *Eclogas Historicas* eiusdem Imperatoris, quarum tituli tantum duo hactenus lucem viderunt, quinquaginta & vno etiamnum siue latentibus alicubi siue deperditis, conqueritur de inopia, quae fuerit hactenus, librorum historicorum : ideoque & Imperatorem ex omnibus orbis partibus libros doctrina varia refertos conquisiuisse. Plane idem vero de hoc Constantino etiam alii Graeci histo-

rici

rici tradiderunt. Diſerte enim tomo tertio Zonaras: ἐπιμελέθη δὲ καὶ τῆς φιλοσοφίας αὐτῆς, ἐπιτελησμένης ἤδη σχεδὸν· ἀλλὰ μέν τοι καὶ τῶν ἐπιστημῶν διδασκάλους ἐπιστήσας, καὶ ἀναζωπυρήσας ἐκλειπούσας αὐτάς. Cedreni verba Latine ſic ſonant: *Scientias, Arithmeticam, Muſicam, Aſtronomiam, Geometriam, & omnium principem Philoſophiam, quae iam longo tempore ob incuriam & inſcitiam Imperatorum perierant, ſua induſtria inſtaurauit, conquiſitis, qui in quouis genere excellerent, ac conſtitutis doctoribus, & diligentibus receptis & conductis. Quo factum eſt, vt exiguo temporis decurſu barbaria profligata Vrbs denuo literis floruerit.* Eisdem paene verbis vſus eſt Michaël Glycas Siculus *l. 4. Annalium:* ideoque nolo nunc illa adducere.

III.

Praeter iſtaec autem ab iis laudata dignum cumprimis etiam eſt aeterna memoria, Legum quoque ſtudia hoc demum Imperatore coepiſſe nonnihil erigi. Et vero tunc Conſtantini Imperatoris cura perfectum editumque eſt Βασιλικῶν opus, noua nempe ἀνακαθάρσει repurgatum, etſi illud parens Leo iam feciſſet conſcribi. Tunc etiam demum Νομοκάνων Photii videtur in vſum traductus eius Porphyrogennetae auſpiciis. Theophilo ſane & Michaële imperantibus etiam Iuris Romani Iuſtinianei videtur perquam exigua habita ratio, imo forte nulla, prae Latini ſermonis pridem ſepulta Conſtantinopoli peritia: vt proinde tunc temporis indubie nec Iuris illius ciuilis ſuperfuerit, in vulgo quidem, ſcientia. Id quod liquido oſtendit etiam illud: quoniam a Iuſtiniani vsque aetate non memorantur vlli libri Graece ſcripti a quoquam Iurisconſulto aut Imperatore, donec tandem Baſilius Macedo, Michaëlis ſucceſſor, πρόχειρον νομικὸν publicavit. Superſunt enim quidem Iuſtini etiam ſecundi, Tiberii, Heraclii, & Conſtantini quinti Nouellae quaedam ante Baſilium promulgatae: ſed cum paucae illae ſunt, tum oſtendunt rarum Iuris ciuilis Romani, a Iuſtiniano vsque ad

260

Basilicorum promulgationem, in foro, in ſcholis forte nullum, vſum.

IV.

Vt in viam igitur redeamus, illa, quae Theophilo & Michaële imperantibus fuit inſtituta, bonae literaturae reſuscitatio perquam fuit leuis: maior autem laus debetur ſaeculo decimo, & quidem Conſtantini Porphyrogennetae Imperatoris prudentioribus auſpiciis. Etiam illum vero Principem ſatis doctum, imo omnis doctrinae patronum maximum, dum conſilio haud quidem malo tot *Eclogas* variarum ſcientiarum fecit conſcribi, non equidem dubito, multum reipublicae literariae ſimul nocuiſſe: hac ratione videlicet per ignauiam hominum optimis quammultis veteris aeui ſcriptis pereuntibus. Vtinam tamen vel illae *Eclogae* omnes 261 hodie ſupereſſent! Praeter *Geoponicas* autem & *Hippiatricas* nihil integrum ſuperat: & *Hiſtoricarum Eclogarum* duo tantum editi tituli paene deſperare nos iubent de vita quinquaginta vnius reliquorum. Etſi porro Conſtantinopoli aliqua ſemper ad finem vsque illius Orientalis Imperii Romani manſerit ſchola, eaque interdum ſic ſatis praeſtantibus florens magiſtris; in reliqua tamen omni parte illius Imperii nihil ſimile vel a ſuis ſolet commendari. Non etiam inſtituta Conſtantinopolitanae ſcholae a quopiam, quod ſciam, ſunt memorata: vt nec, quae illius ſemper fuerint fata. Quapropter nec a me hoc loco quicquam eorum poteſt adiici.

V.

Si in aeſtimationem autem venire debeat eruditio Graeca, qualis fuerit ſiue a nono ſiue a decimo ſaeculo, citra controuerſiam illa neutiquam meretur comparari cum peritia veteris Graeciae, quamcunque doctrinae partem placuerit attendere. Philoſophia porro theoretica & Mathematicae ſcien-

ſcientiae, vt & ars Medica, longe excellentius ab Arabicis ſcriptoribus excultae ſunt. Poëtica quoque Arabum multo eſt, quam Graecanica, elegantior. In ſola hiſtoria ſcribenda fortaſſis ambiguam palmam dixeris. Latinorum, qui a Carolo Magno ad Conſtantinopolitani Imperii exitium vixerunt, vix dixeris praeter vnum & alterum, in Hiſtoria ſane, Graecis pares. Scribendi facultate itidem Graeci praevaluerunt. In Logicis & Phyſicis & Metaphyſicis Latinos equidem haud dubitauerim ſequioris aeui Graecis anteferre. In ſacra item doctrina & Legum peritia longe maior Latinis videtur laus deberi: contra Graecis in ſcientiis Mathematicis. Cumprimis vero merito vergit in Graecorum laudem, quod circa Imperii illius interitum floruerit Conſtantinopolis quammaxime excellentibus ingeniis virorum perinſignium. Et vero ipſasmet Ariſtotelicae quoque Philoſophiae optimorum librorum vere Latinas, non barbaras, verſiones, elegantioremque ſolito veteris Philoſophiae cultum, debet Latinus orbis Gazis, Argyropylis, Beſſarionibus, & aliis: quibus parem illa aetas in Latinis forte habuit neminem. 262

SVPPLEMENTVM XXV.

Ad *pag. 48.*

Non erimus cuiquam moleſti recitatione ipſorummet verborum Dominici Bannez: cuius teſtimonium de Academia Salmanticenſi laudauimus in margine Diſſertationis. Quandoquidem vero ille ingenue agnouerit, Franciſco Victoriae deberi prima in illa Academia ſubtilioris Scholaſticae Theologiae exordia, egoque *Relectiones* illius viri eique ſuetam docendi rationem pridem magni aeſtimauerim, vnum alterumque non poſſum non monere. Igitur ante omnia Andreae Schotti ex *Bibliothecae Hiſpanicae tomo ſecundo* affe-

ram verba. *Francifcus a Victoria, Lutetiae Parifiorum hauſta primum Scholaſtica Theologia, laureaque merito parta, primus eam in Hiſpaniam veluti margaritam attulit.* Dubito tamen, vtrum Parifienſi ſcholae ſuos in Morali Theologia profectus, quibus quammaxime excelluit Victoria, debuerit: non ſane quis par illius ſcholae laudari poteſt. Equidem exiſtimo, prae aliis iſtius ſaeculi culturam Moralis doctrinae huic Victoriae Hiſpaniam debere. Hoc magiſtro autem profecit Dominicus Soto: cuius *de Iuſtitia & Iure* praeclari itidem exſtant commentarii. Ex illa porro Theologica Salmanticenſi ſchola ad Didacum Couarruuiam & Ferdinandum Vasquez cum perueniſſet Morum illa & Iuris Philoſophia, coepit demum in Hiſpania alibique excoli Iuris etiam prudentia, longe alia & accuratiore, quam vulgo fieri ſolet, 263 ratione. Quorum diligente lectione & exemplo incitatus Hugo Grotius, quo valuit inuſitato ingenii & iudicii acumine, dedit orbi opus illud incomparabile *de Iure Pacis ac Belli.*

SVPPLEMENTVM XXVI.

Ad *pag.* 52.

Quod Hippocratis nomine fertur IVSIVRANDVM, illud revera eſſe eius auctoris, nemo, quod equidem ſciam, vocauit in dubium ante patrum aetatem. Potiſſimum dubitandi argumentum eſt, quod in Galeni ſcriptis nulla eius fiat mentio. Et vero fuit Galenus Hippocraticorum omnium cultor ſtudioſus: itaque ſaltim alicubi in tanto librorum ſuorum numero eius libelli meminerit, ſi habuiſſet in manu. Verum tamen, quia bona pars operum Galeni pridem periit, ſaltim incertum eſt, quid Galenus fecerit nec ne. Diu vero ante Galenum vulgo fuiſſe chartam illam *Iurisiurandi* Hippocrati attributam, liquet ex Scribonio Largo, qui vixit

xit Claudio circiter imperante. Sed & poſt nemine contradicente ita creditum eſſe, docent Soranus iunior, Erotianus, Hieronymus, Nazianzenus, Theodorus Priſcianus: quorum teſtimonia pridem adducta ſunt in medium, cumprimis a Ioanne Henrico Meibomio (Medico, ſi quis alius, longe χαριεστάτῳ, & meo, dum viueret, amico magno, cuiusque proinde memoria mihi ſemper erit in cariſſimis,) in eruditiſſimo *Iurisiurandi* illius *commentario cap.* 1. Faciunt huc & nonnulla verba Caſſiodori in *Formula Comitis Archiatrorum*, quae habetur *Varior. l. 6. p. 19.* Arabicae aut Latinae ſcholae recentiores non eſt, quod laudem in teſtes. Attendi vero & hoc meretur, quod in illo libello nihil reperiatur indignum aut fama aut grauitate aut dictione Hippocratis. Vtut igitur ἀποδεικτικῶς haud liceat Hippocratem aſſerere auctorem, ſaltim perquam probabile tamen id merito eſt aeſtimandum. 264

SVPPLEMENTVM XXVII.

Ad *pag. 52.*

Non hoc loco diſputabimus, vtrum recte a nobis ſit dictum nec ne, *Archiatros* olim dictos, quibus Principum valetudo curanda erat concredita. Etſi enim vox Α'ρχιάτρȣ primo haud ſignificet τȣ̃ ἄρχοντος ἰατρὸν, ſed primarium quemuis; nihil vetat tamen, ſolius Principis valetudini dicatos κατ' ἐξοχὴν ita eſſe appellatos. Comes Archiatrorum vtique Principi inſeruiuit, ceu Formula Caſſiodoriana diſerte docet: *Indulge te quoque*, inquiens, *palatio noſtro: habeto fiduciam ingrediendi*, *quae magnis ſolet pretiis comparari.* In eadem Formula dicitur ἁπλῶς de Archiatris: *Habeant Praeſulem*, *quibus NOSTRAM committimus ſoſpitatem.* Fateor tamen, haud eſſe vero abſimilem ſententiam eorum, qui *Archiatros* dictos omnes omnino primarios medicos arbitran-

tur. Fuiſſe vero certum gradum dignitatis Archiatralem, certumque etiam huius tituli Medicorum numerum, liquidum eſt: patebitque amplius infra ex iis, quibus ſupplebimus nonnulla dicta *pag. 116.*

Examen autem Archiatrorum cooptandorum neutiquam fuiſſe penes Comitem, qui appellabatur, docet *primo* illud, quod in Conſtitutione Valentiniani & Valentis facultas illa examinandi tribuatur collegio quidem Archiatrorum aut Ordini, non autem Comiti; *ſecundo*, quod in *Formula Comitis Archiatrorum* Caſſiodoriana nulla huius examinis fiat mentio. Conſtituitur enim Comes ille ibi *iudex* quidem, ſed non niſi controuerſiarum inter Medicos de medendi ratione exortarum. Eſt vero illa *Formula* apprime lectu dignisſima: praeſertim addito doctiſſimo Commentario eiusdem, quem ante celebrauimus, literatiſſimi viri, & quondam amici noſtri eximii, Ioannis Henrici Meibomii: etſi liber ſit poſthumus.

265

Notatu dignum porro eſt id, quod *Formula* iſta habet. *In ipſis quidem Artis huius initiis quodam ſacerdotii genere ſacramenta vos conſecrant. Doctoribus enim veſtris promittitis, odiſſe nequitiam & amare puritatem. Sic vobis liberum non eſt, ſponte delinquere, quibus ante momenta ſcientiae animas imponitur obligare.* Haec ſane verba ſignificant haud obſcure, etiam illa tempeſtate, ſaltim quaedam in capita Hippocratici Iurisiurandi, ſacramento ſolenni tyrones Medicae artis adigere, recepti fuiſſe moris. Id quod alias fieri ſolere, haud equidem dixerim.

SVPPLEMENTVM XXVIII.

Ad *pag. 54.*

Quamuis de examinibus medentium, inter Muhamedanos olim vſitatis, nihil differere potuerimus, fortaſſis tamen haud abs re iam fuerit, afferre aliquid huc nonnihil faciens,

faciens, adhuc vſitatum in AEgypto: idque teſtimonio Medici pereximii, quique, vt poſt in Patauina ſchola magno cum applauſu Artem docuit, ita eandem Cairi per quadriennium iuuenis feliciter iam fecerat, degens in Venetorum Conſulis familia, Proſperi Alpini. Ita vero ille *l. 1. de Medicina AEgyptiorum c. 1.* ſcripſit: *Extat Cairi inter caeteros medicos omnes quidam AEgyptius, quem ACHIMBASSI illi appellant: qui MEDICORVM PRINCEPS noſtra lingua interpretatur. Huius officium eſt, illos, qui ibi medicinam exercere velint, de illiusce artis peritia ſedulo percunctari, & examinare, atque eis, qui in medendi examine recte reſponderint, ac recte ſe geſſerint, publica fide concedere, vt per eam regionem mederi impune poſſint. Iſtud autem in Doctorum numerum adſciſcendi munus non datur multis, vt* 266 *in multis Europae locis fieri ſolet, ſed vni ſoli tantum, illique praeſertim, qui plus auri argentiue Praefecto Cayri, quem BASSA appellant, hac de cauſa ſoluerit. Parum etenim id curat hoc tempore Baſſa, an ille, qui ACHIMBASSI procreandus eſt, ſit ad illud munus recte obeundum probe idoneus: adeo nunc apud illos omnia corrupit auaritia: non hoc, inquam, ille curat, ſed an potius aureos multos ipſi offerat. Eodem exemplo & ipſe ACHIMBASSI etiam, a Praefecto perdoctus, eodem auaritiae vitio ſublatus, pretium a cooptandis accipiens, omnes indiſtincte, cum indoctos, tum doctos mederi per vrbem ſinit. Qua facilitate numerus tum virorum, tum mulierum medentium in ea maxima vrbe Cayri eſt fere infinitus: cum quisque exhibito auro poſſit ab ACHIMBASSI medendi autoritatem obtinere.* Hactenus Alpinus. Vnde diſcere eſt, lege quidem conſtitutum Cairi eſſe, non quemuis promiſcue ſine praeuia approbatione ad Artem faciendam admittere, ſed illam haud obſeruari, idque magno cum aegrotantium detrimento. Hanc legem vero iam eſſe latam ante Turcarum in AEgyptum imperium, per eſt veriſimile: quia alias, vbi maxima eſt gentis Turcicae potentia, legis eiusmodi nullum comparet veſtigium, ſed barbare iſtud omne adminiſtratur. Fortaſſis vero etiam alibi in Africa & Aſia olim, florentibus Arabum rebus, tale quid obtinuit. Vereor autem, vt hodie eius

ſuperſit quicquam; vt proinde hactenus Diſſertatio noſtra haud a vero aberrauerit.

SVPPLEMENTVM XXIX.

Ad *pag.* 62.

I.

Qui primi in AEgypto monaſticam vitam degerunt, Paulo ſiue Antonio auctoribus, eorum ſaltim plerique homines fuerunt illiterati. Enimuero ipſemet Antonius ne legere quidem potuit, vt in eius *Vita* ſcribit Athanaſius. 267 Cum illius ergo exemplum maxime ſectandum eſſe foret perſuaſum, ipſa etiam imperitia a quammultis in parte fuit ſanctimoniae aeſtimata. Sed & in vniuerſum ea fuit viuendi ratio, vt vix diſcendo proficere quiſquam potuerit: tantum abeſt, vt potuerit quem alium docere. Et vero, cum duo tum fuerint monachorum genera, alterum *Solitariorum* ſiue *Anachoretarum*, alterum in coenobiis degentium, (non enim de *Sarabaitis*, aut quos *Gyrouagos* appellant, nunc agam:) ſaltim Anachoretarum inſtituta & diſcendi & docendi viam praecluſerunt: quoniam neutrum agi poteſt niſi in hominum conſortio, a quo vita Anachoretica aliena eſt. Melior ſane multum & humanior fuit vita coenobitica: eoque & ab ipſomet Hieronymo, quamuis antehac Anachoreta, prae altera eſt Ruſtico laudata, & paſſim praelata tantum non vbiuis: non tamen etiam illa vel ad diſcendum vel ad docendum fuit commoda, tempus omne eripientibus aliis exercitiis, cum ſpiritualibus, tum victui neceſſariis. Cum ſcilicet nec priuatim neque ex communi ſuppeterent vitae neceſſaria, coacti tunc fuerunt coenobitae non minus, atque Anachoretae, manu & in vicinis vrbibus mendicando ſibi alimenta conquirere. Vnde Hieronymus ad Ruſticum; *AEgyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis*

ris labore ſuscipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animae ſalutem. Talem omnino fuiſſe vitam AEgyptiorum monachorum, abunde teſtantur etiam Caſſiani *Collationes*: in quibus de ſtudiis literariis monachorum AEgypti, quorum ille omnia habuit exploratiſſima, nihil reperire eſt, etſi illorum numeroſa fuerint examina. Feruntur quoque etiamnum *Regulae*, quas vocant, ipſusmet *Antonii*, aliorumque, interque eas vna, quam Angelus creditur Pachomio dictitaſſe: habent autem etiam illae de rebus ſcholaſticis nihil.

II.

Qui ex Antonii diſciplina primus in Syria monaſticam inſtituit S. Hilarius Eremita, illum itidem a peritia aliqua ſiue diuinae ſiue profanae ſcientiae non laudauit Hieronymus, quamuis vitam illius ſatis cum magna cura deſcripſerit. Niſi huc referre velis illud: *Scripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes & Pſalmos quaſi Deo praeſente recitabat.* Id quod indubie non niſi de parte aliqua diuini codicis accipiendum eſt. De caetero cenſueris, illum vitam inſtituiſſe AEgyptio more. Quapropter & Hieronymus, cum dixiſſet, illum *raſtro humum fodiſſe, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret*; mox ſubiungit: *Simulque fiſcellas iunco texens aemulabatur AEgyptiorum monachorum diſciplinam, & Apoſtoli ſententiam, dicentis: Qui autem non operatur, non manducet.* Quis dubitet vero, ad illud exemplum, ſaltim pleroſque alios Meſopotamiae monachos, vitam moreſque inſtituiſſe? 268

III.

S. Hieronymus tamen in Syriae eremo viuens, videtur non manu laboraſſe, ſed tempus, quod ab oratione & ſacro cantu fuit reliquum, ſtudiis impendiſſe. Etenim ſuam, quam Romae collegerat, bibliothecam ſibi afferri curauit: nec

nec desiit Ciceronis sese & Plauti lectione delectare. Quod cum faceret Scriptura posthabita, febricitans in somnio acriter castigatus est. Ipse rem omnem prolixe narrat *libello ad Eustochium de custodia virginitatis*: paene negans, fuisse somnium, *quia liuentes habuerit scapulas, & plagas senserit post somnum*: in *Apologia* tamen *contra Ruffinum*, qui vituperauerat Hieronymum, quod, etsi castigatus, non desiisset Ciceronianus esse, (inique: nec enim contigerat illud Hieronymo, quod Ciceronem legisset, sed quod S. Scripturam minore, quam par erat, studio tractauisset:) scribit: *Sed tamen, qui somnium criminatur, audiat Prophetarum voces: Somniis non esse credendum.* Idem praeterea S. Hieronymus in eremo Hebraeae linguae addiscendae dedit operam. Verba eius ex *Epistola ad Rusticum de viuendi forma* merentur integra hic legi. *Dum essem iuuenis*, inquit, *& solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum ardoremque naturae ferre non poteram: quem cum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quoties cessauerim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam: & gratias ago Domino, quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo.* Eremitam porro agens S. Hieronymus per integrum quadriennium, interea temporis adolescens *commentaria* scripsit in *Obadiam Prophetam*, transtulitque Origenis quasdam *homilias*, aliaque nonnulla. Habuit quoque ibi alumnos antiquariae arti seruientes, vt ipse testatur *epistola sexta ad Florentium*. Vnde manifestum est, S. Hieronymi Eremiticam vitam ab institutis aliorum Eremitarum toto fuisse coelo diuersam. Multo magis diuersa fuit eius viuendi ratio, quam Bethlehemi

269

hemi egit: vtpote cum illo tempore docuerit ore ac ſcripto quamplurimos, & vndique terrarum tantum non indies varios hoſpites exceperit. Scholam tamen publicam nec vel Hieronymus habuit, ne diuinarum quidem literarum. Vtque ille ſic ſeſe geſſerit, Ruſticum tamen de vita monaſtica inſtruens *epiſtola* 4, ait quidem: *Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis*; mox vero ſubiungit: *Facito aliquid operis, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum. Si Apoſtoli, habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant mereri carnalia, cur tu in vſus tuos ceſſura non praepares? Vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus: ſarriatur humus: areolae aequo limite diuidantur: &c.* Idem *epiſt. 13.* non niſi hoc vnico vtitur ad Paulinum, virum non indoctum, praecepto: *Semper in animo ſit ſacra lectio.* Ad diſcendum vlterius illum non inuitat, multo minus ad docendum. Ita etiam deſcribit Malchum monachum, vt liquidum ſit, hominem fuiſſe illum omnis melioris doctrinae rudem.

270

IV.

Vere igitur monaſtica S. Hieronymi vita plurimum diſtat ab inſtitutis reliquorum non AEgypti duntaxat, ſed Syriae etiam, qui tunc floruerunt, monachorum. Apud reliquos nimirum non niſi *ſancta* quaedam, vt cum Hieronymo loquar, *tantum ſibi vtilis ruſticitas* obtinebat: ille vero otiabatur, toti Eccleſiae laborans. Quemadmodum vero ſine exemplo tunc monachum egit S. Hieronymus, ita in tribus muliebribus Bethlemiticis coenobiis inuſitata ratione ſeſe geſſerunt Paula, Euſtochium, aliaeque: itidem ſcilicet ſingulari induſtria diuinis lectionibus intentae, vtpote quae Hebraeae quoque linguae ſibi peritiam acquiſierant. Non tamen & illae videntur alias erudiiſſe: tantum abeſt, vt ſcholae virginum in monaſteriis illis fuerint habitae.

V.

Plane AEgyptiis porro moribus fuerunt illi, qui Augustino florente in Africam monasticen intulerunt. Enimvero sanctissimus ille Ecclesiae pater libro, quem *de moribus Monachorum* inscripsit, non alios depingit: hinc & tanquam operarios alloquitur doctrinaeque nullius homines. Fuerunt autem tunc, repugnantibus multum Donatistis, in Africa exstructa coenobia Carthagine, Tagaste, & Hippone. *Solitarios* isthuc commigrasse, haud equidem obseruaui.

271

VI.

De monasterio, quod in Gallia instituerat S. Martinus, agens Sulpitius Seuerus, aetate suppar, in *Historia vitae S. Martini c.* 7. scribit: *Discipuli octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur.* Verum ne haec quidem *institutio* doctrinae capessendae inseruiuit, sed exercitiis asceticis. Nam & Martinus non doctrina polluit, sed eximia sanctitate. Indicatque idem, quod subsequitur: *Nemo ibi quicquam proprium habebat. Omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere (vt plerisque monachis moris est,) quicquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor aetas deputabatur, maiores orationi vacabant.* Non adducam reliqua, quia & ipsa nihil sunt nisi ἀσκητικά. Obiter meretur obseruari, S. Martini coenobium ab AEgyptiis saltim in eo abiisse, quod hic ars nulla exerceretur, nec arte facta venderentur aut emerentur; vtrumque autem apud AEgyptios obtinuerit: quo ipso, vt & mendicitate, data fuit occasio clanculum ditescendi.

VII.

De Lerinensi porro insula ita quidem *lib. I. de laude Eremi* loquitur Eucherius: *Haec nunc habet sanctos senes illos, qui*

qui diuisis cellulis AEgyptios patres Galliis nostris intulerunt. Nequaquam tamen illa insula obseruauit omnia AEgyptiorum monachorum instituta, etsi cellulis & ibi fuerint distincti sancti senes. Complures enim insula isthaec dedit literatos viros & Ecclesiis docendis regendisque aptos: AEgyptus, etsi tot agminibus stipata, vix vnum. Neque quisquam ibi manu victum sibi artes excolendo legitur comparasse. Itaque vel hinc discere est, in Lerinensi insula sacris studiis fuisse litatum. Quod ipsum ea, quae in Dissertatione adduximus, verba Eucherii itidem liquido ostendunt. Fugit nunc tamen nos discendi docendique ibi obseruata ratio. Quanquam, scholas multitudine discipulorum frequentatas ibi non fuisse, &, qui inclaruerunt, suam eruditionem attulisse isthuc potius, sic satis sit manifestum.

272

VIII.

Quoniam porro de reliquis Stoechadibus insulis, aliisque Galliae monasteriis iam tunc temporis conditis, nihil tale praedicatur, quod de Lerinensi, argumento id est, iis in locis longe tum minorem, si modo vllam, fuisse doctrinae culturam. Etiam hoc vero meretur obseruari: omnes illos ex Lerinensi monasterio profectos olim viros doctrina aliqua insignes, intra saeculum quintum quasi concludi. Nec vero, etsi nunc quoque in insula isthac supersit monachorum aliqua ἄσκησις, tanto spatio quisquam ibi vixit aut inde prodiit, illis, quos laudauimus, par doctrina. Vt haud iniuria dixeris, cum saeculo Christiano illo quinto priscam doctrinae laudem, vt paene etiam alibi, per Galliam defecisse. Operae tamen fuerit pretium aliquod, legisse librum, quem titulo *Chronologiae Sanctorum & aliorum virorum illustrium ac Abbatum Sacrae Insulae Lerinensis* Lugduni anno saeculi huius tertio decimo edidit Domnus Vincentius Baralis Salerna, monachus Lerinensis.

SVPPLEMENTVM XXX.

Ad *pag. 65.*

I.

Sunt, qui perhibeant, ſaeculo iam tum quarto penetraſſe in Italiam monaſticam viuendi rationem; ſaeculo ſaltim quinto paſſim & ibi & in Sicilia complures vixiſſe Aſcetas. Quibus equidem haud refragabor, etſi perquam obſcura ſit eorum memoria: idque, quandoquidem AEgy-273 ptiaca inſtituta indubie etiam ibi obtinuerunt, nihil certe fecerit ad doctrinae aliquem cultum. Sexto itaque demum ſaeculo poſſit videri laus illa deberi: & quidem primo omnium S. Benedicto, cuius *Regula monaſtica* deinceps prae aliis paſſim placuit. Quapropter etiam nos in *Diſſertatione* Benedictum illum eiusque *Regulam* hoc nomine laudantes, aliis illum omnibus praetulimus. Quam ſecuti tamen ſententiam tunc ſumus de doctrinae per Benedictum eiusque ſectatores propagatione, illam, licet vulgo ſit recepta, tamen profiteri amplius non audemus. In plane alia ſcilicet nos iam ducit *primum* ipſiusmet Benedicti eiusque discipulorum hiſtoria; *ſecundo Regula* eius *monaſtica*; & *tertio* altum de Benedictinorum monachorum eruditione per ſextum, ſeptimum, & octauum ſaecula ſilentium.

II.

Enimuero ex Gregorii Papae *Dialogo ſecundo* de ipſo Benedicto Antoninus *Parte ſecunda Summae Hiſtorialis tit. XV. cap. XIII.* ita ſcribit: *Qui nobiliore genere ex prouincia Nurſiae ortus Romae liberalibus literarum ſtudiis traditus a parentibus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, pedem retraxit, ne, ſi quid de eius ſcientia attingeret, ipſe quoque poſtmodum in immane praecipitium totus iret. Deſpectis itaque literarum ſtudiis, relicta*

domo

domo rebusque patriis, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctae conuerſationis habitum quaeſiuit. Receſſit igitur ſcienter nescius & ſapienter indoctus. Quae vtique indicant auerſum a liberalibus ſtudiis Benedicti affectum. Igitur quod §. 2. idem ſcribit: *Coeperunt tunc ad eum Romani Nobiles & Religioſi concurrere, ſuosque filios ei omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonae ſpei ſuas ſoboles Equitius Maurum, Tertullius vero Patricius Placidum tradidit*; illud, inquam, non niſi de educatione ad vitae ſanctimoniam accipiendum eſt, ſecus quam noſtra habet *Diſſertatio.* In iisdem vero, non autem aliis, exercitiis vixiſſe cum Placidum, tum Maurum, qui Benedicti discipulorum laudantur potiſſimi, ex iis, quae narrat Antoninus *decimoquarto capite*, itidem eſt manifeſtum. Nec vero alio ſpectauit illa a Mauro inſtituta Francicae iuuentutis educatio: quam nos itidem de ſtudiis doctrinarum perperam fuimus interpretati. 274

III.

Iam porro *Regula monaſtica Benedicti* ne verbulo quidem agit de ſtudiis doctrinae, ſiue ſaecularis, ſiue etiam ſacrae, excolendis. Imo *Regulae* eius argumenti veteres omnes, quae quidem ante ſaeculum Chriſti nonum conſcriptae ſunt, ne Baſilii quidem excepta, de literarum vel ſacris ſtudiis habent nihil. Liquido ſane illud apparet ex *Codice Regularum*, collecto Ludouici Pii aetate a Benedicto, Anianenſi Abbate, qui cura Lucae Holſtenii Romae in lucem prodiit anno ſaeculi huius ſexageſimo primo, & quarto poſt recuſus eſt Pariſiis.

IV.

Diſſertatio mea aliud quidem conata eſt perſuadere e libris *diuinarum humanarumque Inſtitutionum* aut *Lectionum* Caſſiodori. Et vero illos voluit eſſe Caſſiodorus monachis ſuis Viuarienſibus pro manuductione ad diuina & humana

 ſtudia:

ſtudia: merenturque pro captu illius temporis laudem eximiam. Sed Viuarienſe illud monaſterium ſaltim tunc temporis non fuit ex Benedicti inſtituto, ſed plane diuerſum. Eoque, etſi tunc etiam Benedictus vixerit, huius tamen Caſſiodorus nusquam meminit. Ex Caſſiodori itaque potius mente profluxerunt illius monaſterii inſtituta, non ex Benedicti. Imo cum Benedicti disciplina ſenſim obtinuerit, videtur hoc ipſo Caſſiodori periiſſe inſtitutum, & loco eruditionis ſacrarum ac ſaecularium literarum, quam Caſſiodorus laudabili conatu voluit propagare, ruditatem & inſcitiam quandam ſacram inter Benedicti ſectatores paſſim tunc inualuiſſe.

275

V.

Quod *tertium* attinet, haud me fugit, quid iactitent nonnulli, ſimul vero &, quam vana ſit illorum gloriatio. Adducam nunc duntaxat ex elegantiſſimo libello Gabrielis Naudaei, amici quodam mei, viri ingenio, iudicio, & multa lectione praepollentis clariſſimique, cui titulus *Cauſa Kempenſis coniectio*, nonnulla vtramque in partem ſcripta. *Pagina* ſcilicet 155. adducuntur Conſtantini Caietani, Benedictini magnae famae Abbatis, haec de vetuſtiſſimis Benedictinis verba: *Verum non tanti ducimus, Eccleſiam caducis & ruituris parietibus circumdediſſe, quanti facimus, illam aeternis & in omne aeuum manſuris operibus illuſtraſſe. Mitto nunc Dionyſium Exiguum, Aratorem Romanum, Ennodium Ticinenſem, & Aurelium Caſſiodorum, Romanae Eccleſiae Academiarum Lateranenſis & Vaticanae, ſeu Cantorum ſcholae magiſtros. Mitto nunc Magnum Gregorium, Iſidorum, Ildefonſum, Bedam, Damaſcenum, Alcuinum &c.* Sed paulo poſt Naudaeus adiicit ex *libro Vindiciarum Kempenſium* haec Simonis Werlini: *Dionyſium ſub regula Benedicti fuiſſe, nullum argumentum eſt, quod me cogat credere. De Aratore omnia alia me docet elegantiarum pater Iacobus Sirmondus ad Ennodii librum nonum ex codice Remenſi monachorum S. Remigii, in quo librorum Aratoris exordium legitur: quo licet exprimatur*

matur, quid ante clericatum Arator fuerit, monachismus tamen taceatur. Ennodium vero quomodo audet hic monachum facere, cum ipse in EVCHARISTICO DE VITA SVA non solum toto capite, sed manibus etiam pedibusque abnuat? De Cassiodoro aeque fallimini: qui de suo monasterio Viuariensi agens DIVINAR. INSTIT. C. 32. nunquam meminit S. Benedicti, sed Abbatum Gerontii & Chalcedonii. Gregorium Magnum fuisse Benedictinum, conatus est probare Caietanus libro iustae magnitudinis, sed absque iustis rationibus. Isidorus Hispalensis habuit regulam propriam, non Sancti Benedicti. De Ildefonso eadem ferme est ratio. Sed in Damasceno magis desipit, quisquis eum facit Benedictinum. Hactenus ille. 278

VI.

Quibus haec tamen nos addimus. Beda fuit quidem monachus, sed quo tempore in Britannia Benedicti *Regula* nondum inualuerat. Par est ratio Alcuini Angli: modo ille fuerit monachus: nec enim vel hoc certo constat. Isidorum Hispalensem aliquando monachum egisse, non memorauit Mariana *lib. VI. rerum Hispan. c.* 7, vbi diligenter Isidori res persequitur. Hoc tamen habet hic non dissimulandum: *Susceptam Ecclesiam cum optimis legibus atque institutis temperauit, tum inanem omnem curam esse, nisi a primis annis cerae instar ad omnem pietatis partem pueri formarentur, intelligens, collegium Hispali constituendum curauit ad iuuentutem literis & sapientiae studiis imbuendam. Vnde tanquam ex arce sapientiae plurimi prodierunt morum probitate & doctrina insignes: in his Illefonsus & Braulius.* Illustrantur autem haec ab iis, quae idem Mariana de Illefonso refert *lib. VI. cap. X.* Gregorium porro Magnum non Benedicti, sed S. Equitii sub Graeco S. Basilii instituto monachum fuisse, multis iam vicerat argumentis in Annalibus Baronius. Cui opposuit quidem sua Caietanus, sed reperit mox aduersarium doctum, Antonium Gallonium, Congregationis Oratorii Presbyterum: qui *librum Apologeticum* edidit *pro assertis in Annalibus Ecclesiae de monachatu S. Gregorii Papae.* Fuit scilicet Caietanus ille

ad

ad insaniam vsque Benedictinorum laudis studiosus: atque hinc vi facta quamplures tantum non obtorto collo in Ordinem illum pertraxit. Id quod etiam de S. Columbano Abbate *pag. 143,* & *pag. 132.* de Amalario Fortunato, recte monuit idem ille nunquam sine praeconio mihi memorandus Naudaeus.

VIII.

279 Caeterum saeculo Christiano nono longe melior coepit esse ratio eruditionis, in nonnullis saltim S. Benedicti disciplinam professis monasteriis. Quam rem persequemur commodius ad *paginam 65. Supplemento XXXII.*

SVPPLEMENTVM XXXI.

Ad *pag. 64.*

I.

Quod *Dissertatio* habet, *neminem fere in Occidentalis Ecclesiae toto orbe nomen aliquod scripto libro obtinuisse, qui non in monasterio educatus sit atque institutus*; illud hodie neutiquam dixerim: imo scriptorum neminem censeo ibi fuisse vel educatum vel institutum. Quantumuis enim quidam illorum ad monasticam vitam animum appulerint, extra monasterium tamen, quicquid in iis fuit eruditionis, hauserunt: nisi forte in sola Hibernia aut Britannia.

Displicet etiam, quod diximus, *Scotos monachos a Romanis meliorem culturam aliqua ex parte accepisse.* De Britannis nonnullis verum est tamen.

Displicet porro, *praeter monachorum scholas nullam in Occidentali orbe fuisse Philosophiae aut Philologiae aut Christianae doctrinae cathedram:* praesertim quoniam fortasse nulla fuerit schola eiusmodi monastica, & de schola ab Isidoro circa Ecclesiam Hispalensem excitata aliud iam proxime docue-

cuerimus. Veruntamen & Hiſpalenſe illud Iſidori inſtitutum per irruptiones Saracenicas non multo poſt interiit.

Diſplicet denique, quod nullam fecerim Hiberniae monaſteriorum mentionem: cum tamen ipſismet eius aeui Britannicis forte mereantur praeferri. Igitur de iis nunc aliquid eſt narrandum.

II.

Et vero pridem ante Anglo-Saxones literarum meliorum aliquis apud HIBERNOS fuit cultus. Certe ſaeculo adhuc octauo Angli ſoliti ſunt Hiberniam petere doctrinae gratia. Non diſſimulauit hoc ipſemet Britannicarum rerum peritiſſimus ſtudioſiſſimusque Cambdenus, licet Anglus. Vnde in *Deſcriptione Hiberniae* ſic locutus eſt: *Anglo-Saxones noſtri illa aetate in Hyberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam vndique confluxerunt. Vnde de viris ſanctis in noſtris ſcriptoribus legitur: Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam: Et in Sulgeri Vita, qui ante ſexcentos annos floruit:* 280

Exemplo patrum, commotus amore legendi,
Iuit ad Hibernos Sophia mirabile claros.

Indeque noſtrates Saxones rationem formandi literas accepiſſe, videantur: cum plane charactere vſi fuerint, qui hodieque Hibernicis eſt in vſu. Haec Cambdenus. Quibus non poſſumus non addere ante omnia verſiculos illos reliquos, quos auctor vetus *Vitae Sulgeri* habet.

Qui poſtquam nablam primo tener edidit infans,
Perluſtrat ſcholas ſtudio florente Britannas.
At creſcente ſimul ardore & tempore multo,
Exemplo patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hibernos Sophia mirabile claros.

III.

Hinc ſane liquet, illa tempeſtate Britanniae quidem ſuas fuiſſe ſcholas, ſed aptas magis primae aetati; in Hibernia autem doceri & Philoſophiam ſolere. Confirmat hoc ipſum fortiter etiam illud, quod ad Carolum Caluum ſcripſit *praefatione Vitae S. Germani* Ericus Autiſiodorenſis: *Quid Hiberniam memorem, contemto pelagi diſcrimine, paene totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem?* Quid? quod etiam is, qui apud Carolum Caluum magna valuit auctoritate, Ioannes, *Scotus* vulgo aut *Erigena* dictus, patria fuerit Hibernus, & pro ſaeculi captu Philoſophiae peritus. Recte ſcilicet Iacobus Vſſerius, Hiberniae Archiepiſcopus Armacanus, Vir doctiſſimus, in *Hiſtoria Gotthe ſchalci cap. 9.* agens

281 de Ioannis huius ſententia de Praedeſtinatione, ſcribit: *Cum Hibernia noſtra indigenis Eri & Erin appelletur, ac doctis notum ſit, eandem eſſe veterem Scotiam & Hiberniam, Ioannem ab aliis Scotum ſiue (vt eum nominat ipſius σύγχρονος, Anaſtaſius Bibliothecarius,) Scotigenam, a ſeipſo Erigenam ſiue Eringenam eodem prorſus ſenſu fuiſſe dictum, vero mihi ſemper viſum fuit eſſe ſimillimum.* Ioannem illum autem Philoſophiae ſeſe peritia ſaltim iactitaſſe, liqueat vel ex vno alteroque Capitulo libri ab ipſo *de Praedeſtinatione* conſcripti. Recenſuit illa idem Vſſerius; eſtque eorum primum hoc: *Quadruuio regularum totius Philoſophiae quatuor omnem quaeſtionem ſolui.* Decimum octauum hoc: *Errorem Praedeſtinationis ex diſciplinarum ignorantia (quas ipſa Sapientia ſuas comites inueſtigatricesque fieri voluit,) & Graecarum literarum inſcitia ortum.* Infra de illo Ioanne erit denuo agendum: ſufficit nunc, illius exemplo demonſtraſſe, Hiberniam ſaeculo etiam nono habuiſſe ſuas Philoſophiae ſcholas.

IV.

Indubie vero & ſacrae literae in Hibernia illis ſaeculis ſuos habuerunt magiſtros, cum plurimi ex Hibernia tunc pro-

prodierint praedicandi Euangelii in Gallia & Germania gratia monachi non docti minus, quam sancti. Diserte vero idem affirmat Alcuinus in *Vita S. Willibrordi*. Viguisse enim tradit in Hibernia *scholasticam eruditionem*, eamque addiscendi causa S. Egbertum, S. Wicbertum, S. Wilgisium, aliosque Anglos isthuc commigrasse, & euasisse doctissimos: addens: *Horum beatus adolescens Willibrordus aemulari cupiens religionem, in Hiberniam veloci cursu conscendit, ibique duodecim annos inter eximios piae religionis & sacrae lectionis magistros, futurus multorum populorum praedicator, erudiebatur.* Idem Alcuinus *lib. eodem carmine primo* de S. Wilibrordo ita canit:

Venerat occiduis quidam de finibus orbis, &c.
Quem tibi iam genuit foecunda Britannia mater,
Doctaque nutriuit studiis sed Hibernia sacris.

Idem in Elegia de S. Willigiso:

Vt dudum cecini, foecunda Britannia mater,
Patria Scotorum clara magistra fuit.

282

Scotorum enim nomine Hiberni intelliguntur.

V.

Quinimo ante Alcuinum ipse Beda *Historiae Anglorum lib. III. cap.* 27. ita scripserat: *Erant eo tempore* (anno Christi 664. in Hibernia) *multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani Episcoporum, relicta insula patria, vel diuinae lectionis vel continentioris vitae gratia illo secesserant. Et quidam quidem mox se monasticae conuersationi fideliter mancipauerunt; alii magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti liberalissime suscipientes victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, & magisterium gratuitum praeberi curabant.* Paulo post ibidem laudat Edilhunum, *qui & ipse aeuo sequente Hiberniam gratia legendi adierit, & bene instructus in patriam redierit.*

Quae narratio liquido prodit, tunc temporis in Britannia ne ſacrarum quidem literarum ſtudia fuiſſe culta, ſed illa in Hibernia ab ipſis Anglis fuiſſe petenda. Indubie vero, quoniam a Scotis ſiue Hibernis monachis illa tempeſtate exſtructa ſunt in Anglia quaedam monaſteria, etiam laudabilis ille mos docendi, ſaltim ſacram literaturam, ſenſim & ibi introductus eſt.

VI.

Quoniam ad hunc modum autem habuerint ſeſe tunc temporis Scotorum in Hibernia monaſteria, manifeſtum eſt, non tantum ab AEgyptiorum aliorumque, ſed etiam a S. Benedicti inſtitutis illa multum fuiſſe diuerſa, & Eccleſiae Chriſtianae longe vtiliora.

283

VII.

Quo primo auctore autem ſtudia doctrinae in monaſteriis illis Hiberniae coeperint, equidem neſcio. Forte tamen exorta ſunt ſtatim cura S. Patricii Britonis. Qui peragratis Gallia atque Italia inſulisque Tyrrheni maris, cum iuuenis S. Martinum vidiſſet, & S. Germano Autiſiodorenſi fuiſſet magiſtro vſus, in Hiberniam praedicandi Euangelii cauſa anno Chriſti 431. commigrans, multa ibi monaſteria conſtruxit. Quantos porro Hibernia tunc temporis in doctrinae ſtudiis fecerit progreſſus, itidem dicere nequeo. Non magnos feciſſe, argumento videtur haud leui illud eſſe, quod haud temere ſcriptum aliquod doctum quinto, ſexto, ſeptimo, & octauo ſaeculis in Hibernia quisquam elaborauerit, cuius quidem nunc ſuperſit memoria. Errauit enim Bellarminus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Aldhelmum ſcribens ſaeculo octauo Epiſcopum egiſſe in Scotia: cum ipſemet teſtis eius Beda *lib. V. c. 10.* eum faciat Antiſtitem Saxonum Occidentalium. Accedit, quod ex Hibernia *in exte-*

ras

ras etiam regiones (verba ſunt S. Bernhardi in Vitae Malachiae Archiepiſcopi hiſtoria,) *quaſi inundatione facta ſanctorum agmina ſe effuderint*; illorum tamen nemo ſingulari eruditionis laude eminuerit. Probamus nihilominus id, quod Cambdenus ſcribit: *Patricii diſcipuli tantos progreſſus in re Chriſtiana fecerunt, vt ſubſequenti aetate Hibernia SANCTORVM PATRIA diceretur, & Scotis in Hibernia & Britannia monachis nihil ſanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuerſam Europam ſanctiſſimorum virorum examina miſerint: quibus Luxouium Burgundiae, Bobienſe Italiae, Herbipolis Franconiae, S. Gallus Heluetiae, Malmisburia Lindisforniae, & quamplurima alia in Britannia monaſteria originem ſuam debent. Ex Hibernia enim fuerunt Coelius Sedulius presbyter, Columba, Columbanus, Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilianus, Maidulphus, Brendanus, & alii plures ſanctitate & doctrina inclyti.* Haec ille, & quidem recte. Niſi quod ex numero diſcipulorum Patricii ſit eximendus Sedulius, Presbyter quidem Scotus ſiue Hibernus, ſaltim Patricio tamen nonnihil vetuſtior, ſi Trithemio credimus, imo S. Hieronymo aequalis, ſi aliis. Non enim ſequemur Sigebertum Gemblacenſem, qui aetatem eius refert in tempora Conſtantii Imperatoris, quia hunc refellit *Explanatio Epiſtolarum Paulinarum* Sedulii, ex Origene, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino excerpta. 284

VIII.

Quantumuis vero ex Hibernia ad ANGLORVM gentes ſtudia quaſi per coloniam deducta ſint, attamen etiam aliunde ſenſim in nonnullas Britanniae partes illa penetrauerunt. Etenim Roma in Britanniam venit anno Chriſti 668. Theodorus, monachus Romanus, *natus* (vt Beda loquitur *lib. IV. c. 1.*) *ex Tarſo Ciliciae, vir & ſaeculari & diuina literatura Graece & Latine inſtructus*, (Zacharias Papa in *Epiſtola ad Bonifacium Moguntinum 140.* ſcribit, eum fuiſſe *Graeco-Latinum Philoſophum & Athenis eruditum*, ſatis ridicule:) *factus Archie-*

 piſcopus

piscopus Cantuarienſis. De illo, eiusque ſocio Adriano, idem Beda *cap.* 2. ita ſcribit: *Is primus erat in Archiepiſcopis, cui omnis Anglorum Eccleſia manus dare* (in celebrando Paſchate) *conſentiret. Et quia literis ſacris ſimul & ſecularibus, vt diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterua, ſcientiae ſalutaris quotidie flumina in eorum cordibus emanabant: ita, vt etiam metricae artis, Aſtronomiae, & Arithmeticae Eccleſiaſticae diſciplinam, inter ſacrorum apicum volumina, ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt, quod vsque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Graecamque linguam aeque, vt propriam, in qua nati ſunt, norunt. Neque vnquam prorſus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora: dum & fortiſſimos Chriſtianos habentes Reges cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita coeleſtis regni gaudia penderent: & quicunque lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberent in promtu* 285 *magiſtros, qui docerent. Sed & ſonos cantandi in Eccleſia, quos eatenus in Cantia tantum nouerant, ab hoc tempore per omnes Eccleſias diſcere coeperunt.* Affert idem Beda *lib. V. cap.* 7. nonnulla ex epicedio, vt Beda ait, *verſibus heroicis*, reuera autem *elegiacis*, iam defuncto illi Theodoro ſcripto: vbi dicitur:

Limpida diſcipulis dogmata diſſeruit.

Cap. ſequenti de ſucceſſore illius Theodori, qui obiit anno 690. Berechtwaldo ait: *Vir & ipſe ſcientia Scripturarum imbutus, & Eccleſiaſticis ſimul ac monaſterialibus diſciplinis ſumme inſtructus, tametſi praedeceſſori ſuo minime comparandus.* Paulo item poſt: *Inter multos, quos ordinauit Antiſtites etiam, Gebmundo, Rhoſenſis Eccleſiae Praeſule, defuncto, Tobiam pro illo conſecrauit, virum Latina, Graeca, & Saxonica lingua, atque eruditione multiplici inſtructum.* Capite etiam XXI. Adrianum, Theodori ſocium & Coadiutorem defunctum, lugens ſcribit: *Cuius doctrinae ſimul & Theodori inter alia teſtimonium perhibet, quod Albinus, diſcipulus eius, qui monaſterio ipſius in regimine ſucceſſit, in tantum ſtudiis Scripturarum inſtitutus eſt, vt Graecam quidem linguam non parua ex parte, Latinam vero non minus, quam Anglorum, quae ſibi naturalis eſt, nouerit.* Capite eiusdem libri XXIV. ſiue vlti-

vltimo haec habet: *Anno proximo* (hoc eſt, Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo octauo,) *Tobias, Rhofenſis Eccleſiae Praeſul, defunctus eſt, vt ſupra meminimus, doctiſſimus. Erat enim diſcipulus beatae memoriae magiſtrorum, Theodorici Archiepiſcopi & Abbatis Adriani. Vnde cum eruditione literarum vel Eccleſiaſticarum vel ſecularium ita Graecam quoque cum Latina didicit linguam, vt tam notas & familiares ſibi eas, quam natiuitatis ſuae loquelam, haberet.* Epilogo poſtremum illius ſui operis hiſtorici de ſemetipſo ſcribit: *Cum eſſem annorum ſeptem, cura propinquorum datus educandus ſum reuerendiſſimo Abbati, Benedicto, ac deinde Celfrido: cunctumque ex eo tempus vitae in eiusdem monaſterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi: atque inter obſeruantiam diſciplinae regularis & quotidianam cantandi curam in Eccleſia, ſemper aut diſcere aut docere aut ſcribere dulce habui.* Enumerat denique eo loco Beda triginta ſeptem a ſeſe conſcripta ab anno vsque aetatis triceſimo ad quinquageſimum nonum volumina. Obiit autem Beda in monaſterio, quod eſt ad Witemudam amnem, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo quarto, vt habet *Continuatio Hiſtoriae cap. 6.* Ex cuius *cap.* 7. diſcere eſt, a Beda etiam habitam in monaſterio iſthoc ſcholam inſignem. Vltimi enim morbi mortisque hiſtoriam enarrans ſubdit: *AEgrotans non tamen liberalium ſtudiorum reiecit operam. Totis enim diebus, praeter debitum Pſalmodiae penſum, aſſiduis ad diſcipulos lectionibus, nominandisque & abſoluendis quaeſtionum difficultatibus, grauedinem valetudinis decipere ſuſpenſa interim cogitatione nitebatur. Euangelium quoque Ioannis his diebus lingua interpretatus Anglica, condeſcendit minus imbutis Latina. Subindeque monebat diſcipulos, dicens: Diſcite, filioli, dum vobiscum ſum. Neſcio enim, quamdiu ſubſiſtam.*

286

IX.

Ex iis ſane narrationibus liquet, ad Anglos primo omnium ex Hibernia, ſerius vero etiam Roma eruditionis ſacrae pariter atque ſaecularis ſtudia perueniſſe, & quidem ſaeculo denique Chriſtiano ſeptimo; inſignes praeterea ibi ſcho-

ſcholas viguiſſe, partim in nonnullis monaſteriis, idque exemplo potiſſimum Hibernorum, partim vero & circa Eccleſias, Cantuarienſem cumprimis & Roffenſem. Iam defuncto autem Beda, Epiſcopus quoque Eboracenſis, Egbertus, qui floruit anno ſalutis ſeptingenteſimo quadrageſimo, in propagationem doctrinae laudabili ſtudio incubuit, ſtructa ibi inſigni bibliotheca. Hinc de illo Wilhelmus Malmesburienſis: *Omnium liberalium artium armarium, vt ita dicam, & ſacrarium, nobiliſſimam bibliothecam Eboraci conſtituit.* Hinc etiam Albinus Alcuinus in epiſtola ad Carolum Magnum: *Date mihi exquiſitiores eruditionis ſcholaſticae libellos, quales in patria habui per bonam & deuotiſſimam Egberti Archiepiſcopi induſtriam.* Albinus autem is eſt, cuius conſilio Carolus Magnus deinceps vſus, in regno Francorum eruditionis ſtudia exſuſcitauit: qua de re plenius iam diſſertatum eſt.

287

X.

Quanquam vero in eum, quem narrauimus, modum in Anglia refloruerit ex ſpiſſa barbarie doctrina, non tamen promiſcue omnium, quamuis monachorum vel cleri Anglicani, vlla virtus hic fuit. Enimuero ipſemet Beda *lib. IV. Expoſitionis allegoricae in Samuelem* ita ſcribit: *Videat lector, nec ſine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur, quantum Eccleſiae ſtatus ad peiora quotidie, vel, vt mitius dicam, ad infirmiora gerenda deuoluatur.* Addit quidem, *etiam tunc exiſtere perfectos in fide & veritate*: *videre* ſe tamen fatetur, *maxima in parte inſtare tempora iam olim praedicta.* Raritatem bonorum ſatis liquido demonſtrant pauca ex illo aeuo reliqua eruditionis monumenta. Sed & vel ipſi illi, qui Euangelii facem in Germania accenderunt, Angli tenui fuerunt doctrina: ne Bonifacio quidem excepto, etſi zelum huius merito laudaueris. Emicuit etiam porro quidem eruditio monachorum Anglicorum prae omnibus non tantum illius,

ſed

ſed praecedentis etiam cuiuscunque aeui aut cuiuscunque gentis. Quis ſane monachorum vel illius vel antegreſſi temporis (Hieronymum ſemper excipio,) in vlla orbis parte meretur cum Beda comparari, aut etiam cum Alcuino? Paucis imo monachorum, etiam aliquot poſt ſaeculis, datum eſt ad illud Bedae faſtigium adſcendiſſe. Philoſophiae tamen & liberalium artium non niſi rudior quaedam peritia, etiam in ipſomet Beda, effulſit. Longiſſimo vtique interuallo illam veteres, Graeci cumprimis, vt & Latini, imo poſt & Arabes, ſuperauerunt. Diuinarum item Scripturarum cognitione ſatis eximia quidem polluit Beda, & quidem ſupra ſaeculi captum & morem. Etiam ita tamen inferior fuit ſaltim Hieronymo & Auguſtino, vt alios nunc taceam: quamvis maior plurimis poſt ſecutis, cum Latinis, tum Graecis. 288

XI.

Extincta vero & illa qualiscunque Anglorum eius tempeſtatis gloria eſt paulo poſt, crudelibus Danorum aliorumque ſeptentrionalium populorum depraedationibus & vaſtationibus: vt demum aliquot poſt ſaeculis, ſub Normannicae familiae regibus, potuerit iterum ſcintillam aliquam ſpargere. De illa clade fortaſſis haud abs re fuerit, ſaltim vnicum Matthaeum Weſtmonaſterienſem audire, qui in *Chronico* ad annum octingenteſimum triceſimum nonum ita loquitur: *Nunc ad plagam maximam & horribilem peruenimus, quae peccatis exigentibus per Danos Angligenis nationibus illata eſt. Libet eiusdem cladis cauſam ad cautelam futurorum breuiter legentibus intimare. In Anglorum quidem eccleſia primitiua religio clariſſime reſplenduit. Proceſſu vero temporis adeo in eis omnis virtus emarcuit, vt nulla gens proditione vel fraude eis conſimilis videretur. Nec erat eis inuiſum aliquid, niſi pietas & iuſtitia: nec honor, niſi bella plus quam ciuilia, & ſanguinis innocentium effuſio. Miſit ergo eis Deus omnipotens gentes paganas crudeliſſimas, velut apum examina, quae ne quidem ſexui muliebri, aut paruulorum parcerent*

 aetati

aetati, Danos scilicet & Norwegenses, Gothos & Swethedos, Vandalos & Fresos, (intelligit vero Venedos & Frisios in Cimbrica Cherloneso habitantes,) *qui ab exordio Regis AEthelulfi vsque ad Nordmannorum aduentum, per annos ferme CCXXX. terram hanc peccatricem a mari vsque ad mare, & ab homine vsque ad pecus, deleuerunt. Siquidem Angliam crebro & vndique inuadentes, non subiugare ac possidere, sed praedari ac perdere satagebant. Qui si aliquando vincerentur, nihil tamen proficiebant Angli, cum alibi classis maior & exercitus ex improuiso & subito adueniret.* Haec omnia Westmonasteriensis. Exceperat autem pridem hanc Angliae vastationem Danicam (nam interea temporis Sueno, Cnuto, Haraldus, & Hardecnuto, Dani Reges, Angliam aliquandiu totam occupauerunt:) alia ex Gallica Normannia, caeso Haraldo, vltimo Anglicae stirpis Rege, anno Christi CIↃ LXVI. a Wilhelmo, qui hac de causa *Conquaestor* solet audire. Periisse autem iam tunc per Danicas aliasque irruptiones omnem priscam in Anglia eruditionem, luculentus est testis Guilhelmus Malmesburiensis, Conquaestoris aeuo proximus, *lib. III. Literarum*, inquit ille, *& religionis studia obsoleuerant non paucis ante aduentum Normannorum annis. Clerici literatura tumultuaria contenti vix Sacramentorum verba balbutiebant: stupori & miraculo erat caeteris, qui Grammaticam nosset.* Claudemus hoc *Supplementum* verbis illius auctoris, qui circa saeculi vndecimi initium *Continuationem Historiae Bedae* conscripsit. Obitum ille Bedae enarrans *lib. I. c. 8.* ita ait: *Sepulta est cum eo* (Beda scilicet,) *paene omnis gestorum notitia ad nostra tempora. Adeo nullus Anglorum studiorum eius aemulus, nullus gloriarum sequax fuit, qui omissae monetae lineam persequeretur. Pauci, quos aequus amauit Iesus, quamuis literis non ignobiliter informati, tota vita ingratum consumserunt silentium. Alii vix primis labris illas gustantes, ignauum confouerunt otium. Ita cum pigro semper succederet pigrior, multo tempore studiorum in tota insula tepuit feruor. Magnum ignauiae testimonium dabunt versus epitaphii, pudendi prorsus & tanti viri mausoleo indigni:*

Presbyter hic Beda requiescit, carne sepultus. 290
Dona, Christe, animam in coelis gaudere per aeuum:
Daque illum Sophiae de ebriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

Poteritne vlla excusatione hic pudor extenuari, vt nec in eo monasterio, vbi illo viuente totius literaturae exultabat gymnasium, potuerit inueniri homo, qui memoriam eius formaret, nisi exili & miserabili stylo?

SVPPLEMENTVM XXXII.

Ad *pag. 65.*

I.

Perperam docuimus, meliorem literaturae culturam, quae coepit sub Carolo Magno in Francorum imperio, deberi monasteriorum maiori multitudini. Vera enim causa eius fuit illud, quod primus Carolus constituerit, in monasteriis omnibus scholas habendas esse, quodque ea in parte nonnulla monasteria composuerint sese ad laudabile exemplum optimorum quorumque monasteriorum Angliae & Hiberniae. Et vero ante Carolum nulla fortasse fuit, in Francici quidem regni, quamuis amplissimi, monasteriis, schola vlla. Imo vero Bonifacio, quem Legatum Romani Pontifices constituerant, curante monasteria vniuersa iussa sunt in vita & moribus *Regulam Benedicti* obseruare, etiamsi antehac aliis institutis vixissent. Illa autem Regula ad scholas habendas neutiquam fuit composita: ceu iam tum ante demonstrauimus. In Synodo nempe Franciae, quam anno DCCLII. Dux Austrasiae Carolomannus coëgerat, constitutum est, *vt monachi & ancillae Dei monasteriales iuxta regulam S. Benedicti ordinate viuere studeant, & vitam propriam gubernare secundum praedicti Patris ordinationem non negli-*

negligant. Eodem porro anno in Synodo Liptinenſi *Abbates & monachi receperunt regulam S. Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitae:* vt diſerte ſcribitur in *Capitularibus Anſegiſi lib. V. cap. 3.* ſicut illa, quam retulimus, Conſtitutio habetur *capitulo* 2.

291

II.

In nouis porro conſtituendis per Germaniam coenobiis Bonifacium non ſpectaſſe propagationem doctrinae ſiue ſacrae ſiue alterius cuiusque, vel ex verbis Rudolphi, quibus *capite X. Hiſtoriae vitae S. Liobae* apud Surium ad diem XXVIII. Septembris vſus ille eſt, liquido apparet. *Videns vir beatiſſimus Bonifacius, Eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, monaſteria conſtruere coepit: vt ad fidem Catholicam populi non tam Eccleſiaſtica gratia, quam monachorum & virginum congregationibus raperentur.* Imo vero noua a Bonifacio condita monaſteria, ſicut ad normam Benedictinam, ita ad ſtudia literarum propaganda plane inidonea, fuerunt compoſita. Duodecim feruntur Bonifacio in Germania originem ſuam debere, & praecipuum horum eſſe Fuldenſe. At vero de illo Bonifacius ad Zachariam Papam in haec verba ſcripſit ea epiſtola, quae in volumine, quod *Epiſtolarum S. Bonifacii* titulo mendoſiſſime edidit Nicolaus Serrarius, eſt centeſima quadrageſima prima. *Eſt locus ſyluaticus in eremo vaſtiſſimae ſolitudinis, in medio nationum praedicationis noſtrae, in quo monaſterium conſtruentes, monachos conſtituimus ſub regula S. Patris Benedicti viuentes: viros ſtrictae abſtinentiae, absque carne & vino, absque ſicera & ſeruis, proprio manuum ſuarum labore contentos.* Quae ratio viuendi literis ſiue discendis ſiue docendis non vtique eſt apta. Quod de Bonifacio nemo mirabitur, qui vel inſpexerit duntaxat *Epiſtolas Bonifacianas*, nihil ſapientes vel ſacrae eruditionis: tantum abeſt, vt quicquam in illo viro, caeteroquin pio, laudem mereatur eruditio-

ditionis saecularis. Eapropter illud etiam, quod nos Kirchnero credentes scripsimus *pag. 193*, quasi iam *Sturmo Abbate vna Fulda triginta doctores artium linguarumque, & sexcentos genere claros discipulos aluerit*, non dubitamus nunc fabulis accensere. Et vero in *Vita S. Liobae* apud Surium die XXIX. Septembris, iam paulo ante adducta, testatur Rudolphus, Bonifacium mandasse Lullo, successori suo Moguntino, *de monasterio Fuldensi, quod auctoritate Zachariae & fauore Carolomanni Regis* (rectius Ducis,) *Austrasiae in vastissima solitudine saltus Boconiae ipse construxerat: vt, quia monachi locum illum inhabitantes pauperes erant*, (iis vero tum praeerat Sturmo Abbas,) & *needum alia haberent seruitia, sed solo manuum suarum labore victitabant, aedificium fundatae tum ibi Ecclesiae ad perfectionis terminum deduceret.* Ne quidem autem Rothario Abbate tertio primum viuendi genus desiisse, liquet ex libello supplice monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum contra Abbatem illum suum: *vt aedificia immensa atque superflua & caetera inutilia opera omitteret, quibus fratres accideret vltra modum fatigari, & famulos foris disperire.* Indicant enim haec verba, tunc etiam monachos in aedium structuram manibus operam praestitisse. 292

III.

Quantumuis vero vt Fuldense, ita etiam fortassis reliqua ab sese constructa monasteria, Bonifacius vsque adeo duram voluerit vitam agere; licet vetera etiam quaeque coenobia ad regulam Benedicti fuerint reuocata; haud videtur tamen rigide illud ipsum fuisse etiam in vetustioribus exactum: praesertim quia iam illo aeuo monachis istorum coenobiorum esset abunde de vitae necessariis prospectum, vt haud esset necessum, manu sibi victum quaerere ex primo Benedicti instituto. Non enim asperitatis huius vlla in monumentis aeui istius apparent vel leuia vestigia: quan- 293

quam abſtinentiam ab omni carne cunctis tum coenobitis fuiſſe adhuc communem, haud pauca liquido ſignificent. Hactenus itaque non obfuit illis monachis alimentorum quaerendorum inopia, quo minus in coenobiis & ipſi proficerent & alios inſtituerent. Attamen nec in illis monaſteriis fuerunt vllae ſcholae: imo nulli viri eruditi, etſi morum ſanctitas quibusdam haud defuerit. De Augia diuite, quam appellant, memoratur tamen, illam a Carolo Martello ex inſtituto S. Pyrmini ita fuiſſe inſtitutam, *vt* (verba ſunt Bruſchii,) *tantum Principes, Comites, ac Barones illic educarentur ac erudirentur a prima infantia ad adolescentiae vsque tempora. Tum enim* (ait Bruſchius,) *bene inſtitutis ac libere educatis integrum ac liberum erat, prodire iterum, & vel vxores ducere, vel aulas Principum, vel militiam ſequi. Equitum vero ac ciuium liberi admittebantur nulli. Erat igitur tantum Principum ac ſublimi ſtirpe natorum ſchola ac gymnaſium quoddam.* Trithemius *lib. I.* ad annum Chriſti 741. tantum hoc refert de Augia illa: *In illa ſucceſſu temporis multi viri clauſtrales eruditione & ſanctitate vixerunt inſignes.* De ſchola magnatum habet nihil. De S. Meinrado tamen in eius *Vita* apud Surium menſe Ianuario ita ſcribitur: *Meinradus cum iam eam aetatem attigiſſet, qua aptari poſſet literarum ſtudiis, a patre ducitur ad inſulam, quam veteres Sindelaugiam vocabant,* Sindelaug. *Huc puer iam dictus a patre ductus commendatur viro per omnia honeſtiſſimo, Erlebaldo monacho.* De S. Wolffgango item apud eundem Surium menſe Octobri pag. 991. legitur: *Wolffgangus, non contentus, ſcholis triuialibus aut priuatis erudiri, patre deducente eo ſibi properandum ſtatuit, vbi tum intra Germaniae fines maxime florerent ſtudia literarum. Itaque ad Augienſe monaſterium ſe contulit.* 294 Verum enimuero de reliquis antiquioribus coenobiis Benedictinis Germaniae noſtrae nihil tale memoratur. Ac proinde non fas eſt, exemplo hoc vno in vniuerſum de omnibus idem pronuntiare. Eſt praeterea illis relationibus multum falſi admiſtum: vt non liceat vel illas tuto credere. Vt-

que magnatum liberi aliique in Augia fuerint instituti nonnihil prima aetate, verae tamen & solidae doctrinae scholam ibi tum fuisse, ne hoc quidem argumento licet docere. Vno verbo, vetera illa coenobia Benedictina nihil momenti ad doctrinae propagationem attulerunt.

IV.

Igitur verissimum est id, quod diximus, a Carolo demum Magno monasticas fuisse scholas institutas, in Francici quidem Imperii regionibus. Libro sane primo *Capitularium Ansegisi cap. 71.* ita constitutum est; *Vt scholae legentium puerorum fiant: Psalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam, per singula monasteria vel Episcopia discant. Libro V. tit. 95.* haec habentur: *Symbolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusque, vt disciplinam condignam habeant, qui haec discere negligunt, siue in ieiunio siue in alia castigatione. Propterea dignum est, vt filios suos donent ad scholas, siue ad monasteria, vt fidem Catholicam recte discant, & Orationem Dominicam, vt alios edocere valeant. Qui vero aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Hae duae Constitutiones sunt ipsiusmet Caroli Magni. Non obscure autem vltima agit duntaxat de scholis puerilibus infimi plane ordinis, indicatque, praeter eiusmodi generis monasticas fuisse etiam alias. Prior reapse item de puerilibus ludis agit, sed in quibus paulum maiora debeant proponi. Neutra tamen Constitutio doctrinae alicuius potioris scholas attinet. Hinc intra illas angustias conclusum est etiam illud Episcoporum institutum, cuius fit mentio in *Capitularis Ansegisi Additionum libro secundo capit. 5.* hisce verbis: *Inter nos pari consensu decreuimus, vt vnusquisque Episcoporum in scholis habendis, & ad vtilitatem Ecclesiae militibus Christi praeparandis & educandis, abhinc maius studium adhiberet. Et in hoc vniuscuiusque studium volumus probare,* 295

vt, quando ad prouinciale Episcoporum Concilium conuentum fuerit, vnusquisque Rectorum ſcholaſticos ſuos eidem Concilio adeſſe faciat, quatenus & caeteris Eccleſiis notum ſit, & eius ſolers ſtudium circa diuinum cultum omnibus fiat manifeſtum.

V.

Quanquam vero in Capitularibus alibique hodie nulla occurrat Caroli Conſtitutio de ſcholis ſacrae aut ſaecularis ſapientiae & liberalium artium maioris ordinis, illo tamen auctore non quidem in omnibus, aliquibus tamen etiam in monaſteriis ſtudia eiusmodi certum eſt excoli coepta. Enimuero ab illo vsque tempore nonnulla etiam Germaniae noſtrae monaſteria in ſtudiis eiusmodi fuerunt occupata. Legi hoc loco merentur, quae illa de re viri quidam praeclari memoriae prodiderunt. Afferam proinde ex initio ſuperioris ſaeculi Ioannis Trithemii, quo alius nemo maiore cura in ſtudiorum & monaſteriorum fata inquiſiuit, verba ex Chronico Hirſaugienſi. *His temporibus,* ait ille, *& diu poſt, erat haec conſuetudo monachorum Benedictinorum celeberrima, vt ſcholae in ſingulis paene coenobiis haberentur: quibus non ſaeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione praeficiebantur ornatiſſimi, qui non ſolum in diuinis literis docti eſſent, verum etiam in Mathematica, Aſtronomia, Arithmetica, Geometria, Muſica, Rhetorica, Poëſi, & in caeteris omnibus ſaecularis literaturae ſcientiis eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolum in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hebraica, Graeca, & Arabica peritiſſimi, quod ex eorum opusculis facile dignoſcitur: quanquam vitio ſcriptorum, qui a primaeua inſtitutione praeceptorum paulatim degenerare coeperunt, pauca exemplaria noſtris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam prouinciam Abbas minime habuiſſet, de aliquo alio monaſterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum autem dedecus iudicabant, dociles monachorum animos negligere, quos vt moribus & literis bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. Sic namque doctiſſimus ille monachus Gemblacenſis, Sigebertus, multo tempore in coenobio*

296

coenobio S. Vincentii Metensi monachorum praeceptor, quanquam de alio monasterio, fuit. Ita Strabo, monachus Fuldensis, in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulensi, Albinus, monachus Anglicus, in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alii complures in aliis monasteriis, docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia ceperunt. Haec autem consuetudo sanctissima primum in Anglia coepit, vbi venerabilis ille monachus & Presbyter Beda monachorum institutor factus, post se multos doctissimos reliquit discipulos. Quantum vero haec monachorum institutio Ordini nostro profuerit, nemo ignorat, qui veterum historias studiosius reuoluit. Multi enim ex monachis propter scientiam literarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sunt promoti, qui Ordinem nostrum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Nam etiamsi studium literarum nihil conferret Ordini, quam vtilem occupationem monachorum, esset nihilominus maxima veneratione a nobis promouendum: quia, nisi mens hominis claustralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miserias delabitur: quod S. Patres probe intelligentes lectionem Scripturarum monachis omnino voluerunt esse familiarem. Hactenus Trithemius. Idem de Dithmaro, Abbate Hirsaugiensi, in haec verba scribit: *Magna multitudo monachorum sub eius regimine in hoc monasterio claruit, quorum aliqui sanctitate vitae valde fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam Scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoque Benedictinorum Ordinis per Germaniam monasteriis monachi ad scientiam Scripturarum hauriendam Hirsaugiam mittebantur: quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro seruabatur, vt monachi pro pleniori eruditione consequenda, si qui viderentur idonei, ad diuersa monasteria instruendi mitterentur.* Etiam haec Trithemius. Qui ibidem, monasteria nonnulla Germaniae nostrae societate quadam iuncta fuisse, vt per gradus alterum alterius discipulos secundum doctrinae varias species exciperet, non dubitauit narrare: quae tamen hic repetere, non fore pretium operae duximus.

297

VI.

Trithemio adiungere aequum eſt Paulum Langium, eius diſcipulum ſectatoremque, monachum & ipſum Benedictinum, vtpote qui in eandem ſententiam in *Chronico Citicenſi* diſſeruerit hisce verbis: *Priſcis temporibus Caroli Magni & Ottonum, dum Ordo noſter Eccleſiam Dei mirum in modum doctrina & ſanctimonia illuſtraret, ſtudium ſapientiae permaxime in eo viguit. Et haec vnica fuit & maxima cauſa, quod monachi eligebantur in Epiſcopos. Tunc enim literarum gymnaſia erant in coenobiis, & potiſſimum in celebrioribus Archiſteriis, Fuldenſi videlicet, Hirsfeldenſi, Corbeiienſi, Weiſeburgenſi, Prumienſi, Tuicienſi, Gemblacenſi, Hirſaugienſi, & Treuerenſi: tacendo de Italiae, Hiſpaniae, Galliae, caeterarumque prouinciarum, praecipue Caſſinenſi, Cluniacenſi, Floriacenſi, & ſimilibus florentiſſimis coenobiis: in quibus monachi & Abbates claruere in omni ſcibili doctiſſimi: qui & multa praeclara ad vtilitatem legentium & fidei defenſionem carmine & proſa ediderunt opuſcula, quae vsque in praeſens extant, & extabunt in ſalutem per ſaecula credentium. Nusquam enim eo tempore* 298 *per Germaniam inſtituta literarum fuerant gymnaſia, imo & aliquot poſt ſaeculis Academiae vel, vt aiunt, Vniuerſitatis nomen illuſtre in omni pene Occidentis Imperio incompertum fuerat. Praeter enim Romanum vetuſtiſſimum, & Pariſienſe tunc nouum, vtpote Karoli Magni iuſſu, opitulamine & autoritate per noſtros monachos fundatum, nullum in hiſtoriis aliud Vniuerſale legimus extitiſſe Studium. Proinde Reges & Principes, caeterique nobiles, ad diſcendum Dei timorem cum literis liberos ſuos monachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos: quorum plerique, manentes ſub regula, diſciplinae magiſterio in viros creuerunt ſanctiſſimos; alii per parentes reuocati, moderatores reipublicae ſtrenui & prudentiſſimi facti ſunt.*

VII.

Tertio loco audiemus Aubertum Miraeum, antiquitatum ſequioris aeui curioſum indagatorem. Cuius *lib. II. cap. 1. Origin. Monaſt.* haec ſunt verba: *Curam iuuentutis informandae Pontificibus haud ſatis pro dignitate tractantibus, ac vere negligentibus, viri prae caeteris pietatis ſtudiis praeſtantes, quos*

MONA-

MONACHOS dicimus, & in ſtudium impulſi iuuandi remp. ſaepe arripuerunt: diuinum ſe Numen promereri eo labore procurationeque perſuaſi, in quo tantum momenti eſſe videbant. Antiqua, Benedictinorum praeſertim, monaſteria ſcholae publicae erant, ad erudiendam iuuentutem a viris ſanctiſſimis conſtitutae. Vnde haud leuis publica vtilitas extitit: ipſi magnis diuitiis atque ingentibus creuerunt, omnibus certatim pios eorum conatus iuuantibus re, opera, conſilio. Ex iis monaſteriis, velut ex arce Sapientiae, innumeri viri prodierunt vtriusque Philoſophiae cognitione praeſtantes, diuinae atque humanae. Tantum & Miraeus.

VIII.

Nolumus nos iis tribus nunc & aliorum eodem de argumento narrationes addere, quia non huc attinet, nec inſtitutum patitur. Eadem de cauſa nec allatorum hic inſtituemus examen. Libere tamen profitemur, quammulta eorum haud poſſe a nobis admitti, quoniam videntur a veritate nimium aliena. Si ſane haec ita ſeſe habuiſſent, longe plurimorum eruditorum monachorum ex illo aeuo ſcripta ſnpereſſent, inque ſuperſtitibus eorum voluminibus maior quaedam doctrina eluceret. Nunc autem illius etiam Carolouingici aeui tantum non omnia perquam ſunt rudia, & numerus ſuperſtes ſcriptorum eſt exiguus. Per me igitur licet quidem, addat quis iis an demat fidem. Certum tamen eſt, aeuo etiam illo Carolouingico eſſe repertos nonnullos, etſi paucos, coenobitas ſic ſatis doctos. 299

IX.

Caeterum vt ad ſcholas monaſteriorum redeamus, ſaltim apud pleraque hoc effectum fuit Capitularibus edictis, vt in monaſteriis ſi non aliae, triuiales tamen, haberentur. Et quidem monaſticae illae ſcholae triuiales videntur duplicis fuiſſe generis. Aliae in ipſismet monaſteriis, CLAV-

STRI propterea dictae, & solis ad monasticam vitam educandis quasi consecratae. Quo credibile est pertinere illud Ludouici Pii Imperatoris edictum, quod ab Ansigiso aut Benedicto Leuita recitatur *lib. I. Capitularium Addition. capit.* 45. hisce verbis: *Schola in monasteriis non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Aliae autem scholae, EXTERNAE dictae, extra claustra sunt habitae, monachorum tamen nihilominus cura. Liquet illud ipsium cum ex aliis quammultis, tum clarissime ex iis, quae in *Vita Notkeri Balbuli*, monachi monasterii S. Galli, narrantur hisce verbis: *Traduntur post breue tempus Marcello scholae Claustri cum Beato Notkero Balbulo & caeteris monachici habitus puerulis: Externae vero, id est, Canonicae, Isoni cum Salomone & eius comparibus.* Maioris cuiusque doctrinae scholas publicas itidem in monasteriis tunc habitas, equidem haud dixerim. Mihi sane verosimile videtur, institutionem eiusmodi quamlibet fuisse magis singularem aut priuatam: idque in illis duntaxat locis, vbi viri eruditionis gloria clari haberentur. Qualis scilicet Fuldae fuit Rabanus Maurus, non Bedae, quod Bruschius scribit, sed Albini discipulus, omnium, quantum ex scriptis coniicere est, sui aeui doctissimus, vtpote ad quem audiendum etiam ex Gallia missus olim fuerit ab Aldrico, Abbate suo, post Senonensi Episcopo, Seruatus Lupus, qui deinceps etiam ipse factus fuit Abbas coenobii Ferrariensis: *vti ab eo* (verba sunt Lupi epistola prima,) *ingressum caperet diuinarum Scripturarum*, iam tum ante scilicet *doctorem Grammaticum sortitus*, a quo *praecepta artis acceperat*, non tamen *vel Rhetoricam vel caeteras liberales disciplinas.* Vnde obiter discere est, verum esse, quod diximus, in paucis duntaxat etiam Galliae coenobiis meliores literas fuisse cultas, nec nisi priuata aliquorum opera. De Rabano sane ita etiam scribit Bruschius: *Bibliothecam Fuldensem tanta librorum multitudine locupletauit, vt dinumerari vix queant. Demum cum se totum*

300

tum diuinis libris ſcribendis dedere vellet, poſthabito regimine in montem D. Petri ſe contulit, eoque fratres ſtudiorum ſuorum aemulos collocauit: vbi Biblica ſcripta omnia diſcipulis enarrans, commentariis ea in hunc vsque diem extantibus illuſtrauit. Deinde cum multitudo fratrum rumore piae conuerſationis creuiſſet, aliud monaſterium in monte Ioanni Baptiſtae ſacrare conſtituit. Mitto alia eiusdem Bruſchii: quae nimirum ille narrat etiam de aliis nonnullis Germaniae noſtrae monaſteriis. Fuerit autem omnino operae pretium, legiſſe, quae de Fuldenſis ſcholae rebus erudite diſſeruit Chriſtoph. Browerus *lib. I. Antiquit. Fuldenſium cap. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV.* Aſt cum iudicio expendentibus monaſticam eruditionem, ſaltim illorum, qui Benedicti regulam ſequuntur, diſſimilis multum propagatae in iis doctrinae ratio apparebit. Quod ſi porro coenobiorum Francici Imperii Carolouingici cum vetuſtioribus quibusque placuerit contentionem inſtituere, liquidum omnino erit, quae in illis fuit quondam facta doctrinae propagatio, ad vnius Hiberniae & Britanniae exemplum eſſe inſtitutam. Quin imo, quoniam ex Britannia in regnum Francorum nemo aduenit olim doctior Albino Alcuino, poſtquam ipſemet in Britannia diuinam humanamque doctrinam in Ebroicenſis Eccleſiae monaſterio docuiſſet, plurimum autem apud Carolum Magnum valuit conſilio atque auctoritate; quin huius eximii viri cum ſuaſionibus, tum ductui haec qualicunque modo rectior vtiliorque monaſteriorum forma debeatur, equidem haud eſſe dubitandum arbitror.

301

SVPPLEMENTVM XXXIII.

Ad *pag. 65.*

Haud diſſimulabo hic, non omnes viros illos praeclaros, quos ex coenobiis Germaniae noſtrae prodiiſſe diximus,

noſtrot eſſe. Saltim vtique Paſchaſium Ratbertum dedit Corbeia Gallica. Halitgerius quoque, ſi non & Amalarius, fuit Francogallus. Primi quoque Bremenſium Antiſtites non eruditis, ſed ſanctis, merentur annumerari. Interque eos Anſcharium noua quidem Corbeia magiſtrum habuit ſuae ſcholae & Eccleſiae, vetus tamen erudiuit: vt patet ex *Vita* eius a Remberto deſcripta *cap. V.* Fuit porro Anſcharius coenobiorum Corbeiae, initio quidem Gallicae, deinde autem & Nouae ſiue Saxonicae, *magiſter ſcholae*, non tamen niſi puerilis. Liquidum id ſane eſt de veteri Corbeia ex *cap.3.* & 4. *Vitae.* Cum in Daniam proficiſceretur, eundem cum Autberto, itineris ſocio, itidem pueros inſtituiſſe, dicitur *cap. 6.* iis verbis: *Ipſi quoque dinino inſpirati amore, ad promulgandam deuotionis ſuae religionem coeperunt curioſe pueros quaerere, quos emerent & ad Dei ſeruitium educarent. Praefatus quoque Herioldus ex ſuis aliquos ſub eorum cura eru-* 302 *diendos poſuit. Sicque factum eſt, vt ſcholam inibi paruo tempore ſtatuerint duodecim aut eo amplius puerorum.* Similem puerilem ludum literarium Hamburgi ab Anſchario eſſe inſtitutum, narratur *capite 14.* vt & apud Waldonem, qui rudi carmine vitam Anſcharii eſt perſecutus, *cap. 34.* Adhoc ipſe Anſcharius ſanctis potius fuit annumerandus, quam doctis: imo a doctrina nullam meruit laudationem. Quantumuis vero tenuis adeo fuerit & Anſcharii & aliorum in ſtudiis profectus, veruntamen vnus Rabanus Germaniae noſtrae poteſt eſſe pro omnibus aeui illius, quarumcunque etiam gentium Occidentalis Eccleſiae.

SVPPLEMENTVM XXXIV.

Ad *pag. 66.*

R*egulam monachorum ſiue Canonicorum*, quae Auguſtini nomen prae ſe gerit, eſſe illius auctoris, malo equidem nunc

nunc potius negare, quam afferere: quoniam non tantum in Poſſidii *Indiculo* aut *Retractationum* libello ipſiusmet Auguſtini, ſed nec in quoquam ſcriptore vetuſtiore alio eius fit mentio: eoque nec in Codice illo, quo collegit omnes antiquas monaſticas Regulas ſaeculo nono Chriſtiano Benedictus, Abbas Anianenſis, (quem Romae curante Luca Holſtenio editum, acceptum fero Epiſcopi atque Principis Paderbornenſis hodie in Germania noſtra incomparabilis, Ferdinandi, liberali dono,) reperitur, ſed tantum Epiſtola S. Auguſtini centeſima nona, qua ſanctimonialibus pia viuendi inſtituta praeſcribuntur. Acquieſco ſcilicet in iudicio Bellarmini, cuius haec ſunt verba: *Ex tribus REGVLIS ſola eſt tertia S. Auguſtini, ſed feminis data, non viris: habetur enim epiſtola 108. reliquae duae non videntur Auguſtini.* Recentior ſane eſt Hugo noſtras, quam vt poſſit haberi idoneus teſtis & iudex librorum S. Auguſtini. Taceo, dubium eſſe, ſitne libellus ille Hugonis nec ne. Multo minus vero Humbertus tanquam teſtis aut cenſor admitti poteſt: vtpote qui vixerit demum ſaeculo tertiodecimo Ordinis Praedicatorum monachus.

303

SVPPLEMENTVM XXXV.

Ad *pag. 67.*

I.

In *Diſſertatione* non tam ipſa Anſegiſi verba, quam eorum mentem recitauimus. Attulimus tamen illa paulo ante in *Supplemento.* Epiſtolam Caroli Magni de ſcholis monaſteriorum & Epiſcoporum, lectu ſane digniſſimam, quam ille generalem eſſe voluit ad omnes Epiſcopos & Abbates, quia *Tomo ſecundo Conciliorum Galliae pag. 121.* inſeruit optime de

re

re literaria meritus Sirmondus, depromtam ex Codice Metenſi, officii noſtri ratio poſtulat etiam hic exhibere. Eſt autem ſeorſim haec miſſa ad Baugolphum, Abbatem Fuldenſem ſecundum: niſi quod per oſcitantiam ſcriba ſub finem adiecerit clauſulam illam epiſtolarum, quae ad Metropolitanum aliquem tunc ſunt directae: id quod etiam Sirmondus obſeruauit. *Karolus, gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Baugulfo Abbati, & omni congregationi, tibi etiam commiſſis fidelibus oratoribus noſtris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus ſalutem. NOTVM igitur ſit Deo placitae deuotioni veſtrae, quia nos vna cum fidelibus noſtris conſiderauimus, vtile eſſe, vt Epiſcopia & monaſteria, nobis Chriſto propitio ad gubernandum commiſſa, praeter Regularis vitae ordinem atque ſanctae religionis conuerſationem, etiam in literarum meditationibus, eis, qui donante Domino diſcere poſſunt, ſecundum vniuscuiusque capacitatem, docendi ſtudium debeant impendere: qua-* 304 *liter, ſicut Regularis norma honeſtatem morum, ita quoque docendi & diſcendi inſtantia ordinet & ornet ſeriem verborum: vt, qui Deo placere appetunt recte viuendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. Scriptum eſt enim: Aut ex verbis tuis iuſtificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quamuis enim melius ſit, bene facere, quam noſſe, prius tamen eſt noſſe, quam facere. Debet ergo quisque diſcere, quod optat implere: vt tanto vberius, quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus ſine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda ſint mendacia, quanto magis illi ſecundum poſſibilitatem declinare debent, qui ad hoc ſolummodo probantur electi, vt ſeruire ſpecialiter debeant veritati? Nam cum nobis in his annis a nonnullis monaſteriis ſaepius ſcripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in ſacris & piis orationibus decertarent, ſignificaretur, cognouimus in plerisque praefatis conſcriptionibus eorundem ſenſus rectos, at ſermones incultos: quia, quod pia deuotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam diſcendi, lingua erudita exprimere ſine reprehenſio-*

ne

ne non valebat. Vnde factum est, vt timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque & multo minor esset, quam recte esse debuisset, in sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene nouimus omnes, quia, quamuis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos, literarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim discere, vt facilius & rectius diuinarum Scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis schemata, tropi, & caetera his similia inserta inueniantur, nulli dubium est, quod ea vnusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligit, quanto prius in literarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, 305 *qua deuotione a nobis praecipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiae milites, & interius deuotos & Scholasticos bene loquendo: vt, quicunque vos, propter nomen Domini & sanctae conuersationis nobilitatem, ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.* *** *Huius itaque Epistolae exemplaria ad omnes suffragantes, tuosque Coëpiscopos & per vniuersa monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis: & nullus monachus foris monasterio iudiciaria teneat, nec per mallos & publica placita pergat. Legens valeat.* Hactenus Caroli Magni Epistola: quam esse scriptam saeculo adhuc octauo currente, liquido indicat Patricii titulus. Cum cura autem Epistolam illam legenti cuiuis itidem obscurum esse non potest, omne hoc Caroli mandatum respicere institutionem eorum duntaxat, qui monasteriis aut Episcopiis tunc fuerunt addicti; nec vlterius quicquam esse exactum, quam vt illi cum Grammatisticam Latinam, vt

& rudimenta Rhetorica, docerentur; grauioris autem cuiusque doctrinae nihil vel ab iis postulatum tunc fuisse.

II.

Et vero etiam hoc omne hactenus fuerat aliquot antehac saeculis etiam in Francorum regno neglectum. Ideoque & Clerus tantum non omnis & monachi passim tunc erant perquam rudes atque illiterati. Cuius exemplum esse poterit ille in Baioaria sacerdos, qui Latinae linguae ignarus hac formula vsus tunc erat in Baptismo: *Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritus Sancti*, ceu legere est in epistola Zachariae Papae ad Bonifacium, quae in Bonifaciano Epistolarum volumine, non multum Latiniore, est 134. Non 306 enim, quod iam ante docuimus, hactenus vel Galliae siue monasteria siue Episcopia habuerant vllas literarum scholas. Etenim Tomo quidem primo *Antiquorum Galliae Conciliorum* Sirmondus *pag. 205.* inseruit Remigii, Remorum Episcopi, Epistolam, scriptam circa annum Christi 524. ad Fulconem Episcopum, vbi illum arguit, quod *Leuitas fecisset, presbyteros consecrasset, archidiaconos instituisset*, vt & *primicerium scholae clarissimae militiaeque lectorum.* Verum vox *scholae* non minus ac *militiae* ibi accepta est illo sensu, quo in Codice Iustinianeo aliisque sequioris illius aeui scriptis passim in vsu fuit. Similiter in Turonensi Concilio II. habito anno Christi 567. quod idem inseruit Sirmondus pag. 334. vox *schola* significat *dormitorium.* Haec enim verba sunt: *Nec liceat monachis cellas habere communes, vbi aut bini commaneant, aut peculiares reperiri possint; sed schola labore communi constituatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate aut Praeposito gubernante.*

SVP-

SVPPLEMENTVM XXXVI.

Ad *pag.* 67.

I.

Diploma Caroli Magni Osnabrugensi (a) Episcopatui datum habetur integrum etiam in *Codice Donationum piarum*

(a) Ad h. l. Illustris vir, *Goebelius*, in *T. V. Operum Conringii* haec adscripsit:
Edidit illud primum, sed admodum vitiose, in *Chronico Episcoporum Osnanabrug. Erdwinus Erdmannus*, Consul Osnabrugensis, qui a. 1605. decessit. Repetiit idem *Albertus Cranzius Metrop. lib. I. cap.* 2. sed in quibusdam locis ab Erdmanniana editione diuersum. Ex Cranzio exscripserunt *Baronius Annal. eccl.* T. IX. ad a. 804. & *Miraeus Codice donat. piarum cap. 12.* nec non *Notit. Eccl. Belg. cap. 26.* Tandemque *Ferdinandus*, Episcopus Paderborn. & Monast. archetypum huius diplomatis ab Osnabrugensi Capitulo nactus, illud *Monumentis Paderbornensibus p. 200. sq.* annecti curauit. Recudi quoque istud postea cum Capitulatione perpetua Osnabrugensi Canonici eius loci fecerunt. De eius fide tamen cumprimis ante annos aliquot, a. 1717. disputatum fuit scripto & Latino & Germanico hanc in rem edito, vbi Dn. *de Eccard* post *Carolum Cointium, Barth. Germonium, Gothofr. Hechtium* (*Germ. sacr. & lit. P. II. lib. I. cap. 11.*) *Henschenium*, & *Papebrochium*, hoc Diploma Caroli M. suppositititium esse, docet. Vt vero, sublestae illud fidei esse, doceat, secus ac aliis viris de historia veterum longe meritissimis, speciatim *Henr. Meibomio* in *Notis ad Witichindum p. 694. Schurzfleischio* in Diss. *de Henrico Leone* § I. *Winckelmanno* in *Notitia veteris Westphaliae lib. III. cap. 7. §. 14. Struuio* in *Synt. Hist. Germ.* aliisque, visum fuit, his potissimum vtitur argumentis: 1. quod nunquam Carolus M. initio Diplomatum his verbis vsus fuerit: *In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis;* nec 2. se vnquam *Imperatorem Augustum* scripserit; 3. quod titulus *dominatoris Saxonum*, scriptio nominis *Osnabrugk*, formula: *collaudatione illius regionis potentum*, signum quoque siue monogramma, elogium *piissimi*, aliaque, non Carolini, sed posterioris aeui sint; 4. quod Diploma Wihoni Episcopo dari haud potuerit, vtpote iamdudum mortuo, nec Ecclesia Osnabrugensis prima sit Saxoniae, sed Eresburgensis, nec ille Episcopatus primus, sed Bremensis; 5. quod donatio foresti, cuius in diplomate mentio fit, demum facta sit ab Ottone I. a quo & libertatem ac immunitatem ista Ecclesia obtinuerit; 6. quod Amalbertus non Caroli M sed Caroli Crassi notarius fuerit; & quod 7. denique Scholae Graecae & Latinae a. 804 Osnabrugi

rum Auberti Miraei. Idem vero ſubiungit ibi illuſtrationis vice, (vt nempe appareat, iſthoc aeuo Epiſcopos ſcholis habendis dediſſe operam,) nonnulla ex *Hiſtoria* manuſcripta *Vitae Notgeri*, Epiſcopi Leodicenſis. Quoniam illa ad noſtrum hoc pertinent inſtitutum, nec alibi fortaſſe reperiuntur, omnia huc referemus. Verba igitur ipſamet ita ſe habent: *Quanta fuerit Notgero in educandis pueris, ſcholaribusque disciplinis inſtruendis, ſollicitudo, hinc probatur, quod ſemper, dum in via pergeret, longe ſeu prope, ſcholares adolescentes ſecum ducebat, qui ſex Capellanis ſuis ſub arctiſſima parerent disciplina: quibus etiam librorum copiam, cum caeteris ſcholaribus vtenſilibus, circumferri faciebat. Sicque fiebat, vt, quos plerumque rudes & illiteratos a clauſtro abduxiſſet, ipſos, quos prius magiſtros habuerant in literarum eruditione, redeuntes ſuperarent. Cuius eruditionis occaſione plurimi eorum etiam in religionis ac ſanctitatis disciplina circa eum in tantum profecerunt, vt idonei fierent rectores Eccleſiarum. Ex illis quippe multae ciuitates gauiſae ſunt ſe habere Paſtores: quarum Salisburgenſis eccleſia Archiepiscopum habuit Gontherum; Cameracenſis duos, alterum alteri ſuccedentem, Rothardum, & Erluinum; Virdunenſis Haimonem; (qui Haimo, magiſtrum ſequens, in vrbe Virdunenſi monaſterium B. Mariae Magdalenae & S. Mauri poſtea conſtruxit,) Tullenſis eccleſia Hezelonem; & Traiectenſis Adelbondum. Licet a multis etiam aliis, Epiſcopalem gradum non aſſecutis, qui ſub eo nihilominus coaluiſſent, quamplurimae correctae ſunt eccleſiae. Ex quibus Durandus, poſtea Leodienſis Episcopus, Babenbergenſem eccleſiam religionis & artium disciplina illuſtrauit. Ogbertus, cum quibusdam aliis ſecum hinc abductis, Aquenſium clericorum vitam, pernicioſae licentiae contagio deprauatam, ad ſanctae religionis ſtatum pro poſſe reduxit. Quid de Hulbodo dicamus? qui Pariſios veniens, S. Genouefae Canonicis adhaeſit, & in breui multarum ſcholarum inſtructor fuit. Idem poſtea ſub Pontifice*

nabrugi eſſe haud potuerint, nec occaſionem, ibi illas inſtituendi, niſi poſt Ottonis II. tempora exſtitiſſe: & quae ſunt alia. Hactenus *Goebelius.* Addimus, *Eccardum* plures nactum fuiſſe antagoniſtas, qui, genuinum eſſe diploma illud, contenderent, ſcriptionumue illarum mutuarum titulos nuper eſſe exhibitos a *Baringio* in libello *de ſcriptoribus rei diplomaticae p. 11. & 12.*

tifice Baldrico Pragam, Bohemiae ciuitatem, transmiſſus, cum nonnulla ibidem Chriſtianae religionis documenta dediſſet, ad nos iterum cum honore remeauit. Multi quoque alii ſub tanto patre educati, religione ac ſtudiis liberalibus diuerſa illuſtrauere loca: quorum vita religioſis moribus & doctrinis inſignita, paternae probitatis euidens eſt documentum. Haec auctor ille. Non obſcurum autem hinc eſt, etiam hunc Leodienſem Episcopum fere haeſiſſe intra puerorum inſtitutionem. Et vero nec ipſum inſigni polluiſſe aliqua eruditione, etſi inter coaeuos hoc nomine magni fuerit aeſtimatus, produnt ab illo conſcriptae *Hiſtoriae S. Landoaldi & S. Remacli:* quae reperiuntur in Surio ad diem XIX. Martii, & III. Septembris. 308

II.

Nec vero hic Leodicenſis Notgerus idem eſt cum vno trium illorum, qui in monaſterio S. Galli iſtius nominis inclaruerunt: vtpote cum ille Carolo Craſſo imperante, hi Ottonis Magni & ſucceſſorum aeuo vixerint. Quin imo, vt obiter addam, hi etiam tres pro temporis quidem captu habiti ſunt perquam docti, reapſe tamen multum abfuerunt a vera illa laude. Magna ſcilicet olim fuit in exiſtimatione Scholae literariae nomine monaſterium S. Galli: quin videtur ad Fuldenſis coenobii gloriam aſſurrexiſſe. Etſi vero haud negarim, prae aliis quampluribus coenobiis hoc habuiſſe haud paucos rara pro ſaeculi ratione doctrina inſtructos; ſic ſatis quoque eximiam & locupletem ſibi inſignium librorum bibliothecam conquiſiuerit; ſcholam tamen inſtituiſſe doctrinae illuſtrioris ſiue ſacrae ſiue ſaecularis, haud perinde certum eſt: ſed videtur, libris antiquorum lectis modo hunc, modo quem alium, ad exemplum doctorum quorumque illius coenobii, proprio, quod aiunt, Marte ſibi doctrinae aliquid comparauiſſe. Et ſane, ſi vera ſunt, quae ſcripſit Conradus de Fabaria *lib. de caſibus S. Galli cap. 1.* valuit olim coenobium hoc doctrina ſic ſatis eximia. Is ſane

tradit, ibi *sic spiritualem effulsisse disciplinam, vt non solum Benedicti regulam, verum etiam Philosophiam totam, advnguem vsque inuestigarint; theoricam, Platonis, Socratis, Aristotelis, Hippocratis, Boëtii, omnesque inuestigauerint riuulos, vt in suis metris non Philosophi solum, sed etiam Poëtridae fuerint.* Verum hoc 309 praeconinm fidem superat. Legere tamen operae fuerit pretium, quae vterque Eckardus libellis *de casibus S. Galli* & *de vita Notkeri* iam olim, & auorum aetate de monasterii huius doctrina Bruschius in opere *de monasteriis*, & post illum Stumphius *Helueticarum rerum* praeclari operis *libro quinto*, sic satis prolixe commemorauerunt. Nec enim illa hic repetere, nostri huius instituti patitur ratio.

III.

Iam tum ante autem etiam fassi sumus, Notgerum Leodicensem Crasso Carolo fuisse coaeuum: ideoque ne ea quidem, quae de illo retulimus, ad Caroli Magni faciant tempora. Addemus igitur proinde nunc aliquid, quod isthuc pertineat. Theodulphus scilicet, Aurelianensis Episcopus, in suo, quod habuit, Dioecesano Concilio, Saluatoris nostri anno DCCCXVII. cuius canones sunt inserti *Tomo secundo Conciliorum Galliae*, hosce duos sanxit: XIX. *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad scholam mittere in Ecclesia sanctae Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in caeteris de his coenobiis, quae nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* XX. *Presbyteri per villas & vicos scholas habeant, &, si quilibet fidelium suos paruulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud, quod scriptum est: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant,* excepto, *quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint.*

SVPPLEMENTVM XXXVII.

Ad *pag.* 67.

I.

Ludouicum, Caroli Magni filium, pietatis exercitia in Clero & monasteriis voluisse modis omnibus integra 310 seruare, satis ostendunt Canones illi, quos laudauimus, Aquisgranenses. De scholis tamen, quod miror, in iis nihil est tactum. Vt videatur, iam tunc illas non perinde, vti imperante Carolo Magno, fuisse amplius vel monasteriis vel Canonicorum collegiis curae. Quinimo videtur, iam tunc scholas, quas diximus, *Externas* sensim in monasteriis fuisse antiquatas; atque huc pertinere canonem illum Ludouici Imperatoris pag. 299. in *Supplemento XXXII.* adductum: *Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Verosimile autem est, voluisse potius Ludouicum, vt ab Episcopis passim pueriles scholae instituerentur. Liquet illud ex Canone XXX. Concilii Parisiensis sexti, habiti imperante Ludouico anno Saluatoris 819. Partem eius, qualis reperitur *lib. I. c. 5. Additionum ad Capitularia Francorum* iam dedimus *pag.* 295. nunc vero illum exhibebo integrum, prout edidit Sirmondus. *Iam dudum a pio & orthodoxo Principe, domno Hludouico, Deo amabili Imperatore, iussum & admonitum est, vt rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus Deus placari posset, praepararent & educarent, attendentes illud Danielis prophetae: Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, &, qui ad iustitiam erudiunt alios, sicut stellae in perpetuas aeternitates. Sed super hac eiusdem Principis admonitione, imo iussione, a nonnullis rectoribus tepide & desidiose hactenus actum. Vnde omnibus nobis visum est, vt abhinc postposita totius torporis negligentia ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi & vigilantior adhibeatur diligentia; &, quando ad Prouinciale Episcoporum Concilium*

cilium ventum fuerit, vnusquisque rectorum, sicut iam in praeceden- 311 *tibus memoratum est, Scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, vt suum solers studium circa diuinum cultum omnibus manifestum fiat.*

II.

Concilii porro Valentini tertii, quod anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto celebratum est, capitulum octauum decimum de scholis instaurandis ita sese habet: *Vt de scholis tam diuinae, quam humanae literaturae, nec non & Ecclesiasticae cantilenae, iuxta exemplum praedecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, &, si potest fieri, statuatur atque ordinetur: quia ex huius studii longa intermissione pleraque Ecclesiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius scientiae inopia inuasit. Placet firmatum.* Ex quo *Capitulo* discere est, iam tunc temporis optima Caroli de scholis instituta pridem quasi obsoleuisse; hinc vero & *fidei ignorantia* laborasse populum, multo magis *inopia scientiae:* vt omnino etiam hic non nisi de triuialibus scholis puerorum sermo sit. Quid autem etiam in illo Concilio fuerit constitutum de scholis instaurandis, nusquam traditum est; indubie autem omni caruit felice successu.

III.

Quem praeterea Canonem in *Dissertatione* adduximus, non est Tullensis, sed Lingonensis ad Saponarias, habiti anno CIƆCLIX. Concilii a nonnullis Galliae Episcopis: in Concilio tamen Tullensi cum aliis oblatus est Carolo Calvo eiusque ex fratre Lothario nepotibus, Lothario & Carolo Regibus, eodem anno. Debetur autem editio illius Concilii prima itidem Sirmondo: habeturque *tomo tertio Conciliorum Galliae pag. 153.* Videtur autem, Episcopos illos desiderasse scholas rei literariae diuinae humanaeque non tam in puerorum, quam maiorem & meliorem vsum. Caruit autem & hoc votum omni successu optato.

IV.

IV.

Prodiit porro Romae anno saeculi huius sexagesimo secundo *Collectio Romana bipartita veterum aliquot Historiae Ecclesiasticae monumentorum*, edi coepta a Luca Holstenio, sed post eius obitum additis notis postumis perfecta cura ipsiusmet Eminentissimi Cardinalis, Francisci Barberini. In illo libro cum reperiantur Concilium Romanum Eugenii Papae secundi, & alterum Leonis Papae, quarti, quorum vtroque de scholis aliquid est constitutum, liber vero ille hactenus paucis forte sit visus, quae nostri argumenti ibi habentur, hic afferre non abs re fuerit, praesertim quia vtrumque Concilium habitum est Imperatore Ludouico, Lotharii Imperatoris filio. Et vero primi hoc exordium est: *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, imperante domino nostro piissimo Augusto, Hludouico, a Deo coronato magno Imperatore, Imperii anno 13. & regni eius anno 13. sed & Hlothario, nouo Imperatore, eius filio, anno X. Indictione IV. mensis Nouembris die XV. Eugenius sanctissimus ac ter beatissimus & vniuersalis Papa, cum vniuersis Episcopis &c.* Alterum ita incipit: *Incipit sancta ac veneranda Synodus, quae per Domini gratiam & eius diuinum consilium congregata est in Ecclesia B. Betri Apostoli, anno scilicet Pontificatus sanctissimi & Euangelici & Vniuersalis quarti Papae Leonis septimo, atque inuictissimorum dominorum nostrorum, Hludouici & Hlotharii Imperatorum, anno quoque Imperii eorum quinto & trigesimo septimo, mense Decembri die VIII. Indictione II.* Habetur autem Concilii Eugeniani capitulum XXXIV. *de scholis reparandis pro studio literarum* iam tum in Decreto Gratiani *Dist.* 37. *cap.* 12. hisce verbis: *De quibusdam locis ad nos refertur, neque magistros neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco in vniuersis Episcopiis*, (ita enim scribendum, non *Episcopis*,) *subiectisque plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, vt magistri & doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumque artium dogmata assidue doceant: quia in his maxime diuinum manifestatur*

ſtatur atque declaratur mandatum. Concilii illius, quod Leonis IV. Papae auſpiciis eſt geſtum, Capitulum itidem XXXIV. eodemque titulo ſic ſonat: *Etſi liberalium artium praeceptores in plebibus raro inueniantur, tamen diuinae Scripturae magiſtri & inſtitutores Eccleſiaſtici Officii nullatenus deſint: qui & annaliter proprio Epiſcopo de eiusdem actionis opera ſollicite inquiſiti debeant reſpondere. Nam qualiter ad diuinum cultum aliquis accedere poſſit, niſi iuſta inſtructione doceatur?* Hactenus illa *Capitula.* At vero quod Eugenius Papa decreuit de liberalium artium ſcholis, illud clare ſignificat, tum temporis illas fuiſſe etiam in Italia collapſas. Inanem vero etiam fuiſſe illum Eugenii conatum, indicat liquido alterum illud Leoninum, quo affirmatur, *liberalium artium praeceptores raro inueniri.* Reapſe enim nulli tum fuerunt apti artibus illis ex dignitate docendis: imo etiam barbarorum magiſtrorum magna fuit penuria. Quales vero & *magiſtri diuinae Scripturae & inſtitutores Eccleſiaſtici officii* ſint conſtituti, ſi expertes illi fuerint liberalium artium? Verum haec fuit illo aeuo etiam in Italia, imo etiam Romae, inſcitia, vt etiam illa barbara, qua vtraque capitula conſtant, Latinitas habita tum fuerit quantivis pretii; ſcientiae autem ſiue diuinae ſiue ſaecularis vix quisquam fuerit peritus: etſi paulo poſt Nicolaus I. Papa multum videatur vltra ſaeculi ſui mores ſapuiſſe.

V.

Annotauit vero Holſtenius ad *Capitulum* vltimum: *De ſcholis Eccleſiarum earumque magiſtris erudite & prolixe diſſeruit Altaſerra cap. 2. pag. 107.* Etſi autem illa Altaſerrae viſa mihi non ſint, nolo tamen etiam hoc lectorem celare, quia viri illius eruditio & inſignis in eruderandis rebus antiquis ſedulitas abunde in quammultis aliis ſeſe mihi probauit.

SVP-

SVPPLEMENTVM XXXVIII.

Ad *pag.* 67.

De Alcuino hic vnicum duntaxat nunc annotabimus illud, quod ipſemet Carolus Magnus non dubitauerit cum vniuerſo Epiſcoporum Concilio Francofordienſi, quo nullum in Regno Francorum magis fuit plenarium, vt loquar more Eccleſiaſtico veteri, non dubitauerit laudare illum pariter & commendare. Ita enim ſeſe habet Concilii illius Capitulum vltimum: *Commonuit etiam* Carolus Rex, *vt Alcuinum ipſa ſancta Synodus in ſuo conſortio ſiue in orationibus recipere dignaretur, eo quod eſſet vir in Eccleſiaſticis doctrinis eruditus. Omnis Synodus ſecundum admonitionem Domini Regis conſenſit: & eum in eorum conſortio ſiue in orationibus receperunt.*

SVPPLEMENTVM XXXIX.

Ad *pag.* 74.

I.

Eorum, qui negant, iam tum Carolo Magno imperante Pariſienſis ſcholae coepiſſe exordium, ſententiam haud parum forte confirmant illa, quae habentur *capit. XII. libri 3. Pariſienſis Concilii ſexti*, quod celebratum eſt anno Chriſti octingenteſimo viceſimo nono, iam tum imperante Caroli filio, Ludouico Pio. Illud enim ita ſeſe habet: *Similiter obnixe ac ſuppliciter veſtrae Celſitudini ſuggerimus, vt morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperii veſtri locis ſcholae publicae ex veſtra auctoritate fiant: vt labor Patris veſtri & veſter per incuriam, quod abſit, labefactando non depereat: quoniam ex hoc facto & magna vtilitas, & honor ſanctae Dei Eccleſiae, & vobis magnum mercedis emolumentum,*

315 *& memoria sempiterna accrescet.* Omnino enim hic sermo est de scholis publicis, qualem traditur fuisse institutam Parisiis a Carolo Magno: & tamen non fit hoc loco eius scholae hic mentio, etsi Concilium in ipsa illa Parisiorum vrbe fuerit habitum. Verum enimuero agnosco & ipse, posse hinc colligi, scholam Parisiensem ea aetate non fuisse in magno pretio, vt nec aliam aliquam publicam, atque adeo hac de caussa ab Episcopis arbitrio Regio esse relictum, quae loca Imperii Francici vellet scholis publicis exornare. Ipsum tamen etiam illud *Capitulum* docet, a Carolo Magno scholas publicas institutas esse: ac proinde non est, quod sequior aliqua suspicio ex hoc quidem *Capitulo* de origine Parisiensis scholae nascatur. Quinimo veritati est simile, iam tum a Carolo Magno tres publicas scholas fuisse erectas: quarum nempe prima fuerit Parisiensis, altera Ticinensis. Tertiam in Turonibus fuisse, fortassis indicant verba illa Alcuini in Epistola ad Carolum Magnum, quae habetur *lib. I. cap. 9. Continuationis Historiae Bedae*, & quidem ipsa illa, quae in *Dissertatione* afferuntur pag. 75: *Vt non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonico emissiones Paradisi.* Sed huic coniecturae siue credas siue non credas, parum refert. Satis iam est, monuisse, *Capitulum* illud Parisiensis Concilii vulgarem sententiam non conuellere.

II.

Magis me dubium reddit auctoritas Ioannis Launoyi, Parisiensis Theologi longe celeberrimi, qui in libello *de vera causa secessus Brunonis in eremum* sub finem capitis primi ita scriptum reliquit: *Ante Brunonis aetatem* (hic autem vixit saeculo vndecimo declinante,) *statum fuisse Parisiis Theologiae studium, atque ibi magisterium in Theologia dari solitum, vix probaretur. Hic fabulas mitto, quas de quatuor Bedae discipulis, Alcuino, Ioanne Scoto, Rabano, &* 316 *Claudio, Parisiensem Academiam instituentibus, obscuri homines*

summa

ſumma rerum ignoratione inuexerunt. Qua de re erudite ſcribit Stephanus Paſchaſius lib. III. Disquiſitionum Francicarum cap. 3. Non eſt mihi nunc ad manum Paſchaſii ille labor: ideoque, quid ille aſſeruerit vel negauerit, equidem neſcio. Fortasſis autem nec Launoyus aliud improbat, quam quod fertur de quatuor Bedae diſcipulis. Et vero nullus eorum quatuor Beda fuit magiſtro vſus. Et, ſi Rabanus & Ioannes Scotus illi, quorum hodieque celebris eſt memoria, credantur Pariſienſem ſcholam auſpiciis Caroli Magni inſtituiſſe, etiam hoc vtique fabuloſum fuerit: vterque enim floruit demum filiis Ludouici Pii Imperatoris rerum potientibus. Hactenus igitur etiam me adſtipulatorem habeat Launoyus. Multum caeteroquin tribuo viri iudicio: vtpote quod abunde ille mihi probauit eximiis aliquot libellis, quibus fabulas nonnullas Eccleſiaſticas in vulgus receptas maſcule exploſit.

SVPPLEMENTVM XXXIX.

Ad *pag. 79.*

I.

Ioannem Erigenam fuiſſe gente Hibernum, adeoque ex vetere, non autem Britannica, Scotia oriundum, iam tum docuimus *Supplemento XXXI. pag. 281.* Eundem vixiſſe aliquandiu in Gallia, Carolo Caluo Rege, praeter Sigebertum Gemblacenſem in *Catalogo cap. 95.* narrant etiam Matthaeus Weſtmonaſterienſis in *Floribus Hiſtoriarum*, quos vocat, ad annum DCCCLXXX. & Guilielmus Malmesburienſis *lib. II. de geſtis Regum Anglorum cap. IV.* aliique. Adducam verba quaedam ſolius Matthaei: *Eodem anno venit in Angliam Magiſter Ioannes, natione Scotus, vir perſpicacis ingenii & facundiae ſingularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas tranſiens, Carolumque Caluum adiens, atque in*

magna ab eo dignatione susceptus, indiuiduus comes ei fuerat & mensae & cubiculi. Alia, quae adduntur, praetereo.

II.

317 Versos porro ab illo Ioanne Dionysii Areopagitae libros, qui feruntur, ex Graeco, iubente Carolo Rege, testantur praeter Matthaeum etiam Sigebertus & alii, estque illa versio etiamnum superstes. Librum illius nouendecim Capitibus constantem *de vna praedestinatione* etiam superesse in bibliotheca Corbeiensi, scribit Sirmondus *ad Tomum secundum Conciliorum Galliae pag. 681.* Vtrum autem ille publicatus sit typis, nescio. Tantum Synopsis, siue excerpta potius, illorum nouendecim Capitulorum edita sunt in libro, Lugdunensis Ecclesiae nomine contra Ioannem illum acerbissime & satis inique pro causa Gotteschalci eiusque doctrinae de Praedestinatione scripto. Huius libri autem Lugdunensis vetus autor creditur vulgo esse Florus, Lugdunensis Diaconus. Nec sine causa: quoniam id videtur Westmonasteriensis quoque affirmasse. Vidi tamen in Suecia degens in bibliotheca Regia Serenissimae Christinae manuscriptum eundem librum, attributum Igomaro, Viennensi Episcopo: in cuius calce legebatur: *Hoc epitaphium composuit Ioannes Scotus, licet sapienter, haereticus tamen.*

Hic iacet Igomarus cleptes & semper auarus.

Hoc vnum fecit nobile, quod periit.

Esse autem hoc epigramma Ioannis illius, haud equidem negauerim. Arguit enim, auctorem & lepidi fuisse ingenii & Graece non indoctum: talem vero depinxit Ioannem Westmonasteriensis, varia eius iocose dicta factaque commemorans.

III.

Ab eodem praeterea Ioanne Scoto *de Eucharistia* esse scri-

ſcriptum librum, in eandemque plane ſententiam, quam tunc temporis defendit Ratramnus, (qui perperam Trithemio atque vulgo nunc audit Bertramus,) Corbeienſis monachus, oppoſitumque adeo illi, quod tunc inualeſcebat, περὶ μετȣσιώσεως dogmati, liquet ex iis, quae Lanfrancus *contra Berengarium* ſcripſit *cap. 4.* Meminit autem eius & Philippus Bergomenſis in *Supplemento Chronicorum* ad annum 880. Verum ille libellus forte pridem interiit: quia ſcilicet in Synodo Vercellenſi, contra Berengarium coacta, *lectus & damnatus* fuit, Lanfranco teſte: imo & Romae combuſtus, ſi aliorum credimus narrationibus. Fruſtra ſane ſunt, qui ſuſpicantur, librum, qui hodieque ſupereſt Ratramni nomine, eſſe Ioannis Scoti: cum iam Sigeberti Gemblacenſis aeuo Ratramnus illius auctor citra controuerſiam fuerit habitus, &, doctiſſimo Vſſerio *cap. XI. Hiſtoriae Gotoſchalcianae* teſte, *tum in Sariſburienſi, tum in Benedictini collegii apud Cantabrigienſes bibliotheca* ſuperſit Ratramni, praeter alterum de Anima, *vnus de Natiuitate Chriſti liber, in quo eandem, quam in libro de Corpore & Sanguine Domini tradidit, doctrinam propugnat.* Non enim a vero id alienum eſſe dixerim, etſi liber ille, qualis eſt editus *Spicilegii tomo primo* a Luca Dacherio, Benedictino monacho, nihil tale habet: ſed illaudabili, haud inſolito tamen, ſtudio id eſſe omiſſum, vero eſt ſimilius.

318

IV.

Non mirum autem eſt, Ioannis Scoti librum illum periiſſe, quia ſimile fatum paſſus eſt eiusdem cum Scoto & Ratramno ſententiae liber Amalarii Diaconi & Scoto coaeui Chorepiſcopi Treuirenſis; perierit item Rabani Mauri, Archiepiſcopi Moguntini, liber ad Eigilem, non Fuldenſem, ſed Prumienſem Abbatem, vt & fortaſſe quidam Heribaldi, Autiſſiodorenſis Epiſcopi, liber: quandoquidem ſcilicet viſi

ſi fuerunt non conuenire ταῖς κυρίαις δόξαις, quae poſt praevaluerunt. Poſt, inquam. Illam enim Ratramni & Scoti doctrinam illius aetatis ſaltim quammultis viſam eſſe veriorem, docere poteſt vel ſola auctoritas eam tunc defendentium, Rabani cumprimis & Ioannis Scoti. Fuit enim vtriusque ſumma tum exiſtimatio. Quod de Ioanne Scoto ipſemet eius iniquus aduerſarius, ſiue Florus ſiue Igomarus, ſatis prodit, quando ait: *Quia a multis idem homo quaſi ſcholaſticus & eruditus admirationi habetur.* Rabani per Germaniam cumprimis & Galliam vniuerſam, ſummam fuiſſe exiſtimationem, citra controuerſiam eſt apud omnes. Hunc autem ipſimet Paſchaſio Ratberto oppoſuiſſe ſuam ad Eigilem Epiſtolam, perquam mihi fit veroſimile ex hisce verbis *Epiſtolae* eiusdem *Rabani ad Heriboldum,* Autiſſiodorenſem Epiſcopum, *cap. 33.* quam poſt Steuartium optima fide edidit cum Reginonis *de Eccleſiaſticis diſciplinis* opere vir de antiquis Eccleſiae monumentis optime meritus ac longe doctiſſimus, idemque amicus noſter, Stephanus Baluzius. *Quidam nuper de ipſo Sacramento corporis & ſanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum eſt, & in quo ipſo paſſus eſt in cruce, & reſurrexit de ſepulchro, idem eſſe, quod ſumitur de altari.* (Hoc autem omne tunc vnus libro edito docuerat Paſchaſius.) *Cui errori, quantum potuimus, ad Egilem Abbatem ſcribentes, de Corpore ipſo quid vere credendum ſit, aperuimus.* Poſſit vero, eam fuiſſe Rhabani ſententiam, etiam ex eo colligi, quod (ceu recte aduertit Baluzius,) *lib. I. de inſtitutione clericorum cap. XXXI.* doceat, Corpus Domini Euchariſticum in alimentum corporis noſtri redigi, quemadmodum olim locuti fuerant S. Iuſtinus & Irenaeus: imo quod Heribaldo quaerenti, *vtrum Euchariſtia, poſtquam conſumitur & in ſeceſſum emittitur, more aliorum ciborum iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur:* non dubitauerit reſpondere, *ſuperfluam eſſe huiusmodi quaeſtionem, cum ipſe Saluator dixert*

319

320

xerit: Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Quod vltimum eius responsum Berengarii tempestate diffamari coepit nescio quo Stercoranistarum haereticorum titulo, & Graecis imputari; ceu videre est apud Algerum *de Sacramento Eucharistiae lib. I. cap. 1*: imo *quasi nunquam antehac auditum* proclamari: vt habetur in libello anonymo *de Eucharistia*, quem ex schedis Sirmondi produxit in lucem Cellotius: cum tamen pridem ita fuisset locutus ipsemet Origenes *ad cap. XV. Matthaei*, & fortassis hinc *Graecae haereseos* titulo placitum illud infamauerit Algerus. Vtcunque vero sese habeant illa Rhabani; quandoquidem vir ille, isthac aetate per Germaniam, Galliam, alibique summi habitus pretii, non dubitauit talia profiteri publice, & quidem docere isthaec viros magnos, qualis vtique fuit Heribaldus, imo & Eigil, vtpote qui ita a Rhabano institutus factus mox sit Archiepiscopus Senonensis; quandoquidem etiam apud ipsum Carolum Caluum Regem in summa fuerit opinione & gratia Ioannes Scotus; equidem haud dubito affirmare, saltim apud Regem ipsum Carolum & Episcopos Germaniae Galliae que eruditiores quammultos Ratramni doctrinam haud male tunc audiuisse. Non sane legere est, tunc quidem temporis siue in Concilio aliquo, siue alias, quenquam post Corbeiensem Paschasium illi placito aduersatum esse. Ex adverso in plerisque saeculi noni scriptoribus occurrunt quamplura Ratramnica. Fortassis tamen isthuc trahenda sunt virulenta illa conuicia a Remigio, Archiepiscopo Lugdunense, homine impotentis animi & calami, in Amalarium (qui perperam a nonnullis credi solet idem esse cum Amalone, Remigii antecessore,) indignis modis iacta prima Epistola de negotio Gotschalciano scripta. *Multum moleste & dolenter accepimus, vt Ecclesiastici & prudentes viri tantam iniuriam sibimet ipsis fecerint, vt Amalarium de fidei ratione consulerent: qui & verbis & libris suis, mendaciis & erroribus & phantasticis atque haereticis disputationibus plenis, omnes paene apud Franciam Ecclesias, &* 321

nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit atque corrupit. Vt non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta eius, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi: ne simpliciores quique, qui eos multum diligere & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur & perniciose fallerentur ac deciperentur. Haec, inquam, fortaſſis accipienda ſunt de Amalarii cum aliis ſcriptis, tum illo libro, quo μετεσίαν oppugnauerat: certo enim haud aſſeuerauerim. Quanquam oppugnatam ab illo eſſe μετεσίαν, non equidem dubitem Sorbonico etiam Duuallio aſſentiri potius, quam Vſſerio credere, Amalarium praeluſiſſe μετεσίας dogmati, eoque *eius de Corpore & ſanguine Domini deliramenta* (ita loquitur *Hiſt. Gotſchalcianae cap. VIII. p. 133.* editionis Hanouienſis,) *ab Epiſcopis eſſe damnata*: praeſertim quoniam cum paſſim alibi, tum in ipſa ſtatim Praefatione operis *de Eccleſiaſticis officiis*, etiamnum ſuperſtitis, legantur nonnulla μετεσίας dogmati διαῤῥήδην aduerſantia. In quae tamen nec aduerſarius Agobardus animaduertit libro illo ſingulari, quo acriter libros iſtos Amalarii oppugnauit: quia nempe etiam ipſe exiſtimavit, reperiri corpus & ſanguinem in Euchariſtia non niſi myſtice.

V.

Caeterum iſthaec omnia, fateor, nihil ad argumentum hoc noſtrum de ſcholis faciunt. Sperauerim tamen, hanc etiam antiquitatis Eccleſiaſticae eruderationem nec inutilem nec, quamuis alieno inſtitutam loco, ingratam ſaltim aliquibus futuram.

322 SVPPLEMENTVM XL.

Ad *pag. 80.*

I.

Quoniam docuimus, primum Carolum ſcholas per Epiſcopia & monaſteria triuiales, alibi vero & liberalium

arti-

artium, vt & ſacrarum literarum, in Francici imperii terris inſtituiſſe, iamque tradit *Diſſertatio*, etiam exemplo ſuo Carolum excitaſſe artium ſtudia, videtur haud abs re futurum, ſi potiſſima ſaltim eorum, quae de Caroli doctrina cum Eginhartus, tum alii quidam praeclari ſcriptores memoriae tradiderunt, hoc loco integriora exhibeamus.

II.

Igitur Eginhartus, quo familiari miniſtro vſus eſt Carolus, haec memorat libri, quem *de Vita Caroli* conſcripſit, *capite*, vt nunc ſolet a nonnullis diuidi, *viceſimo quinto. Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque, quicquid vellet, apertiſſime exprimere. Nec patrio tantum ſermone contentus, ſed & peregrinis linguis ediſcendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, vt aeque illa, ac patria lingua orare ſit ſolitus: Graecam vero melius intelligere, quam pronuntiare, poterat. Adeo quidem facundus erat, vt etiam dicaculus* (ita recte habet Codex Florentinus,) *appareret. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum, Diaconum, ſenem audiuit: in caeteris diſciplinis Albinum, cognomento Alcuinum, item Diaconum, de Britannia Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctiſſimum, praeceptorem habuit: apud quem & Rhetoricae & Dialecticae, praecipue tamen Aſtronomiae, ediſcendae plurimum & temporis & laboris impendit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſime rimabatur. Tentabat & ſcribere: tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo ſub ceruicalibus circumferre ſolebat, vt, cum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſuefaceret. Sed parum proſpere ſucceſſit labor praepoſterus, ac ſero inchoatus.* Sequente capite, vbi narratur Caroli circa religionem pietas, additur: *Legendi & pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendauit: erat enim vtriusque admodum eruditus: quanquam ipſe nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſe & in commune cantaret.* Idem Eginhar- 323

tus iam ante cap. 24. ſcripſerat: *Inter coenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur & hiſtoriae & antiquorum regum geſta. Delectabatur & libris S. Auguſtini, praecipue iis, quos de Ciuitate Dei inſcripſit.* Digna etiam repetitione noſtra ſunt, quae habet Eginhartus capite viceſimo nono. *Poſt ſuſceptum Imperiale nomen, cum aduerteret, multa legibus populi ſui deeſſe, (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuerſas,) cogitauit, quae deerant, addere, & diſcrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum eſt, quam quod pauca capitula, & ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae ſub eius dominatu erant, iura, quae ſcripta erant, deſcribere ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, ſcripſit memoriaeque mandauit. Inchoauit & Grammaticam patrii ſermonis. Menſibus etiam iuxta propriam linguam nomina impoſuit: cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris, nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis inſigniuit, cum prius non amplius, quam vix quatuor ventorum vocabula inueniri poſſent. &c.* Et hactenus quidem audiuimus omni exceptione maiorem teſtem, Eginhartum.

III.

Scribit autem & Theganus *lib. de geſtis Ludouici Imp. cap.* 7. in haec verba: *Poſtquam diuiſi fuerunt,* (Carolus & Ludouicus filius,) *nihil aliud coepit agere Carolus, niſi orationibus & eleemoſynis vacare & libros corrigere. Nam quatuor Euangelia Chriſti, quae intitulantur nomine Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, anno vltimo ante obitus ſui diem cum Graecis & Syris optime correxerat.* Verum qui potuerit hoc agere Syriacae linguae imperitus Carolus, (etenim a ſolius Latinae & Graecae linguae notitia Carolum Eginhartus laudauit,) non apparet: itaque vſus ad hoc quidem eſt miniſterio alterius Syriace docti. Interim laudari etiam haec meretur inuſitata iſthoc aeuo & tanti Principis induſtria.

324

IV

IV.

Feruntur autem & libri quidam tanquam Carolo auctore conſcripti : quos inter eminet opus contra Nicaenae ſecundae Graecorum ſynodi de imaginum adoratione doctrinam conſcriptum. Haud me fugit, quia multum abit ab eo, quod Romanae Eccleſiae auctoritate poſt in Occidente etiam receptum eſt, ſacro dogmate, illud nonnullis recens, & ὑποβολιμαῖον ſuperioris ſaeculi foetum, eſſe creditum. Verum illa inſania iam deſiit. Nec quisquam hodie temere reperitur paulo eruditior, qui non agnoſcat, eſſe illud ipſum opus, cui tanquam a Carolo ſibi miſſo oppoſuit Epiſtolam eam, quae paſſim legitur, Adrianus Pontifex. Certe voluiſſe Carolum ſeſe haberi auctorem, indicant verba *lib. I. cap.* 6. vbi Pipinum Regem *venerandae memoriae genitorem ſuum* appellat, cuius, vt & ſua, cura effectum ſit, vt Gallicanae aliaeque Occidentis Eccleſiae in Pſalmodia Romana conuenirent. *Libro ſecundo cap. 3.* memorat, ſuo & Patris tempore Legatos in Orientem deſtinatos. Imo in ipſa ſtatim operis praefatione ſic loquitur : *Quoniam in Eccleſiae ſinu regni gubernacula Domino tribuente ſuſcepimus, neceſſe eſt, vt in eius defenſione & ob eius exaltationem, Chriſto auxiliante, toto anniſu certemus.* Addit : *quod opus aggreſſi ſumus cum cohibentia ſacerdotum, in regno a Deo nobis conceſſo Catholicis gregibus praelatorum, non arrogantiae ſupercilio, ſed zelo Dei & veritatis ſtudio.* Hinc illi Codici, vnde primam editionem publicauit Ioannes Tilius, Epiſcopus Meldenſis, iſta eſt praefixa inſcriptio : *In nomine Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, incipit opus illuſtriſſimi & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis viri, Caroli, nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, ſiue harum finitimas prouincias, Domino opitulante regentis, contra Synodum, quae in partibus Graeciae pro adorandis imaginibus ſtolide ſiue arroganter geſta eſt.* Vt ergo fortaſſis

325

sis non omnia illius operis ab ipsiusmet Caroli sint manu, illi tamen omnino debet attribui saltim vt auspici & approbatori.

V.

Feruntur praeterea & alia Caroli nomine: super quibus tamen cum nemine equidem praefracte contenderim. Inter alia est & epitaphium carmen Adriano Papae defuncto scriptum, idque haud inconditum. Quoniam vero nec ab Eginharto laudatus est Carolus a poëseos aliqua peritia, atque illud ipsum carmen inter Alcuini opera reperitur, verosimile videtur, esse quidem nomine Caroli exaratum, sed ab Alcuino.

VI.

Duo addemus in testimonium desiderii Caroli Magni, studia quaeuis meliora propagandi. Alterum Auentinus *lib. IV. Annalium* hisce verbis refert: *Cum aliquando in Galliam reuersus fuisset, pueros, quos Clementi Scoto in Parisiensi Academia erudiendos commiserat epistolis, versibus, carminibus, orationibus panegyricis, scriptis, vt periculum de eorum ingeniis atque indole faceret, sibi exhiberi iussit. Vbi, tenuioris fortunae iuuenes praeter spem multum profecisse, nobiles vero gaudiis corporis deditos cultum animi neglexisse, deprehendisset, illis ad dexteram segregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, estote, filioli pientissimi, qui nostro imperio gnauiter defuncti estis: vestra erunt sacerdotia locupletissima & Pontificatus maximi. Ego vos in aulam adsciscam: ex vobis senatores cooptabo: vos in album praetorum & patrum curiam allegam. Deinde ad nobilium liberos, quos a laeua collocarat, vultu haud iram dissimulans ait: At vos, comatuli & delicatuli, freti opibus & splendore parentum, nostram maiestatem consperuistis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis virtutibusque, contemto decreto nostro, praetulistis; iubeo, & Deum immortalem testor, nihil peni-*

326

penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab Imperatore vestro, cuius iussa aspernati estis, exspectate: faxim, vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis: & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis. Suppeditat alterum Monachus S. Galli *lib. I. cap. 9. de vita Caroli* hisce verbis: *Gloriosissimus Carolus per totum regnum suum studia literarum florere conspiciens, sed, ad maturitatem Patrum praecedentium non peruenire, condolens, & plusquam mortale laborans, in hanc taediatus vocem erupit: O vtinam haberem XII. clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos, vt fuerunt Hieronymus & Augustinus!* Subiungit idem auctor: Conquerenti illum in modum Carolo respondisse Alcuinum: *Creator coeli & terrae similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim?*

VII.

Priusquam a rebus literariis Caroli Magni abeamus, non fuerit abs vsu, vnum aliquod addere de studiis Caroli Astronomicis. Audiuimus enim Eginhartum narrantem, ab Alcuino *institutum Carolum praecipue Astronomiae ediscendae plurimum temporis & laboris impendisse.* Videtur autem Carolus in scrutatione siderum vsus opera etiam eius, qui conscripsit *Annales Francicos* a Nuenario editos. Hunc sane & ipso illo tempore vixisse, & sideralis rei haud fuisse indoctum, imo, pro conditione illius tempestatis coelestium ignarae & incuriosae, sedulum scrutatorem, indicant illa, quae referuntur ad annum DCCCVIII. *Anno superiore IV. Non. Septembr. fuit Eclipsis Lunae. Tunc stabat Sol in XVI. parte Virginis, Luna in XVI. parte Piscium. Hoc autem II. Kal. Febr. fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III. Id. Februarii fuit Eclipsis Solis media die, stante vtroque sidere in XXV. parte Aquarii. Iterum IV. Kal. Mart. fuit Eclipsis Lunae, & apparuerunt acies eadem no-* 327

cte

cte mirae magnitudinis, & Sol ſtetit in XI. parte Virginis. Nam & ſtella Mercurii XVI. Kal. Aprilis viſa eſt in Sole quaſi parua macula nigra paululum ſuperius medio centro eiusdem ſideris: quae a nobis octo dies conſpecta eſt: ſed quando primum intrauit vel exiuit, nubibus impedientibus minime notare potuimus. Iterum menſe Auguſto XI. Kal. Sept. Eclipſis Lunae facta eſt, hora noctis tertia, Sole poſito in quarta parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium. Sicque ab anni ſuperioris Septembri vsque ad anni praeſentis Septembrem ter Luna obscurata eſt, & Sol ſemel. Haec ille, quisquis ſit, auctor. Quae etiam vel ideo merentur attentionem & laudem, quoniam ſimilis alicuius ſideralis obſeruationis (de fide tamen eius iam non agam,) nullum in omnibus ſcriptis Latinis illorum quidem ſaeculorum monumentum eſt reperire. Et vero aluit in aula etiam Ludovicus Pius Imperator rei Aſtronomicae deditum aliquem, qui poſt *Hiſtoriam vitae* eius conſcripſit, ſed tale ſpecimen eruditionis Aſtronomicae non praebuit, Aſtrologicis diuinationibus magis deditus, quantum apparet. Carolum tamen ipſum non aequaſſe hoc in ſtudiorum genere Aronis Chalifae felicitatem, doceat vel vnum illud horologium, quod eodem anno ex Perſia muneri miſſum narrant *Francorum Annales.*

SVPPLEMENTVM XLI.

Ad *pag. 81.*

I.

Verba, quae adduximus, Erici monachi de Carolo Caluo Rege, habentur in Epiſtola, quam praemiſit libris *Carminum de vita S. Germani*, Epiſcopi Autiſſiodorenſis. In eadem Epiſtola haec etiam de aula Regia merentur annotari. 228 *Ita vt merito vocitetur ſchola Palatium: cuius apex non minus Scholaribus, quam militaribus, conſueſcit quotidie diſciplinis.* Laudatur etiam ibi multum Caluus Carolus, quod fuerit ſtudioſiſſimus colendae eruditionis, & quidem vsque adeo, *vt, ſicubi*

cubi terrarum magiſtri florerent artium, quarum principalem operam Philoſophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndecunque ipſius celſitudo conduceret, comitas attraheret, dapſilitas prouocaret. Memoratur ibidem, etiam ex Graecia eruditos ad illum confluxiſſe. Et ſane etiam patri Ludouico Graecus aliquis legatus Dionyſii Areopagitae, quod fertur, opus attulerat, quod Carolus verti curauit per Ioannem Scotum: accedente Hilduini, magnae itidem apud Carolum auctoritatis viri, fabuloſa de vno Dionyſio narratione. Ioannem porro Scotum, Philoſophiae, pro illius temporis captu, gnarum, & menſa & cubiculo a Rege iſthoc Carolo fuiſſe honoratum, iam *pag. 316. Supplemento nono triceſimo* docuimus. Quaſi Mecaenatem ergo aliquem ſui ſaeculi habitum Caluum Regem, videtur ſic ſatis certo conſtare. Fratres eius, Lotharium Imperatorem, & Ludouicum, Germaniae Regem, hac quidem parte Carolo non eſſe comparandos, ſane manifeſtum eſt.

II.

Quid? quod & patrem Ludouicum Carolus ea in re ſuperauerit. Etenim Theganus *cap. 18.* ita quidem de illo: *Lingua Graeca & Latina valde eruditus: ſed Graecam magis intelligere poterat, quam loqui: Latinam vero, ſicut naturalem, aequaliter loqui poterat. Senſum vero in omnibus Scripturis ſpiritalem & moralem, nec non & Anagogen, optime nouerat. Poëtica carmina gentilia, quae in iuuentute didicerat, reſpuit: nec legere nec audire nec dicere voluit.* Ita quidem, aio, de Ludouico Theganus: haud legas tamen, ſtudia liberalium artium, aut etiam ſacra, fuiſſe ab illo, ad exemplum patris Caroli, promota, aut vero ab illo artes liberales habitas in pretio, (nec enim vllius eſt momenti, quod ſtellas interdum ſibi fecerit *monſtrari*, vt legitur in eius Vita ab homine Aſtronomo conſcripta pag. 415. edititionis Wechelianae,) ſed potius ſpretas. Id quod indubie factum eſt prae ſuperſtitioſa optimi alias 329

 Impe-

Imperatoris pietate, quae & multorum in republica gerenda malorum fuit causa. Vnde idem Theganus cap. 20: *Omnia prudenter & caute agens, nihil indiscrete faciebat, praeterquam quod consiliariis suis magis credidit, quam opus esset: quod ei fecit Psalmodiae occupatio & lectionum assiduitas.*

SVPPLEMENTVM XLII.

Ad *pag. 81.*

I.

Saeculum nonum floruit sane Galliae & Germaniae viris quibusdam doctis, prae aliquammultis antecedentibus. Verissimum tamen est, quod *Dissertatio* habet, vltima illius saeculi perpetuis bellis fuisse infesta, atque ideo tunc desiisse priorem etiam illius saeculi studiorum felicitatem. Liquet sane ruditas illa ex testimoniis cum Synodi Valentinae, tum Lupi Seruati, in *Dissertatione* adductis. Ruditatem Italiae produnt seorsim, quae adduximus *Supplemento XXXVII.* ex Synodis, ab Eugenio secundo & Leone quarto Papis Romae celebratis. Extat porro sub initium operis Reginonis *de disciplina Ecclesiastica* formula *Inquisitionis, secundum quam Episcopus inquirere debeat per vicos, pagos atque paroecias suae dioeceseos.* Inter alia vero ibi circa Presbyteros iubetur inquiri §. 83. *si Epistolam & Euangelium bene legere possit, atque saltim ad literam eius sensum manifestare. 85. Si sermonem Athanasii Episcopi de fide S. Trinitatis, cuius initium est: Quicunque vult saluus esse, memoriter teneat, & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare sciat. 88. Ordinem quoque reconciliandi atque vngendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes, si bene scit legere aut memoriter enuntiare.* Ad quae loca doctissime annotat Baluzius: *Ea erat saeculi illius infelicitas, vt necesse esset, Presbyteros ab Episcopis interrogari, vtrum bene legere nossent.* Additque, quendam Gislemarum, regnante Carolo Caluo, cum electus esset in Remensem

330

ſem Archiepiscopum, *oblatum textum Euangeliorum aliquatenus quidem legere, nihil tamen eius intelligere potuiſſe.* Fuiſſe autem illam Inquiſitionis formulam paſſim receptam illa ipſa Caroli Calui Regis aetate, recte idem Baluzius initio Reginonii operis admonuit lectorem.

II.

Decimi ſaeculi ruditas coëgit ipſummet Cardinalem Bellarminum in *libello Chronologico* in haec verba erumpere: *Vide ſaeculum infelix, in quo nulli ſcriptores, nulla Concilia: Pontifices parum ſolliciti de Eccleſia.* Specimen Latinitatis Romanae exhibere apta eſt haec Epiſtola Ioannis XII. Papae, quam recitat Luitprandus *Hiſtor. lib. VI. cap. 10. Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Epiſcopis.* (in Concilio ſcilicet tunc ab Ottone Magno Imperatore Romae congregatis.) *Nos audiuimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere. Si haec facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, vt non habeatis licentiam, vllum ordinare & Miſſam celebrare.* Eodem ſaeculo, imperante Ottone II. in Synodo Remenſi Episcopus Aurelianenſis non dubitauit profiteri: *Cum hoc tempore Romae nullus paene ſit, vt fama eſt, qui literas didicerit, ſine quibus vix oſtiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum* (Paparum ſcilicet) *docere audebit, quod minime didicit?*

III.

Nec tamen hoc ita acceptum velim, quaſi ſimilis Romanae barbaries in Gallia & Germania omni tum obtinuerit. Fuiſſe enim etiam tunc aliquos, perpaucos tamen, non parum eruditos, inque iis eminuiſſe Hincmarum Remenſem & noſtrum Rabanum Maurum, indicant quaedam ex illo aeuo reliqua monumenta hiſtorica, inque libros aliquot S. Scripturae commentaria. Sunt tamen etiam pleraque illa non magni multum pretii, praeter illud, quod habent

331

bent a ſua vetuſtate & meliorum defectu. Nec enim in illis quicquam paene videas praeter nonnulla ex Latinorum Patrum ſcriptis, vt & Graecorum, ſed paucis iisque Latine verſis, petita: nullis linguae ſiue Ebraeae ſiue Graecae, vt nec vllis ſiue Philoſophiae ſiue veteris hiſtoriae ſubſidiis ſuffulta, niſi quod in Rabani & Ruperti Tuitienſis ſcriptis liceat leuem aliquam Ebraeae etiam & Graecae linguae peritiam obſeruare. Eſt praeterea in omnibus illis ſaeculis nullum natum ſcriptum, aut ex Philoſophiae, aut ex Medicae Artis, ſiue ex Iurisprudentiae, aut etiam ex limpidis Philologiae ſiue Graecae ſiue Latinae fontibus promanans. In vniuerſum parum aut nihil in ſuperſtitibus ſcriptis alicuius ſublimioris & accuratioris literaturae apparet. Vt proinde facta cum Saracenorum & Graecorum eiusdem tempeſtatis doctrina comparatione, Orientalibus illis merito palma ſit tribuenda. Notatu porro dignum eſt, etiam circa finem ſaeculi noni, cum res Galliae eſſent perturbatiſſimae, Fulconem, Remenſem Archiepiſcopum, ad ſcholas inſtaurandas magiſtrum Remigium Autiſiodorenſem, cuius *commentaria in Pſalmos & duodecim Prophetas*, *liber* item *de Diuinis officiis*, aliaque nonnulla, ſuperſunt, Remos aduocaſſe, teſte Frodoardo in *Remigii Vita*.

SVPPLEMENTVM XLIII.

Ad pag. 82.

I.

Quae ex inſtituto Caroli Magni coeperunt in Epiſcopiis, vt appellant, & monaſteriis olim ſcholae, puerorum informationi & triuialibus duntaxat ſtudiis fuiſſe dicatas, iam tum probauimus *Supplemento triceſimo & ſecundo & quinto:*

332

to: quantumuis nonnulli ſecus ſentiant. Talem vero omnino fuiſſe Hamburgenſem & Corbeienſem, docuimus *Supplemento XXXIII*: nec aliam Notgeri Leodicenſem, *Supplemento triceſimo ſexto*. Eiusdem notae fuiſſe ſcholas illas, quas *pag.* 82. & 83. in ipſa *Diſſertatione* memorauimus, itidem liquet. Sigebertus ſub finem *libri II. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* refert, ſeſe *prima aetate Metis fuiſſe poſitum in Eccleſia S. Vincentii ad inſtruendos pueros*. Itaque & illa Metenſis Episcopii ſchola tunc temporis non niſi triuialis fuit. Par fuit quondam ratio ſcholae Episcopii Hildesheimenſis. Manifeſtum id eſt ex *Vita Barwardi*, a Browero edita Moguntiae, quam iſta tempeſtate conſcripſit Tangmarus. Is enim in Praefatione audit quidem *Bibliothecarius & Notarius Eccleſiae Hildesheimenſis*; at *pag.* 6. ſcribit, *ſibi primicerio ſcholae puerorum traditum fuiſſe Berwardum literis inſtituendum*. Nec vero eſt, quod quem turbet illud, quod *pag.* 7. legitur, Berwardum *propoſuiſſe magiſtro quaeſtiones ex intimo adyto Philoſophiae*: non enim hinc colligere eſt, tales quaeſtiones in ſchola illa tunc fuiſſe agitatas. De Magdeburgenſis ſcholae eodem Ottone Magno imperante ſtatu haud poteſt eſſe obſcurum, iis expenſis, quae narrat Dithmarus *lib. III. Chronici* ſui. Altiora tribuit illis ſcholis Crantzius verbis ex *Metropoli* adductis. Idem *lib. V. Saxoniae cap.* 28. ita loquitur: *Equidem pro illa aetate, necdum crebreſcentibus per Chriſtianum orbem Vniuerſalibus literarum gymnaſiis, apud Eccleſias cathedrales magiſtri habebantur, qui ſingulari diligentia non modo rudimentis, ſed etiam altioribus doctrinis incumberent.* Verum enimuero non maiorem Crantzius meretur in hisce quidem fidem, quam Trithemius, Langius, Miraeus, & alii: quorum narrationes dubias reddidimus iam *ſecundo poſt triceſimum Supplemento.*

II.

Iterum tamen fatemur, praeter communem ordinem 333

interdum, & paucis quibusdam in Episcopiis & coenobiis, sacrae quoque doctrinae aliisque literis vacatum fuisse. Et vero magnae olim famae fuit prae aliis Paderbornensis schola Episcopalis. Scriptor sane *Vitae Meinwerci* Episcopi *cap. LI.* refert illa, quae alibi non fuerunt, in Germania quidem nostra, in vsu. Verba eius omnia adscribere non pigrabor. *Studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia. Et bonae indolis iuuenes & pueri strenue instituebantur, norma regulari proficientes haud segniter, in claustrali disciplina. Omniumque literarum doctrina claruit hic sub ipsius sororo Imado Episcopo. Sub quo in Patherbornensi Ecclesia publica floruerunt studia: quando ibi Musici fuerunt & Dialectici, enituerunt Rhetorici clarique Grammatici, quando Magistri artium exercebant triuium, quibus omne studium erat circa quadriuium. Vbi Mathematici claruerunt, & Astronomici habebantur, Physici, atque Geometrici. Viguit Homerus magnusque Virgilius, Crispus & Sallustius, & Vrbanus Statius: ludusque fuit omnibus, insudare versibus & dictaminibus iucundisque cantibus. Quorum in scriptura & pictura iugis instantia claret multipliciter hodierna experientia, dum studium nobilium clericorum vsu perpenditur vtilium librorum.* Haec scriptor ille. Ad quem locum in scholiis notauit Browerus de Altmanno, Episcopo Passauiense: *Qui Passauiensem cathedram aliquando meriturus, in Ecclesia Paderbornensi non solum Canonicus, sed scholarcha, Saxonicum clerum ipse Saxo literarum studiis exercitum habuit, vt antiquus scriptor loquitur: ad regimen scholarum delectus, & multis annis adstrictus, donec tandem ex Praeposito Aquisgranensi in Palatio Henrici III. inter ministeria sacra florere coepit.* Iis sane encomiis si credimus, quod forte fas est, eminuit olim prae omnibus Germaniae saltim nostrae Episcopalibus scholis Paderbornensis, nec continuit sese ad exemplum aliarum intra puerorum exercitationes. De reliquis sane scholis Episcopalibus nihil simile memoratur, sed triuiale & puerile tantum non omne.

334

III.

Quae Episcopalium vero, eadem fuit olim ratio & coenobialium scholarum. Tantum enim abest, coenobiis omni-

mnibus deberi laudem aequalem, vt quaedam coenobia nullam vel puerilem ſcholam vnquam inſtituerint: quae inter eſt & noſtrum Helmeſtadienſe, etſi iam Carolo Magno imperante a Ludgero inſtitutum. Neutiquam igitur par debetur laus in vniuerſum omnibus. Nihilominus tamen quaedam coenobia haud leui induſtria olim literarum ſtudiis invigilauerunt. Sane in Italis Caſſinenſe, in Galliis S. Victoris, in Germania Fuldenſe, (vt alia taceam,) merentur etiam hodie hoc nomine, ob nempe olim praeclare exercitam maioris quoque momenti doctrinam, gratias & laudationem. Non patitur inſtitutum, pro dignitate haec perſequi: non certe, vt in Italiam aut Galliam nunc digrediamur. Ne tamen nihil huius agamus, aut ne videamur omnia etiam noſtra diſſimulaſſe, afferemus duntaxat Trithemianum Fuldenſis coenobii praeconium, quod ille ſuo *Hirſaugienſi Chronico* inſeruit ad hiſtoriam anni 837. *Viguit eo tempore in monaſterio Fuldenſi maxima religio monachorum ſub regimine Rabani Mauri Abbatis, quae ſe per totam Germaniam fama praeuolante diffuderat in ora omnium: eratque laus & memoria Fuldenſium monachorum apud Imperatores, Reges, & Principes in magno pretio, non ſolum propter ſanctitatem vitae, ſed etiam propter incomparabilem ſcientiam Scripturarum, qua Fuldenſes monachi eo tempore prae caeteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex iis in diuerſis Eccleſiis ad apicem Pontificatus fuerunt aſſumti.* Haec ille, paulo poſt addens: *Erant eo tempore in coenobio Fuldenſi ducenti & ſeptuaginta monachi, viri religioſi, & pro magna parte in Scripturis docti.* Ad annum 854. de Gerungo, Abbate Hirſaugienſe, haec memorauit Trithemius: *Audiuit Rhabanum in Fuldenſi monaſterio legentem. Quo in Abbatem ſublimato eius diſcipulus Strabus ſcholae publicae praelatus eſt: qui hunc Gerungum tunc adoleſcentem Rhabano praecipiente ſingulari diligentia proſecutus eſt. Mos erat in praefato Fuldenſi coenobio his temporibus, monachos non ſolum in Scripturis ſacris inſtituere, ſed etiam in omni ſaecularis ſcientiae literatura ad plenum erudire. Probe enim iudicabant ſapientiſſimi viri, diuinas Scripturas neminem poſſe perfecte intelligere,* 335

quem

quem literas ſaecularis doctrinae contigiſſet ignorare. Extant multa monachorum iſtius temporis praeclara volumina, in quorum comparatione ea, quae hodie cuduntur a plerisque, tanquam paleae vileſcunt. Reperi autem inter alia Strabi huius opuſcula libellum de Arithmeticis dimenſionibus, quem ſcripſit ad iſtum Gerungum, Abbatem S. Aurelii: cui praeponit epiſtolam ſic incipientem: Reuerendiſſimo merito Patri, aetate filio, litera diſcipulo, gratia magiſtro, Gerungo Abbati, aeternae beatitudinis praemium poſſidere. Ex his intelligere poſſumus, Gerungum Abbatem in omni literatura fuiſſe ſtudioſum: quia, niſi extitiſſet doctiſſimus, nunquam vir tantus de tam ſubtili diſputatione ſcripſiſſet, maxime in tanta doctorum virorum copia, ad ignarum. Haec omnia, vt & alia, alibi Trithemius de Rhabano.

IV.

Caeterum ne quid diſſimulemus, non vniuerſo vel eius tempeſtatis Fuldenſi coenobio, ſed paene ſoli Rhabano, eiusque vni & alteri diſcipulorum, omne illud elogium debetur. Longe ſcilicet etiam tunc aliter fuerunt animati coenobii illius Fuldenſis ſaltim plerique monachi. Eoque ipſemet Trithemius libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ita de Rhabano fuit teſtatus: *Tandem offenſus improbitate monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimium Scripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis Diabolo, diſplicentiam contra eum* 336 *acceperunt, ſcandalizati in eo, quo maxime debuerant aedificari. Dans igitur locum irae, nec cum ingratis ouibus diutius manere conſentiens, monaſterium & eius habitatores deſeruit.* Nicolaus Serrarius *lib. IV. Moguntiacorum pag. 643.* laudat teſtem alium, librum manuſcriptum, ita loquentem: *Rabanus anno 842. Fuldenſi pulſus eſt Abbatia, fratribus monachis cauſantibus, ipſum ſtudioſum nimis, intentum Scripturis, temporalia negligere.* Quod fatum etiam Fridericus, Abbas Hirſaugienſis, teſte Trithemio in *Chronico* ad annum MLXVIII. poſtque alios haud paucos tandem & ipſe Trithemius eſt paſſus a ſui coenobii monachis.

V.

V.

Nec tamen dixerim, cum Rabano omnem illico melioris doctrinae culturam Fuldae defecisse. Etenim *Annales Francorum* illos, quos primus edidit Pithoeus, eodem nono saeculo conscriptos esse, recte docuit Marquardus Freherus, cui librum illum locupletiorem debemus. Nec ignoratur vulgo etiam Mariani Scoti eruditio, qui itidem Fuldae vixit. Ipsi illi *Annales* ad annum 865. ita notant: *Rudolphus, Fuldensis coenobii presbyter & monachus, qui apud totius paene Germaniae partes doctor egregius & insignis floruit Historiographus & Poëta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII. Id. Mart. diem vltimum feliciter clausit.* Exstat apud Browerum *p. 222.* charta, vti loqui olim soliti, donationis, qua Ludovicus Rex, Pii filius, huic *Rudolpho, monacho & Confessori suo, concessit censum & Regios colonos & eorum omnium vtilitatem, cupitque fructum ad caeteros item transire scholasticos.* Quae indicant, superfuisse tunc adhuc aliquam Fuldae scholam, sed forte non nisi triuialem: cui praefuerit quidem ille Rudolphus, vt non tamen ad ipsiusmet scholae illius laudem pertineat magistri eruditio. Enimuero multus est Trithemius quidem passim in laudanda Fuldensium eius & sequentis aliquandiu aeui monachorum eruditione & industria; 337 fortassis autem scripsit illa non ex vero, sed finxit praeclara quaeque bono studio, vt nempe illis exemplis sui aeui monachos rudes & desides excitaret ad amorem & cultum studiorum. Quapropter non etiam est, cur nos hoc loco immoremur, paucarum aeui illius siue Episcopalium siue coenobialium scholis laudandis: quandoquidem nimirum non nisi ad paucas laus pertinet, simulque breui tempore, etiam in praeclarissimis quibusque illarum scholarum, omnia pristina literarum exercitia extincta sunt & perierunt ita, vt vix vestigium aliquod tandem superfuerit.

VI.

Caeterum ab illis antiquis Epiſcoporum & monaſteriorum ſcholis vt ad tempora propiora veniamus, longe diverſum ſcholarum genus ſaeculo Chriſtiano tertiodecimo coepit in monachorum mendicantium coenobiis, cumprimis eorum, qui inſtitutum ſiue Dominici Hiſpani ſiue Itali Franciſci amplexati ſunt. Idque fortaſſis non ex primorum fundatorum, quos vocant, ſed nonnullorum doctorum virorum, qui pietatis ſtudio in ſodalitates iſtas conceſſerant, conſilio. Enimuero non illis curae fuit humaniorum literarum diſciplina, qualis aliqua, rudior quamuis, obtinuerat in antiquis coenobiis, ſed tantum non omnino fuit ſpreta & neglecta. Eius loco autem exculta eſt Philoſophia Ariſtotelica, quae iſthoc ſaeculo decimotertio ex Arabica lingua Latine, ſcabra quadam interpretatione, in Europaeorum Occidentalium manus peruenit. Praeter quoque Philoſophiam Theologia, inuſitata hactenus per omnem Eccleſiam, a primo eius vsque exordio, ſubtilitate ac curioſitate, cum ore creberrimisque monachorum exercitationibus, tum ſcriptis libris, in coenobiorum auditoriis paſſim & magno ſtudio a magiſtris eſt tradita. In Scripturae autem ſanctae illuſtrationem parum, ad Eccleſiaſticarum aliarumque rerum ve-
338 terum peritiam comparandam nihil operae impenſum: idque, quod quaſi adorarentur praeſentis tunc aeui tantum non omnia. Non male de doctrina illa Erasmus praefatione in Hieronymum ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit: *Neglectae bonae literae, faſtidita Graecanici ſermonis peritia, multoque magis Hebraici, ſpretum eloquentiae ſtudium, quin & ipſa Latina lingua ſic conſpurcata eſt ſubinde noua barbarie, vt iam nihil minus eſſet, quam Latina: nec Hiſtoriae, nec Geographiae, nec antiquitatis vlla cura.*

VII.

Haec ratio autem coenobiticarum iſtarum quidem ſcho-

larum

larum fuit non tertiodecimo duntaxat, ſed etiam integris ſequentibus duobus ſaeculis, imo vsque ad patrum memoriam, & amplius. Tandem vero ipſiusmet Ignatii Loiolae prudente inſtituto, ſecus quam factum fuerat a Dominico, Franciſco, & aliis, plane noua diſciplinae facies exorta eſt in Ieſuitici Sodalitii ſcholis: quas etiam ipſas dixeris merito coenobiticas. Etenim in illam inſtitutionem vltra Societatis tyrones quilibet recipi ſolent, & literae humaniores primae aetati ſic ſatis diligenter proponi. Philoſophica etiam & Theologica ſtudia longe felicius, quam in vllis monaſteriorum ſcholis hactenus factum, excoluntur: vt tamen etiam hic deſint haud pauca ad iuſtam ſcholarum eiusmodi perfectionem.

SVPPLEMENTVM XLIV.

Ad pag. 89.

Quae in *Diſſertatione* adducta ſunt varia Decreta de ſcholis per Epiſcopia inſtituendis, omnia ſurdis ſunt auribus excepta. Eiusdem argumenti eſt integrum *Caput XIIX. Seſſionis XXIII. Concilii Tridentini*: ſed nec illud, qua par erat, reuerentia vbiuis eſt obſeruatum: niſi quod in Germania plerisque Epiſcopalibus ſedibus Collegia, quae appellantur, Ieſuiticae Societatis, vice ſcholarum, ſint ex eo tempore adiuncta, alicubi & Academiae additae.

SVPPLEMENTVM XLV.

Ad *pag. 89.*

Scholas cum Epiſcopiorum, tum monaſteriorum veterum, poſt annum milleſimum ſenſim per omnem Europam defeciſſe, liquidum eſt ex monumentis aeui illius. Senſim

aio id factum esse, non vno tempore aut omnibus in locis: tandem tamen vtrobique scholae omnes extinctae sunt, manente inter cathedrales Canonicos solo inani *Scholastici* nomine & dignitate. Digna memoratu sunt de Scholastici illa vana appellatione Alberti Krantzii dicta, quae *lib. VII. c. 14. Wandaliae* posteritati reliquit. *Erat is* (Albertus, tempore Innocentii IV. ad Concilium Lugdunense Liuoniensis Episcopi legatus,) *pridem Scholasticus in Ecclesia Bremensi, vir omni literarum genere doctissimus: quod illa tempestate, necdum crebrescentibus publicis Academiis, apud insignes Ecclesias, qui nunc dure Scholastici, tum vocabantur Magistri, docentes in omni literarum genere, in cunctis ingenuis & praeclaris artibus. AEtate nostra Scholastici officium nullum est, nisi collectas pauperum scholarium in vsus mensae suae vertere, vt pro se vicarium laborantem cogat insigniter esurire.* Digna etiam sunt hic legi ea, quae Henrico IV. imperante annotauit auctor *Apologiae* pro Caesare illo tunc scriptae aduersus Gregorii septimi Papae Epistolam aliosque: est autem, ceu non male iudicauit Goldastus, Waltramus, Episcopus Naumburgensis. Habentur illa *Tomo primo pag. 228. Germanicarum rerum scriptorum*, a Marquardo Frehero editorum, & *lib. II. c. 42. Apologiae*, prout illam distinxit Goldastus, cumque aliis scriptis addidit *Replicationi pro Imperio. Nouimus quidem*, inquit ille, *domesticam institutionem eiusmodi monachorum, quam vere possimus assimilare siliquis porcorum, de quibus non potuit ille saturari, quem dicit in Euangelio Dominus adhaesisse vni de principibus saeculi, postquam dissipauit portionem paternae substantiae, tradens naturale ingenium luxui atque desidiae: cum ad imaginem Dei factus sit homo, in intellectu (scilicet in mente,) in interiore homine (in eo, quod intelligit veritatem, diiudicat iustitiam & iniustitiam, & nouit, a quo factus est,) potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Quam scilicet intelligentiam habet, qui prudentiam habet: alioqui pater mendacii Diabolus aufert a cordibus hominum Dei veritatem, aufert Dei imaginem, & imprimit apostasiae suae & mendacii imaginem. Cum enim a caeteris animantibus per hoc maxime differamus, quod rationale*

 ani-

animal sumus, & loqui possumus; ratio autem omnis & sermo diuinis libris continetur, per quos & Deum discimus, &, quare creati simus, non ignoramus; mirandum est valde, quod nolunt aliqui, praecipue autem monachi, quae praeclara sunt, discere: qui ne pueros quidem vel adolescentes permittunt in monasteriis habere studium salutaris scientiae: vt scilicet rude ingenium nutriatur siliquis daemoniorum, quae sunt consuetudines humanarum traditionum, vt eiusmodi spurcitiis assuefacti non possint gustare, quam suauis est Dominus, qui dicit in Euangelio de talibus: Vae vobis, Scribae & Pharisaei, hypocritae, qui tulistis clauem scientiae: vos enim, inquit, non intratis, nec sinitis introëuntes intrare. Igitur ignoratio diuinarum Scripturarum ignoratio est Christi, qui dicitur virtus Dei & sapientia Dei. Mitto reliqua: etsi & illa sint perquam eximia. Perierunt vero sensim scholae non tantum in coenobiis veterum Benedicti regulae sequacium, quorum mores degeneres perstringentem modo audiuimus illum *Apologiae* scriptorem, sed illorum etiam, qui morum istorum reformationem amplexati sunt, Cluniacensium, Cistercensium, Claraeuallensium, aliorumque in vniuersum omnium: etsi circa initia visi fuerint eorum quammulti sic satis magno studio etiam sacrae doctrinae incumbere.

SVPPLEMENTVM XLVI. 341

Ad pag. 98.

Ante saeculum duodecimum neminem claruisse Parisiensis scholae Theologorum, videtur inde etiam posse intelligi, quoniam eorum nemo memoratur in libello de *Scriptoribus Ecclesiasticis* Sigeberti, Gemblacensis in Brabantia monachi, diligentissimi & pro temporis captu doctissimi chronographi: quem tamen librum scripsit iam initio duodecimi saeculi. Qui hunc Sigeberti libellum autem excepit eodem argumento Henrici Gandauensis, ita loquitur c. 14:

 Mau-

Mauritius, Episcopus Parisiensis, in eadem ciuitate Theologicae scholae rector. Cap. 15: *Petrus Cantor Parisiensis, & ipse etiam Theologicae scholae rector.* Cap. 16: *Petrus, dictus Abeilardus, Dialecticae peritia, imo omnium liberalium artium insignis, Theologicae scholae rector.* Cap. 17: *Gilbertus, cognomento Porreta, ex magistro Theologicae scholae Parisiis Pictauiensis Episcopus.* Cap. 18: *Ioannes Beleth, & ipse Theologicae scholae rector Parisiis.* Cap. 24: *Simon, Tornaci oriundus, ex Dialectico subtilissimo, imo omnium liberalium artium fere sui temporis peritissimo, Theologicae etiam scholae Parisiis cathedram meruit ascendere magistralem, in qua plurimos habuit auditores.* Cap. 27: *Stephanus, natione Anglicus, Parisiis liberalium artium scholis praefuit: inde Theologicae scholae praesidens Theologiam celeberrime docuit.* Cap. 31: *Petrus Lombardus, Theologicae scholae praesidens.* Forte iusta temporis serie hos omnes haud enumerauit Henricus. Nam Miraeus quidem in scholiis narrat, in Episcopatu successisse Petro Lombardo Mauritium illum, qui *Cap. 14.* memoratur: omnes tamen hi floruerunt saeculo Christiano duodecimo. Idem Henricus porro *cap. 21.* ait: *Alanus, Insulis oriundus, liberalium artium peritus, Parisiis Ecclesiasticae scholae praefuit.* Sed forte illa Ecclesiastica schola diuersa fuit ab Academica. Est autem Alanus is, de quo vetus superest barbarus versiculus:

Qui tria, qui septem, omne qui scibile nouit.

342 Quicquid sit de Alano, reliqui plus satis ostendunt, iam tum saeculo duodecimo scholam Theologicam Parisiensem multum floruisse. De ipsa illa tempestate Parisiensis scholae haec fuerunt verba Iacobi de Vitriaco *Historiae Occidentalis cap. 7*: *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, irrigans vniuersae terrae superficiem, panem delicatum & delicias praebens Regibus, & vniuersae Dei Ecclesiae supernum mel & fauum vltra dulciora propinans.* Digna tamen etiam sunt lectu, quae idem Iacobus annectit de malis Parisiensium cum magistrorum, tum Studiosorum, moribus ac dissidiis.

Quan-

Quantumuis autem frequentia hominum iam ſaeculis iſtis abundauerit Pariſienſis ſchola, & Reges ipſos habuerit fauentiſſimos, mirum tamen eſt, vix ſupereſſe ex aeuo iſthoc ſcholae a Regibus conceſſa priuilegia. Et vero prodiit in lucem Lutetiae Pariſiorum anno huius ſaeculi viceſimo quinto libellus hoc titulo: *Privileges donnéz & octroyés par les Roys de France, ſcavoir Philippes de Valois, Charles V. Charles VI. Charles VII. Louys XI. Charles VIII. Francois I. Henry IV. & Louys XIII. à l'Vniverſité de Paris, ſuppoſtes, officiers, & ſerviteurs d'icelle. Enſemble les Arreſts du Conſeil privé, confirmatifs des dits privileges.* Niſi forte ſingularem in vſum haec ſola ſint vulgata.

SVPPLEMENTVM XLVII.

Ad *pag. 91.*

Inter multa Collegia, quae vocantur, Pariſienſis ſcholae quoniam id, quod Nauarrae audit, eſt nobiliſſimum, legi hic merentur, quae de illo narrauit Ioannes Mariana, Hiſpanicarum rerum diſertiſſimus ſcriptor, *Tomo I. lib. 14. cap. X. Reginae impenſa in eadem vrbe Lutetia ſchola, quae Nauarrae dicitur, ipſa aedificii amplitudine, praeceptorum auditorumque numero, in paucis praeſtans, extructa eſt. Septingentos alumnos bonis* 343 *temporibus Galliae intra vnas aedes habitantes numeraſſe, fama eſt. Rebus turbatis vix quingenti erant, (quo nos tempore ſcholas theologicas Lutetiae explicabamus,) quidam eorum publica impenſa collegii, plerique collata de ſuo ſtipe victitantes.* Multa quidem etiam digniſſima ſcitu in promtu ſunt de aliis etiam collegiis, cum primis de illo longe celeberrimo, quod Robertus Sorbona Ludouico Rege inſtituit, & nunc quoque illius gaudet cognomento; ſed iſthaec omnia afferre praeter inſtitutum fuerit.

SVP-

SVPPLEMENTVM XLVIII.

Ad *pag. 92.*

Quod diximus de Ottone, Friſingenſe Epiſcopo, pridem tradidit etiam Radeuicus *lib. IV. c. 2. de geſtis Friderici I. Imperatoris*, quod nempe *Philoſophicorum librorum ſubtilitatem, in Topicis, Analyticis, atque Elenchis, primus fere noſtris finibus apportauerit.* Ideoque in gloriam viri illius merentur a grata poſteritate legi, quae ipſemet Otto de Gilberto Porretano & Abaelardo diſſerit *lib. V. Chronici cap. 46.* & ſequentibus vsque ad 53: vtpote quae ſpecimen ſimul aliquod praebeant non vulgaris in ſubtiliore Philoſophia progreſſus. De illo porro Ottone ita annotauit antiquus quidam ſcriptor apud Wiguleium Hundium in *Metropoli Salisburg. pag. 155: Ad Pariſios miſſus, Latinas literas ad praemium nactus theoriae atque ſecularis prudentiae, i.e. artium liberalium Magiſter ac S. Theologiae profundiſſimus ac eloquentiſſimus Doctor effectus eſt.* Dubito tamen, an huic narrationi tuto liceat fidem habere.

Caeterum ea quidem aetate Ariſtotelicum nihil praeter libros Logicos, & ne illos quidem omnes, Latine fuerat verſum: nec alia veterum Philoſophiae auctorum ſcripta, praeterquam vnius Boëthii, Graecum vero nihil, fuerunt in manibus: quapropter nec vltra illa Logica excurrit eius tempeſtatis Philoſophica eruditio, quamuis, ad altiora 344 ingenium nonnullis haud defuiſſe, oſtendat is, qui etiamnum ſuperat, Gilberti Porretani *de ſex principiis* libellus. Non poſſum non hoc loco addere, quod Rigordus in *Chronico de geſtis Philippi Auguſti, Francorum Regis*, narrat, in hiſtoria annorum MCCVIII. & IX. *pag. 208.* editionis Wechelianae. *In diebus illis legebantur Pariſiis libelli quidam, ab Ariſtotele, vt dicebatur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati noue a Conſtantinopoli, & a Graeco in Latinum*

translati: qui, quoniam haeresi praedictae (Almarici scilicet, de qua paulo ante multa narrauerat.) *sententiis subtilibus occasionem praebebant, imo & aliis nondum inuentis praebere poterant, iussi sunt omnes comburi: & sub poena excommunicationis cautum est in eodem Concilio,* (Parisiensi nimirum, contra Almarici sectatores tunc habito,) *ne quis eos de caetero scribere aut legere praesumeret, vel quocunque modo habere.* An fuerint tunc circumlati Aristotelis nomine falso inscripti libri Metaphysici, an in genuinos ita fuerit saeuitum, non equidem audeo definire. Videtur tamen posterius magis verisimile. Refert enim doctissimus Naudaeus libello *de Edicto Ludouici XI. Regis contra Nominales*, ex Alexandri Nekami libro *de Naturis rerum*, Lothario secundo imperante nonnullos Ecclesiasticos & Religiosos existimasse, libros Aristotelis a solo Antichristo legendos & intelligendos esse, quippe qui iis esset vsurus ad conuincendos vel subtilissimos disputatores atque doctores. Et vero ipsum quoque Bernhardum iusto iniquiorem fuisse subtiliori Philosophiae, haud obscure indicat Otto Frisingensis noster in Gilberti Porretani, quem non minus, atque Petrum Abaelardum, fuerat insectatus Bernhardus, defensione. Legi de hoc argumento meretur libellus Launoyi, Sorbonici Theologi, quem inscripsit *de varia Aristotelis fortuna in Academia Parisiensi.*

SVPPLEMENTVM XLIX.

345

Ad *pag. 92.*

Quoniam verba Rigordi omnia digna sunt, quae hic commemorentur, adscribam comma istud integrum. *In diebus illis* (Philippo nimirum Augusto Rege,) *studium literarum florebat Parisiis: nec legimus, tantam aliquando fuisse scholarium frequentiam Athenis, vel AEgypti, vel in qualibet*

parte mundi, quanta locum praedictum studendi gratia incolebat. Quod non solum fiebat propter loci illius admirabilem amoenitatem & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem & specialem praerogatiuam defensionis, quam Philippus Rex & Pater eius ante ipsis scholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobilissima ciuitate non modo de Triuio & Quadriuio, verum & de quaestionibus Iuris Canonici & Ciuilis, & de ea Facultate, quae de sanandis corporibus & sanitatibus conseruandis scripta est, plena & perfecta inueniretur doctrina; feruentiori tamen desiderio sacram paginam & quaestiones Theologicas docebantur. Subiungam nonnihil eorum, quae addit Rigordus de Almarico. *Fuit igitur in eadem sacra facultate studens quidam clericus, Almaricus nomine, de territorio Carnotensi villa, quae Baena dicitur, oriundus: qui, cum in arte Logica peritus esset, scholasque de arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam: semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quasi sectum & ab aliis separatum.* Haec omnia Rigordus, testis eius temporis rerum locuples.

SVPPLEMENTVM L.

Ad *pag. 93.*

Ante Honorii Papae edictum, cuius meminit *Dissertatio*, iam saeculo duodecimo Iuris Ciuilis Romani studium Parisiis quoque fuisse cultum, vel illa doceant, quae modo ex Rigordo attulimus. Confirmatur idem eo, quod de Vdalrico, Abbate monasterii S. Galli, refert *lib. de Casibus* illius monasterii Conradus de Fabaria *cap. 5.* scribens: *Dulciloquis Grammaticae & Dialecticae floribus informatum Parisios & Bononiam transmisit: iurisque peritia cum summa diligentia reparatum, omnibusque bonis confirmatum, ad summa prouexit.* Et

346

paulo

paulo post: *In Iure forensi & Ecclesiastico, quicquid excogitare poterat, faceto Minervae poculo cunctis audientibus propinauit.* Quid? quod, si Petrus Baelardus idem est cum Petro Abaelardo, is quoque Parisiis, vt Philosophiam ac Theologiam, ita & Iurisprudentiam docuit. Accursius enim *ad l. Quinque pedum c. fin. regund.* haec verba reliquit: *Quaenam esset ea praescriptio, Petrus Baelardus, qui sanum cuiusque legis intellectum pollicebatur, hîc dixit: Nescio.*

SVPPLEMENTVM LI.

Ad *pag. 94.*

I.

Nisi valde fallimur, fecimus libri *de Origine Iuris Germanici* capite vicesimo primo clarissimum, Ius Romanum Iustinianeum Bononiae coepisse doceri, Imperatore quidem Lothario Saxone, non tamen illo iubente, vel ex eius auctoritate. Hic adducemus duntaxat verba Abbatis Vrspergensis, qui vixit tamen Friderico II. Caesare. *Eisdem quoque temporibus Wernerius libros Legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in iis studuerat, ad petitionem Mathildae Comitissae renouauit, & secundum quod olim a diuae recordationis Imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit. In quibus continentur Instituta praefati Imperatoris, quasi principium & introductio iuris ciuilis: Edicta quoque Praetorum & AEdilium curulium, quae rationem & firmitatem praestant Iuri ciuili: haec in libro Pandectarum, videlicet in Digestis, continentur: additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Authenticorum, quem praefatus Iustinianus ad suppletionem & correctionem Legum Imperialium addidit.* Bartolus *ad l. Constit. Digest. vet. pag. 6.* ita loquitur: *Habere Studium vel licentiam docendi procedit ex priuilegio tantum, vel ex consuetudine longissima. Sicut Paduae: vbi est Studium generale ex consuetudine: & sic eadem priuile-*

347

vilegia sunt ibi, quae sunt Bononiae, vbi est Studium ex consuetudine & priuilegio Lotharii Imperatoris, vt dicunt quidam. Quae verba indicant, a nonnullis quidem tunc temporis fuisse perhibitum, Lotharium Caesarem facultatem docendi Bononiensibus concessisse, simul tamen ius illud niti consuetudine: ast illud de Lothario non nisi *a quibusdam dici*, atque adeo a Bartolo ipsomet non fuisse certo creditum.

II.

Verosimilius longe est, a Friderico I. Imperatore facultatem, Ius Romanum illud docendi, fuisse Bononiensibus confirmatum. Et vero tradit hoc auctor *Ephemeridum eruditorum*, scriptor Gallicus, *Ephem. VII.* anni sexagesimi quinti: sed praeter illum hactenus nemo. Nec fidem meretur: quoniam & reliqua, quae addit de Iure Romano iussu Friderici in fora Italiae & Germaniae recepto, futilia sunt.

III.

Iam tum autem, Friderico illo, Caesarum Germanicorum fortissimo, imperante, Romanorum Ius docuisse Bononiae illos, quos *Dissertatio* laudauit, vetat dubitare Otto Muraena, *Chronologiae Laudensis* scriptor coaeuus: cuius verba adducit in historia anni 1558. libro XII. Annalium Baronius. Recitabimus ipsamet illius verba. *Hoc anno Dominus Imperator Fridericus in Roncalia colloquium in S. Martino proximo veniente maximum se constituit habiturum: praecepitque omnibus fere Italiae Principibus atque Ciuitatum Consulibus, vt ipsi colloquio interessent. Ad quod etiam principales quatuor Legis Doctores, videlicet Dominos Bulgarum & Martinum Gosium, Iacobum atque Hugonem de Porta Rauegnana, interesse fecit. Istorum autem quatuor* 348 *Doctorum & quamplurimorum aliorum fuit Dominus Guarnerius doctor antiquior. Ad quem, cum in extremis laboraret, accesserunt sui scholares, dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram* docto-

doctorem nobis constituere? Quibus ipse respondit per duo carmina infra scripta: quae qualiaqualia non piguit retulisse.

Bulgarus os aureum: Martinus copia Legum:
Hugo mens legum: Iacobus est, quod ego.

In maiorem fidem addemus & illa, quae de eodem negotio narrat Radeuicus *lib. II. cap. 5.* praesertim quia & alia continent iucunda perceptu. *Sequentibus*, inquit de Friderico Imperatore, *diebus plena atque solenni curia, iudicio atque iustitiae a mane vsque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam diuitum, quam pauperum, diligenter audiebat. Habensque quatuor iudices*, (quid *Iudicum* vocabulo tunc Itali intellexerint, infra docebimus,) *videlicet Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in lege doctissimos, Legumque in ciuitate Bononiense doctores, & multorum auditorum praeceptores; cum his aliisque legisperitis, qui diuersi ex diuersis ciuitatibus aderant, audiebat & terminabat negotia. Videns autem multitudinem eorum, qui crucem baiularent, (is enim Italorum mos est, vt habentes querelam crucem manibus praeferant,) misertus illorum ait, mirari se prudentiam Latinorum, qui, cum praecipue de scientia Legum glorientur, maxime Legum inuenirentur transgressores, quamque sint tenaces iustitiae sectatores, in tot esurientibus & sitientibus iustitiam apparere.* Haec illi. Ipsa Bononia quantam tunc existimationem sibi comparauerit ex Legum illo studio, vel vnum illud doceat praeconium, quod *Ligurini lib. IX.* de Friderico illo agens habet Guntherus:

finesque Bononia iuris
Ingreditur studiosa tuos.

SVPPLEMENTVM LII.

349

Ad *pag. 97.*

De Aristotelis libris ex Arabico curante Friderico II. versis non est, quod hic addamus quicquam, praeter il-

Iud, quod *opus Politicum* Ariſtotelis apud Arabes non fuerit repertum, ac proinde nec cum aliis Latine verſum. Id quod iampridem docuimus *Introductione in Politica Ariſtotelis*. Verum autem eſſe id, quod hic affirmat *Diſſertatio* de ſcriptoribus Philoſophicis & Medicis ex Arabum lingua tunc temporis translatis, lubet hoc loco adſtruere teſtimonio duorum duntaxat inſignium illius literaturae virorum, Ioſephi Scaligeri, & Iohannis Seldeni. Illius haec verba ſunt epiſtola ad Stephanum Vbertum, quae eſt operis epiſtolici poſthumi 362: *Florentibus Arabum rebus, ſumma meliorum literarum imperitia in tota Eccleſia Latina erat: cum bonae diſciplinae inter Mahumedanos maxime vigerent. Et profecto, quicquid Latini ſcripſerunt, poſtquam illos inſcitiae ſuae monuit Arabum induſtria, id totum Arabibus acceptum debent, Philoſophiam, Medicinam, & Mathematica. Nam nullum Graecum ſcriptorem habuerunt, quem non ex Arabica in Latinam translatum legerint. Ptolomaei Magnam Syntaxin prius ex Graeca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare coeperunt. Sic Euclides Arabice, deinde Latine conuerſus, tamdiu inter nos obtinuit, donec capta Conſtantinopoli exules Graeci nos relictis lacunis ad ipſos fontes conuertere docuerunt.* Seldenus in Commentario ad *Origines* Eutychii, Patriarchae Alexandrini, ab ſeſe Arabice Latineque editas, in haec verba eſt *pag. 156.* locutus: *Scientiae liberales riteque inſtitutae diu vocari ſolebant a noſtris Studia Arabum, & Arabica ſtudia, veluti denominatae a gente ac locis, vbi tunc ſolum ſerio colebantur. Id etiam liquet ex praefatione Adelardi, monachi Bathonienſis, Athelardi item dicti, in Quaeſtiones ſuas Naturales, quas ex Arabum ſcholis redux in Angliam conſcripſit. Hac de re item conſulas Guilielmum Malmesburienſem de Geſtis Regum in lib. 2. cap. 10. Floruit ante quingentos Athelardus ille abhinc annos, (Henrico primo in Anglia regnante,) & primus Euclidis Elementa Geometrica Latine vertit, ſed ex Arabico, (quorum exemplar MS. penes me habeo,) vti & alia Mathematica. Nam ſaeculis in illis, vt & diu poſt, non ex Graeco fonte, ſed ex Arabicis verſionibus Latine, ſed barbare nimis, redditis, Platonis ac Ariſtotelis pleraque, Ptolemaeum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem, id genus alios, habebant Academici*

350

ci Occidentales: & Auicennas tandem, Auerroës, Alfarabios versos. Nec vero Themistios, Philoponos, Alexandros, Simplicios omnino legebant: quos nec habuere, vti nec alios ferme autores Graecos, antequam post captam a Muhamede secundo Constantinopolim anno Christi 1453. Graeci aliquot scientiores eorum exemplaria in Italiam, Galliam, ac Germaniam profugi secum asportabant. Latine autem versi erant libri illi Arabici in Academicorum gratiam sub Lothario Saxone & Frederico AEnobarbo circa annum 1140. Quo tempore Alcoranus in Hispania primo item Latine redditus est, a Roberto nempe Retenensi Anglo & Hermanno Dalmata, qua de re videsis Petrum Cluniacensem in Bibliotheca Cluniac. pag. 1010. & Balaeum Cent. 2. Script. 80.

SVPPLEMENTVM LIII.

Ad *pag. 97.*

Quae de numero Professorum Bononiensium refert *Dissertatio*, illa acceperam a Fortunio Liceto, summi nominis tunc temporis Philosopho in Academia Patauina: quicum frequens & amicum mihi erat literarum commercium. Quod gratitudinis ergo hic memoro erga virum de Philosophia aliisque studiis nonnullis praeclare meritum.

SVPPLEMENTVM LIV.

Ad *pag. 101.*

Gariopontum saeculo iam vndecimo vixisse, praeter alia quammulta docuit vir varia doctrina eximius, Thomas Reinesius, in *Defensione sua Variarum Lectionum pag. 143. & 155.* ingenue emendans nonnulla, quae scripserat *lib. III. Variarum Lectionum cap. 2. & 12.* Ibidem praeclara haud pauca affert de ipsamet schola Salernitana, quae proinde merentur attentam lectionem; etsi schola illa omnis pridem interierit, idque

idque, quantum videtur, annitentibus Neapolitanis Gallicae ſtirpis Regibus.

SVPPLEMENTVM LV.

Ad *pag. 111.*

Ordinis vox olim apud Romanos fuit valde communis. Et vero Ordo ſenatorius, Ordo equeſtris, Ordo plebeius, nomina ſunt iam veteri Romae cognita. Cicero quoque memorat *lib. X. familiar. epiſt. 9. ad Craſſipedem* Ordinem publicanorum. Seruius ad illud Virgilii:

delectos Ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad moenia Regis
Ire iubet;

illud *ordine ab omni* ſcribit *eſſe ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque ſeruatur.* Alibi memorantur Ordo Sacerdotum, Ordo haruſpicum, aliique, κατ' ἐξοχὴν tamen, & nullo addito, Iurisconſultis *Ordo* audit Ordo decurionum: quapropter, vbi de probatione per Ordinem inſtituenda agitur, paene ſoli decuriones intelligendi videntur.

SVPPLEMENTVM LVI.

Ad *pag. 112.*

Plinius *epiſtola 66. lib. X.* haud obſcure indicat, iam tum, Traiano ſcilicet imperante, Philoſophis fuiſſe conceſſam ciuilium munerum vacationem. Hanc autem deberi beneficio Veſpaſiani, diſcere eſt ex verbis Chariſii in *Diſſertatione* adductis. Forte vero Domitianus vt Rhetoribus, ita & Philoſophis eripuerat hoc paternum beneficium, vtpote quos

quos vrbe expulerit: reddidit vero Traianus. Etenim hunc Plinius in *Panegyrico* hisce verbis allocutus eſt: *Quid vitam, quid mores iuuentutis, quam principaliter formas! Quem honorem dicendi magiſtris, quam dignitatem ſapientiae doctoribus habes! Vt ſub te & ſpiritum & ſanguinem & patriam recuperent ſtudia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum ſibi omnium vitiorum conſcius Princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reuerentia, relegabat. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.* Videtur autem Antoninus Pius Philoſophis iterum priſtinam immunitatem negaſſe, ſaltim per Aſiam: nec enim in illa eius Conſtitutione, quam *pag. 113. Diſſertationis* Modeſtini verbis produximus, vlla ſit inter eos, qui immunitate poſſint gaudere, Philoſophorum mentio. Memorat tamen idem Modeſtinus, Philoſophos immunitate tutelarum ab Antonino Pio, a Marco autem non minus, quam Rhetores, Grammaticos, & Medicos, multis priuilegiis fuiſſe affectos. Quae verba itidem recitauimus *pag. 113.* Caeterum Seuero Imperatore, niſi fallor, irriſi & ludibrio quodammodo ſunt Philoſophi affecti per eam Conſtitutionem, quae ex Papiniano translata eſt in titulum *Pandectarum de muneribus & honoribus l. 8.* §. 4. Ita enim illa loquitur: *Philoſophis, qui ſe frequenter atque vtiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus praebent, tutelas item, munera ſordida corporalia, remitti placuit: non ea, quae ſumtibus expediuntur: etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendae cupidine fictam aſſeuerationem detegunt.* Notandum vero, ſolos Stoicos tunc voluiſſe videri opes ſpernere; alia ſane mens fuit ſcholae Peripateticae. Quinimo non multo poſt videtur omnis immunitas Philoſophis erepta. Diſerte enim *tit. de Decretis Decurionum l. XI. Codicis Iuſtinianei* Diocletianus & Maximianus ita cauerunt: *Exceptis, qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt, & qui medendi cura funguntur, decurionum decreto immunitas nemini tribui poteſt.* Nec

353

enim inter illos alii videntur tunc numerati, quam Grammatici & Rhetores. Fortaſſis autem a Triboniano Philoſophi omiſſi ſunt, quia illo tempore erant & rari & contemti.

SVPPLEMENTVM LVII.

Ad *pag. 116.*

Quae de Medicorum probationibus diximus, dubito, num recte ſeſe habeant. Diſerte enim Symmachus *lib. I. ep. 26.* de Medicis inquit: *Lege cautum eſt, vt primi artis eiusdem de nouorum ſcientia iudicarent.* Atque ita longe aliter fuerint intelligenda, quae ad Olybrium, Praefectum Vrbis, reſcripſerunt Valentinianus & Valens. Et vero cum Roma non habuerit Decuriones, ſaltim de illo Ordine Imperatores non ſunt hic locuti. *Primi* porro *artis* videntur Symmacho dicti, qui alias *Archiatri* audierunt: quod fateor recte monuiſſe Pancirollum *l. 2. c. 45.* mutata ſcilicet de *Archiatris* ſententia noſtra priſtina: prout iam tum fecimus in *Supplemento XXVII.* Quae Medicorum autem, eadem iſthac tempeſtate videtur fuiſſe conditio Philoſophorum. Diſerte enim ſatis idipſum ſignificant, quae *pag. 111.* verba adduximus Valentiniani & Valentis Imperatorum: *Reddatur vnusquisque patriae ſuae, qui habitum Philoſophiae indebite & inſolenter vſurpare cognoſcetur: exceptis his, qui a probatiſſimis approbati ab hac debent colluſione ſecerni.* Ex quibus verbis ſimul hoc tamen etiam diſcere eſt, non omnes habitu Philoſophico tunc amictos ante illius habitus aſſumtionem probari ſolitos, ſed ſpontaneo arbitratu vulgo id fuiſſe factum. In Iuliani etiam Imperatoris Conſtitutione *Ordinis* voce intelligendos ipſos *magiſtros ſtudiorum;* vt *Curiales* demum ſint Decuriones; non amplius multum repugnabimus. Et vero cum Aduocatos probari a ſuae Iuridicinae magiſtris mos tunc fuerit, quidni

etiam

etiam circa alios id fuerit obseruatum? Sed & iam tum *Supplemento XIII.* adducta sunt verba S. Augustini, quae non obscure indicant, sese a Symmacho, Vrbis Praefecto, Mediolani constitutum fuisse Professorem Rhetoricum, *dictione proposita probatum.*

Legi vero maioris illustrationis causa hic merentur, quae etiam de Aduocatorum probatione olim fuerunt constituta *l. 9. nemini Codic. de Aduocat. diuers. iudicior.* Quicunque nimirum patroni causarum munus ambiebat, docebat primo apud Praesidem Prouinciae, se cohortalem non esse, id est, non obnoxium Praesidis apparitioni: mox iurabat Antecessor, a quo erat institutus in Legum doctrina, illum iuris peritia satis esse instructum. Addere operae pretium est hic annotata a Pancirollo *lib. I. Variar. lection. c. 26.* de tabellionum creatione. *Legitur in quadam Leonis Philosophi Novella, ex certo corpore tabellionum eruditiores & vitae integritate probatiores ex collegii sententia electos fuisse, qui LX. libros Basilicon & XL. titulos Encheiridii tenerent. Eos autem ephestride indutos ad Praefectum Vrbi perductos fuisse, iurantibus his, qui elegerunt, se nulla ambitione vel gratia motos electionem illam fecisse. Mox in Auditorio Praefecti Vrbi annulo signatorio accepto ad Tabularii gradum promotos, inde ad templum perductos fuisse, vbi pro ephestride a Sacerdote album phelonium, recitatis quibusdam precibus, accipiebant. Postremo omnes simul conuiuatos esse. Quae aliquam in creandis Doctoribus nostris habent similitudinem.* Hactenus Pancirollus.

SVPPLEMENTVM LVIIII.

Ad *pag. 117.*

Excerptum illud Photianum Olympiodori docet, pallium Sophisticum, quo de ibi agitur, non fuisse duntaxat Rhetorum, sed etiam disciplinae illius studiosorum, habitum. 355

Quod dignum eſt obſeruatu, quoniam pallium alias habitus quaſi proprius fuit Philoſophorum. Forte autem Athenis duntaxat Sophiſticum aliquod iuuenile pallium fuit, & nonnihil a Philoſophico diuerſum. Non enim etiam aliis adſcribi illud ſolet. Illam ſane raritatem arbitror mouiſſe Photium, quare ad *Vitam Iſidori Philoſophi*, a Damaſcio conſcriptam, cum dixiſſet Damaſcius de ſemetipſo: λόγοις ἐπιδεικνύμην πρότερον, τὴν ἐπὶ Ρητορικῇ τρίβωνα περιθέμενος; cum cura notauerit, fuiſſe tunc temporis & pallium aliquod *Rhetoricum*. Nec vero hoc Rhetoricum pallium aliud fuit ab eo, quod Olympiodoro audit *Sophiſticum*.

SVPPLEMENTVM LIX.

Ad *pag. 117.*

Iam tum *Supplemento XII.* ex S. Auguſtino notauimus quaedam de petulantia eius aetatis ſtudioſorum iuuenum, & Carthagine & Romae vſitata. Notantur porro Canone 71. Concilii Trullani quidam petulantes mores eorum iuuenum, qui tunc temporis Conſtantinopoli Legum ſtudiis dabant operam. Habitum autem eſt illud Concilium in Trullo Conſtantinopoli, imperante Conſtantino Pogonato, iam tertio poſt Iuſtinianum ſaeculo. Latine verſus canon ille ita ſeſe habet: *Eos, qui docentur Leges ciuiles, Graecis moribus vti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas, quae dicuntur,* κυλίστρας *peragere, vel praeter vſum communem ſibi veſtes induere; nec, quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem eius perueniunt, vel, vt in ſumma dicam, in eius doctrinae dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere auſus fuerit, ſegregetur.* Qui illi fuerint Graeci mores, qualis in theatrum inductio, quae veſtium mutatio, qualis denique cyliſtra iſthaec, nos fugit. Et vero etiam ipſe Balſamo τὰ κύλιστρα tantum ex coniectura interpretatur: quoniam nempe eius aetate iſthaec iam deſierant

356

ſierant. Si tanti vero eſt, licet hinc diſcere, fuiſſe talia factitata tunc & initio, & fine, imo & medio tempore ſtudiorum Iuris: quae nempe ex Iuſtiniani inſtituto certo annorum numero erant circumſcripta. Perindigna autem fuiſſe illa omnia, indicat grauis delinquentibus indicta poena. Ἀφοριζέσθω enim, ait Canon: quod eſt *communicatione ſacra excludi.* Non abs re fuerit conferre, quae in *Diſſertatione pag.* 122. annotauimus ex *l.* 3. *Cod. de veteri iure enucleando.* Enimuero, inſignem etiam tunc fuiſſe petulantiam iuris ſtudioſorum, ſimulque ipſis Profeſſoribus fuiſſe illuſum, non ſolis iuuenibus, & ludos iſtos in crimina tranſiiſſe, ac proinde meruiſſe vindicari, Conſtantinopoli quidem a Praefecto Vrbis, Beryti autem a Praeſide Phoeniciae maritimae, Episcopo ciuitatis, & Legum Profeſſoribus, liquet ex ipſamet Iuſtiniani Imperatoris Conſtitutione.

Haud inanis forte ſuſpicio eſt, omnia haec inſtituta quaſi ad exemplum myſticarum initiationum: quales fuerunt olim non tantum in AEgyptiorum, Graecorum, aliorumque gentilibus ſacris, ſed etiam in monachorum clauſtris, imo ipſismet vbique receptis Chriſtianorum ritibus. Quam in rem quae obſeruauit Lucas Holſtenius *ad Vitam Pythagorae pag.* 71. *editionis Londinenſis*, eximia ſua eruditione promerentur & legi & cum cura expendi, vt reliqua omnia.

SVPPLEMENTVM LX.

Ad *pag.* 123.

Iampridem a viris Ebraice doctiſſimis ex Thalmudica Gemara, ad tit. *Megilla*, haec fuerunt adducta: *Synagogae erant Hieroſolymae quadringentae octoginta: in harum qualibet habebatur bibliotheca, & domus doctrinae. Bibliotheca ad lectionem Scripturae ſacrae: domus doctrinae, qua doceretur Miſchna.*

Has autem vniuerſas ſuſtulit Veſpaſianus. Iidem ex *Gittin* 357 memorauerunt, in vrbe Bitter, quae item cruenta clade a Romanis perdita eſt, fuiſſe ſynagogas quadringentas, vt alibi alias. Et vero inprimis olim celebratae Iaſnenſis, Zephoriana, Caeſarienſis, & Tiberienſis. De Bitterenſi quae narrant Iudaei, talia ſunt, vt fidem non mereantur: ſingulas nempe ſynagogas habuiſſe quadringentos auditores. Reapſe tamen magis inſana ſunt mendacia, quae iactant Iudaei de ſuo R. Hillel & Rabbi Akiba. Illi nempe fuiſſe aliquot auditorum millia: quorum octoginta ita eminuerint, vt triginta fuerint digni diuina conuerſatione ad inſtar Moſis, triginta alii digni, in quorum honorem ſol ſubſiſteret Ioſuae exemplo, reliquis excelſum nomen inter doctos obtinentibus; Akibam audiuiſſe diſcipulos viginti quatuor mille. Mitto ſimiles alias Iudaeorum portentoſas fabulas. Videtur autem, ſi non omnes illas ſynagogas veteres, quae ita laudantur a Thalmudicis, ſaltim pleraſque, fuiſſe Phariſaicas: quoniam illa ſecta & Thalmudicos & reliquos poſt Iudaeos infecit. Non enim Sadducaei potuerunt admittere in ſcholis ſuis *Miſchnam*, vtpote quae tota ſit Phariſaica. In omnibus porro paulo maioribus oppidis fuiſſe ſaltim aliquam ſynagogam, recte colligunt eruditi ex hisce verbis tituli *Megilla: Quaenam eſt ciuitas magna? Ea, in qua erant decem homines otii: ſi hoc numero minor, iam vicus eſt.* *Homines* nempe *otii* ſunt doctores ſynagogici. Verum non licet tuto Thalmudicis narrationibus fidere.

SVPPLEMENTVM LXI.

Ad *pag. 124.*

Notauimus in *Diſſertatione*, ſediſſe quondam doctores Iudaicos in cathedra editiore. Auditores porro ſediſſe 358 in terra, quaſi ad pedes magiſtrorum, iam pridem a multis

eſt

eſt obſeruatum. Illuſtrabimus id ipſum vno duntaxat teſtimonio Ludouici de Dieu, viri in hac literatura magni, qui ad illa *Actuum Apoſtolicorum XII.* vbi Paulus ait ſeſe educatum παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιήλ, ita commentatus eſt: *Sedebat magiſter in loco editiore: diſcipulus dicebatur proſtratus ſiue iacens in ſolo ad pedes magiſtri. Tamdiu dicebatur paruus, & tempus illud paruitas. Inde erat iuuenis, neque vocabatur niſi nomine patris: exempli gratia filius Simeonis. At poſt impoſitionem manuum, qua ad Rabbinatum promouebatur, appellabatur Rabbi Dauid, filius Simeonis. Hic dum eſſet ſocius magiſtri, non amplius iacebat in ſolo: at nec ſedebat ſedente magiſtro, ſed erat inclinatus ſiue in latus recumbens. At cum factus eſſet doctor Legis, vocareturque Magiſter noſter Rabbi, ſedebat, cum alios iuniores aut imperitos doceret: at ſtabat coram alio Rabbi ſene.* Haec ille.

SVPPLEMENTVM LXII.

Ad *pag. 125.*

In *Diſſertatione* diximus, Iudaeos olim ſuos magiſtros certis ritibus initiaſſe. Et vero primum collocauerunt in cathedram: deinde tradiderunt iis clauem & pugillares: tertio impoſuerunt manus: denique renuntiauerunt eos Rabbinorum titulo. Digna lectu de hoc argumento congeſſit Iacobus Altingius *lib. de Ebraeorum Republica ſcholaſtica pag. 106. & ſeqq.* Praeclara etiam ſunt, quae de hiſce commentatus eſt vir perquam inſignis, Ioannes Seldenus, in *Commentario* ad Eutychii, Patriarchae AEgyptii Alexandrinae Eccleſiae, *Origines n. X. pag. 18. & ſeqq. vsque ad 23.* Vt nunc ſilentio praeteream dicta Ioſepho Scaligero, Cunaeo, Buxtorfio, Grotio, Salmaſio, & aliis.

Quod porro monuimus, a Iudaeis tradi, quaſi olim Synedrii teſtimonium fuerit neceſſarium, illud ab Hillele eſſe inſtitutum, docet Seldenus. Placet tamen etiamnum id, quod diximus nos in *Diſſertatione*,

Quae

359 Quae de vera acceptione vocis νομικὸς diximus, confirmat illud, quod Stobaeus *ſerm. XLII.* ex Stoicis nescio quibus refert: Νόμιμον εἶναι ἄνδρα καὶ ἀκολουθητικὸν τῷ νόμῳ καὶ πρακτικὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ προσταττομένων: Νομικὸν δὲ τὸν ἐξηγητικὸν τοῦ νόμου. Merentur conferri, quae Grotius annotauit ad *Matthaei cap. II. v. 4.* Quae item nos annotauimus de inſolente auctoritate, quam ſuis Rabbinis Iudaei tribuere ſunt ſoliti, illuſtrat prae aliis eximium in modum Ioannis Friſchmuthi longe doctiſſimus libellus de eo: *vtrum Ebraei ſtatuant, idem ſimul poſſe eſſe & non eſſe.*

SVPPLEMENTVM LXIII.

Ad *pag. 129.*

Praeclara quaedam de Synagogarum Decemuirali collegio notauit Io. Saubertus, non tam generi nomine, quam eximia doctrina, mihi multo acceptiſſimus, in opusculo ſubiuncto Diſſertationi Panegyricae *de ſtudii linguae Ebraeae in Theologia vtilitate & neceſſitate:* interque ea: ſextum illius collegii dictum eſſe *Miniſtrum ſynagogae publicum*, item *Nuntium Eccleſiae* ſiue ἄγγελον τῆς Ἐκκλησίας, vt & *Inſpectorem congregationis* aut Ἐπίσκοπον. De hoc ſcripſiſſe Maimonidem: *Non conſtituunt Miniſtrum ſynagogae, niſi qui ſit excellens in coetu ſapientia & factis: &, ſi ſit ſenex, tanto honoratior erit apud reliquos. Et operam ſedulo nauant, vt Miniſter ſynagogae acceptabilem habeat vocem, ipſeque exercitatus ſit in legendo. Si tamen barba eius non ſit plena, licet ſit valde ſapiens, Miniſter ille ſynagogae conſtitui non poteſt, propter reuerentiam coetus.* Secundum hanc doctrinam Episcopi Eccleſiae non reſpondeant Archiſynagogis, ſed illis, qui in Synagogico Collegio ſexti fuerunt ordinis: reapſe tamen Episcopi olim audierunt quoque προεστῶτες ſiue *antiſtites.*

SVP-

SVPPLEMENTVM LXIV.

Ad pag. 134.

Bulla Gregorii IX. Papae, cuius quaedam verba produximus fide Naudaei, si integra prodiisset hactenus in lucem, potuissemus multa certo constituere. Obseruari autem ex verbis adductis etiam hoc licet, iam tum Papali auctoritate constitutum *Cancellarium* aliquem, a quo dependeat honorum Doctoralium collatio. Et vero ad hoc Parisiensis scholae exemplum videntur passim ex eo tempore in eundem vsum Academici Cancellarii coepisse. Vt sane antehac nullius Doctoralium honorum collationis, ita nec vlla Academici Cancellarii vsquam reperitur memoria. Mirum vero, huius Gregorianae Bullae nullam esse a Filesaco etiam factam mentionem in libro perquam accurate alias conscripto *de Schola Theologica Parisiensi*, editoque Lutetiae anno 1620.

SVPPLEMENTVM LXV.

Ad *pag.* 135.

Quae Filesacus disseruit hac pagina *Dissertationis*, illa confirmantur iis, quae de Petro Abaelardo narrauit Otto Frisingensis *lib. I. de gestis Friderici Imperatoris cap. 47. Habuit primo praeceptorem Rozelinum quendam: qui primus nostris temporibus sententiam vocum instituit, & post ad grauissimos viros, Anselmum Laudunensem, & Guilhelmum Campellensem, Catalauni Episcopum, migrans, ipsorum dictorum pondus tanquam subtilitatis acumine vacuum iudicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens Parrhisios venit, plurimum in inuentionum subtilitate, non solum ad Philosophiam necessariarum, sed & pro commouendis ad iocos animis vtilium, valens. Vbi occasione quadam satis nota non bene tractatus, monachus in monasterio S.* Dionysii *effectus est. Ibi die*

361 *noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto de acutior, literato efficitur literatior, in tantum, vt post aliquod tempus ab obedientia Abbatis sui solutus, ad publicum prodiret, docendique rursus officium assumeret.* Disseruit praeterea eodem hoc de argumento in Filesaci sententiam & Ioannes Launaeus, curiosus eiusmodi rerum Parisiensis scholae indagator, fabularumque sacrarum complurium felix triumphator, libello, quem de Brunonis, primi auctoris Carthusianae disciplinae, secessu in eremum conscripsit, nonnulla *pag.* 109. & 110: sed prolixiora sunt, quam vt huc transscribi possint, estque ipse libellus vulgo in manibus: certe meretur lectionem diligentem.

SVPPLEMENTVM LXVI.

Ad *pag.* 136.

Purpureum galerum ab Innocentio, id nominis quarto Pontifice, Cardinalibus esse concessum, non Massonus solus, sed etiam, & pridem, Martinus, ac post Platina atque Onuphrius testati sunt. Platinae verba sunt: *Idem* (Papa scilicet Innocentius,) *bono consilio vsus, Cardinalium sedes iampridem vacuas, optimo quoque in collegium cooptato, repleuit: statuitque, vt Cardinales equo in publicum vecti galero rubro vterentur, honestandi ordinis causa.* Ad quae Onuphrius haec annotauit: *Hic in vigilia Natalis Domini anno MCCXLIV. Lugduni in Concilio generali, duodecim Cardinalibus creatis, eius ordinis hominibus proprium insigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus, qui eo tempore vixit, in huius Pontificis Vita. Quo significabatur, eos etiam caput suum, si opus esset, pro Ecclesiastica libertate tuenda gladio offerre debere: & praesertim eo tempore, quo Romana Ecclesia a Friderico II. Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua eius ordinis insignia posteriores Pontifices excogitarunt: in his praecipuus fuit Paulus II.* Hactenus Onuphrius

us Panuinius. Sunt, qui eidem Innocentio acceptum referunt pileum purpureum Doctoralem: sed hactenus certum huius rei argumentum nullum reperi. Dicemus sententiam nostram *Supplemento* proximo.

SVPPLEMENTVM LXVII.

362

Ad *pag. 138.*

I.

In Clementinae, a nobis in *Dissertatione* adductae, verbis diserta sit mentio insignium Doctoratus: & quidem ita, vt appareat, tunc temporis fuisse illa in vsu, & solenni ritu cum grauibus impensis (*circa cibos, vestes, & alia, recipi* tunc solita. Lata autem est illa Clementina in Concilio Viennensi sub Clemente V. statim initio saeculi decimi quarti. Vt proinde insignia Doctoratus aut Magisterii iam tum saeculo praecedenti tertio decimo coeperint non minus, atque eorum solennes collationes. Ad illa autem Clementinae verba hanc glossam adiecit Ioannes Andreas, magni nominis Bononiensis Iurisconsultus. *Ita loquimur nos.* (Bononienses videlicet.) *Et ista Insignia sunt, Cathedra, Birretum: apud aliquos Liber, Annulus, Osculum.* Vt proinde Bononiae *Cathedra* tantum & *Birretum* inter insignia Doctoratus fuerint numerata: in aliis autem Vniuersitatibus obseruata & reliqua: quo quidem tempore vixit Andreas ille, quem constat obiisse anno 1346. Non contemnenda porro de insigniis illis notauit & Guido Pancirollus, ICtus Italus eleganter doctus, *lib. I. cap. 33. Variarum lectionum:* quae igitur etiam hic merentur legi. *Nostrorum Doctorum insignia sunt Pileus quadratus, qualem sacerdotes gerunt, vt Iustitiae Sacerdotium in eos, qui creantur Iurisconsulti, translatum esse significetur: etsi in Italia hoc hodie in desuetudinem abiit.*

Item Annulus pro signandis responsis iisdem traditur. Longa quoque vestis, qualem gestant sacerdotes: & Cathedra atque Liber, quae ad indicandam datam ad docendum & Iura interpretandi facultatem abhibentur. Osculum autem, quo Doctor creatus excipitur, est gratulationis porta, dignitatis demonstratio, non insigne. De quibus Glossa in Clement. 2. in verb. Insignia t. de Magistris, & ibi Canonistae. Haec Pancirollus: vbi tamen, quo auctore hi ritus coeperint, non docet, forte nec in aliis veritatem assecutus, vti mox patebit. Longe altius petita sunt, quae Nicolaum Peirescium, virum vtique pereximium, de horum Insignium origine in Aquensi Academia disseruisse, refert Petrus Gassendus *Vitae Peirescii lib. I.* fine. *Biduo post*, inquit, *cum ornamenta Doctorea in fratrem conferret, dici non potest, qua suavitate auditores perfuderit. Scilicet ex statua quadam Metrodori, cum galero suo seu Arcadico pileo, & infulis, cumque pallio Philosophico & annulo in sinistra manu; itemque ex statuis quibusdam Hippocratis cum simili pallio epomideque adiuncta; ex inscriptione quadam Eubuli Marathonii, & infulata statua non ad ceruices, sed circum caput; ex consimilibus Platonis, Theophrasti, Phauorini, aliorum; ex innumeris aliis (vt breue faciam,) monumentis ostendit, quemadmodum vsus eiusmodi ornamentorum ab vsque Graecis ad Latinos, & ad nos vsque, transierit; quemadmodumque ex Philosophia atque vetere sacerdotio gradum fecerit in doctrinam professionemque multiplicem recentiorum Academiarum: idque citatis passim Conciliis, Patribus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Oratoribus, quibus plenam faceret fidem.* Hactenus etiam ille.

363

II.

Vt vero nec meam de hoc argumento dissimulem coniecturam, non equidem negauerim, ex veteris aeui Philosophorum & Sacerdotum, etiam ipsorummet gentilium, habitu in Christianos Graecos pariter Latinosque mores quaedam transiisse; quoniam tamen saeculo tertio decimo prisca illa & obsoleta fuerunt, & forte nemini mortalium amplius nota, liquidum est, illos, qui tunc temporis isthaec insignia

ſignia Doctoratuum inſtituerunt, ad exempla antiqua non reſpexiſſe. Non poteſt etiam placere, quod de ſignificatione *annuli* tradidit Pancirollus, de ſignandis nempe annulo reſponſis: quia annulus non eſt inſigne ſolis Iuris Doctoribus proprium, ſed commune omnibus etiam Doctoribus reliquis. Mea igitur ſententia haec eſt. PRIMO omnis illa inſignium Doctoralium collatio coepit demum ſaeculo tertio decimo: quandoquidem ante iſtam tempeſtatem in ipſa omnium primaria Pariſienſium ſchola ſolenni more nemo Doctor eſt creatus. SECVNDO ipſa illa inſignia & ſolennia quaeuis Doctoralia in id inſtituta ſunt, vt quaſi in Clericorum ordinem omnes Doctores & Magiſtri cooptentur. Et vero *pileus* ille ſacerdotalis eſt habitus: etſi Pariſiis initio fuerit rotundus, & denique anno MDXX. ibi mutauerit in quadratum cornutum: teſte harum rerum perquam curioſo annotatore, Ioanne Launoio, Theologo Sorbonico, *lib. de ſeceſſu Brunonis pag. 186.* Ad ſacerdotium Iuſtitiae reſpexiſſe primum inſtitutorem, quod ſtatuit Pancirollus, non eſt veroſimile, quoniam non ſolis Legum, ſed etiam Theologiae, Medicinae, & Philoſophiae Doctoribus conueniat. *Annulo* quaſi pronubo praeterea ab antiquis illis quidem temporibus, non minus, atque hodie, Epiſcopalia munera conferri ſolent. *Longa* denique *veſtis*, qua etiamnum paſſim Doctores vti ſolent, vere ſacerdotalis eſt habitus, ceu recte notauit Pancirollus. Tantum *liber* & *cathedra* ſunt aliquid Doctoribus proprium. Accedit, quod omnis graduum collatio olim facta fuerit, & nunc quoque fiat, ſi ius Pontificium ſpectemus, quaſi auctoritate alicuius Epiſcopi aut Archidiaconi, certe non niſi eius, qui clericali pollet dignitate. TERTIO, inſtitutum hoc omne deberi alicui Romanorum Pontificum, per facit veroſimile illud, quia & totum vergit in ſacri ordinis augmentum, & in omnes ſcholas publicas eſt introductum: quale quid nullus

364

Imperator, Rex, vel Princeps valuit efficere: quia denique plurimis olim perſuaſum fuit, omne ſcholaſticum ad Romanae Curiae ditionem pertinere. QVARTO item perquam probabile mihi reddit illud, quod *Diſſertatio* habet *pag.* 365 *137.* de priuilegio Pariſienſibus Doctoribus per Nicolaum IV. dato, perinde atque ab illo Nicolao eſt illud pereximium, quod ibi attulimus in medium, ita etiam omne hoc de Doctoralium inſignium collatione eidem acceptum eſſe referendum. Certe purpureus pileus Doctorum non potuit coepiſſe prius, quam ille Cardinalibus fuit conceſſus. Fateor tamen, hoc meum de Nicolao IV. Papa auctore tantum coniecturam eſſe; rem vero omnem quamrectiſſime intelligi poſſe ex priuilegiis Pontificiis, Pariſienſi & Bononienſi Scholae conceſſis, modo illa in lucem promerentur.

III.

Ne quis porro dubitet, Doctoribus olim inſignia Doctoratus, quae appellantur, tanquam Clericis eſſe conceſſa, atque adeo Doctores & Magiſtros Clericis fuiſſe annumeratos, afferam hoc loco ſaltim illa, quae notauit Pancirollus *Variar. lection. lib. I. cap. 89.* Cum enim dixiſſet, in Italia olim *omnes, qui a mechanicis artibus vacabant, ſiue adminiſtrandis magiſtratibus, vel conſcribendis inſtrumentis, ſiue docendo ſiue interpretando iuri operam dabant*, Iudices *vocatos,* ſubiungit haec verba: *Poſtea vero quam longis ac ſacerdotalibus veſtibus, quadratoque pileo, inſigniri Doctores coeperunt, Clerici ſunt appellati: (vt ex vetuſtis inſtrumentis conſtat:) & alii ad eorum differentiam Laici. Quo vocabulo noſtri Doctores ſaepe vtuntur, cum quid Laicis diſplicuiſſe dicunt. Vt Paulus Caſtrenſis, qui Laicos Legum imperitos interpretatur.* Taceo, quod non olim duntaxat, ſed hac etiam tempeſtate, compluribus fuerit viſum, Academias eſſe corpora non ſaecularia, ſed Eccleſiaſtica: quibus proinde ea, quae de inſtituto Doctoralium inſignium attulimus, non poterunt diſplicere.

SVP-

SVPPLEMENTVM LXVIII.

Ad *pag.* 140.

Saeculo quarto uRomae pariter & Constantinopoli omnem in studiosos liberalium doctrinarum iurisdictionem fuisse penes Praefectum Vrbi, liquidum est cum aliunde, tum ex lege prima Codicis Theodosiani *de studiis liberalibus Vrbis Romae & Constantinopolis.* Constitutio illa lata est a Valentiniano, Valente, & Gratiano, Imperatoribus. Quam quia singulari libello illustrauimus, non est, quare hic ex ea, quae huc faciunt, afferamus. Non igitur Athenis Atticis duntaxat, sed etiam alibi passim, omnis Scholastica iurisdictio fuit ordinario magistratui ciuili commissa. 366

Fuit nempe magna quidem auctoritas isthac tempestate Atticorum Sophistarum, vel Atheniensium Oratoriae Professorum: nulla tamen illis competiit iurisdictio. Enimuero magnifica sunt verba, quae Eunapius de Iuliano Sophista protulit: Καὶ ἐτυράννει γὰρ τῶν Ἀθηνῶν παρά τοῦτον ἡ πᾶσα νεότης πανταχόθεν ἐχώρει, ῥητορικῆς ἕνεκεν τὸν ἄνδρα καὶ μεγέθους φύσεως σεβαζόμενοι. In Proaeresio idem Eunapius ait: Καὶ τὴν ἐπὶ λόγοις βασιλείαν εἶχεν αὐτοί. Item: Τὸ δὲ Προαιρεσίου τύραννις ἐδόκει τις εἶναι καὶ εὐτυχεῖν, ἡ ἀρετὴ τῶν λόγων ἐδόκει καλῶς. In quantas porro factiones scindere potuerint etiam ipsas prouincias Romanas, discere est ex iis, quae narrat Eunapius de iis, quae contigerunt circa electionem Proaeresii. Ad hoc in frequente tunc vsu fuit de cathedra Professoria vox θρόνου & βήματος. Caeterum si rem ipsam propius intuearis, nihil huius iurisdictionem aliquam significauit. Vsque sane adeo parum contra petulantiam iuuentutis valuit ipse Proaeresius, vt non nisi precibus potuerit mitigare vexationes insolentium iuuenum, quibus illi adventantem Athenas Eunapium & aegrotum malo tunc re-

cepto

cepto more exagitare instituerant: quod ipsemet narrat Eunapius.

367 SVPPLEMENTVM LXIX.

Ad *pag.* 142.

In *Authentica* legitur, *habitam super hac re diligentem inquisitionem Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Iudicum, & aliorum procerum sacri palatii examinationem.* Quae verba indicant illa tempestate τῆς νομοθεσίας vsitatam rationem, diuersam scilicet ab ea, quae monarchiae competit. Sine causa porro nonnulli solliciti sunt de non facta hic mentione Electorum Principum. Nondum enim tunc erant illi instituti: sed & sero coepit illorum prae aliis Principibus singularis quaedam in tabulis Imperii commemoratio. Id potius mirere, Comitum nomen hic non comparere. At vero latent illi sub titulo *Iudicum*: quoniam reapse significatione prisca Germanica *Grauio* idem est, quod Iudex, ceu alias ostendimus: quam *Grauionum* dignitatem primi Franci coeperunt *Comitum* voce appellare propter aliquam Comitiuae antiquae dignitatis & Grauionatus affinitatem. Maiorem attentionem meretur occurrens hoc loco illud *sacri Palatii.* Demonstrauimus scilicet nos *cap. XI. Censurae Diplomatis Lindauiani*, Romanorum quidem Imperatorum Palatium omne ἁπλῶς *sacrum* olim cognominatum esse, sed Francorum Regum illud solum, quod vacabat Ecclesiasticis negotiis. An vero Fridericus Imperator hic locutus sit more Romano, an Francico, haud sine causa dubites. Etenim renato tunc Iustinianeo iure certum est mutasse, ex instinctu indubie iuris illius magistrorum, nonnulla circa Caesaream & Imperii publicam dignitatem, atque adeo tunc demum coepisse illam appellationem *sacri Romani Imperii.* Forte igitur & Palatio Caesareo ἁπλῶς tunc *sacri* titulus accessit, vt & Consititu-

ſtitutioni cuiuis, recepto in Iuſtinianeo Codice more. Forte tamen *proceres ſacri Palatii* tunc audierunt ſoli illi, qui cauſas ſacras ſiue Eccleſiaſticas tractabant: quandoquidem ſcilicet 368 haec etiam deliberatio credita fuit ad forum Eccleſiaſticum pertinere, vt ſcholaſticum omne. Ego nihil definire auſim, ſed malo ἐπέχειν.

SVPPLEMENTVM LXX.

Ad *pag. 143.*

D*iſſertatio* adduxit ſola iſthaec *Authenticae* verba, quae ad iurisdictionem ſpectant in Scholares. Hoc loco nos integram dabimus, quoniam deinceps etiam alia huius *Authenticae* veniunt illuſtranda. *Habita quidem ſuper hoc diligenti inquiſitione Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Iudicum, & aliorum Procerum ſacri noſtri Palatii examinatione, omnibus, qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime diuinarum atque ſacrarum Legum Profeſſoribus, hoc noſtrae pietatis beneficium indulgemus, vt ad loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quam eorum nuntii, veniant, & in eis ſecure habitent. Dignum namque exiſtimamus, vt, cum omnes bona facientes noſtram laudem & protectionem omnimodo mereantur; quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis, eius miniſtris, vita ſubiectorum informatur; quadam ſpeciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiae exules facti, de diuitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & a viliſſimis ſaepe hominibus (quod grauiter ferendum eſt,) corporales iniurias ſine cauſa perferunt. Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de caetero tam audax inueniatur, qui aliquam ſcholaribus iniuriam inferre praeſumat: nec ob alterius cuiuscunque prouinciae delictum, ſiue debitum, (quod aliquando ex peruerſa conſuetudine*

factum audiuimus,) aliquod damnum eis inferat: scituris huiusmodi sacrae Constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiae eis ipso iure irroganda, dignitate sua se carituros in perpetuum. Veruntamen si litem eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione data Scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius ciuitatis Episcopo, (quibus hanc iurisdictionem dedimus,) conveniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere tentauerit, etiamsi causa iustissima fuerit, a tali conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Constitutiones, scilicet sub titulo Ne filius pro patre, *&c. inseri iussimus. Dat. apud Roncalias, anno Domini 1158. mense Nouembri.* Hactenus *Authentica* isthaec. In qua non nisi de perquam paucis agi, liquidum est, si verba spectemus: & tamen, quod merito mirere, imo improbes, solent vulgo tantum non omnia Academiarum priuilegia ab interpretibus quibusdam hinc exsculpi: quorum tamen pleraque longo post tempore demum & per partes sunt instituta. Enimuero laxis illis interpretationibus, me quidem iudice, verus *Authenticae* sensus paene interiit. Sed &, cum priuilegia sint stricti iuris, non est fas, isthaec vltra verborum praescriptum extendere.

SVPPLEMENTVM LXXI.

Ad *pag. 144.*

Securitatem adeundi loca, *in quibus literarum exercentur studia*, vtque in iis secure possint habitare, non Scholaribus duntaxat peregrinantibus, sed etiam, & quidem *maxime, diuinarum humanarumque Legum Professoribus*, nec non eorum *nuntiis*, iam tum in hac *Authentica* indulserat Imperator. Itaque hactenus par omnium horum est ratio. Dixeris tamen haud abs ratione, ad solos omne hoc peregrinantes pertinere, non autem etiam ad eos, qui nati in locis literarum

literarum ſtudio conſecratis ibidem in patria ſua literis dant operam: quibus nempe iam tum per ordinarios magiſtratus ſatis fuit cautum, nec proinde ſimilia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porro ad omnis doctrinae, ſed ſolos Legum Profeſſores & Studioſos, *Authentica* haec ſpectat. Id quod non eſt, quod miremur: quandoquidem iſthac tempeſtate non tantum non Bononiae, ſed nec alibi per vniuerſas Imperii terras, aliud quoddam doctrinae genus in ſcholis doceretur: ſecus quam Pariſiis & in Britannia obtinebat. 370

Quod forum attinet, de ſolorum ſcholarium litibus aliquid ſub finem *Authenticae* eſt conſtitutum: nec videtur trahendum hoc etiam ad Profeſſores. Diſerte enim ſolis ſcholaribus data eſt fori optio: nec Profeſſorum aliquis habuit magiſtrum, coram quo potuerit conueniri. Veroſimile mihi eſt, Profeſſorum cauſas ad forum Eccleſiaſticum ordinarium tunc pertinuiſſe, quandoquidem iam tunc temporis Profeſſores clericorum fuerunt ordini accenſiti. Quae res deinde in quammultis locis plurimum mutauit.

SVPPLEMENTVM LXXII.

Ad pag. 144.

De permiſſa optione legum, iam tum ſaeculo nono in Italiam introducta, diximus latius *lib. de Origine Iuris Germanici cap. 20. pag. 107.*

SVPPLEMENTVM LXXIII.

Ad *pag. 145.*

Vt liqueat, optionem fori etiam olim alias fuiſſe in vſu, afferemus hoc loco doctiſſimi & Iuris quoque prudentiſ-

ſimi ſcriptoris, Iacobi Gothofredi, Dionyſii F. verba quaedam ex illo elegantiſſimo commentariolo, quem ſeorſim *ad leg. Si Barſatoram 13. Cod. de Fideiuſſorib.* conſcripſit. *Optioni* inquit, *praeuentionique locus olim eſſe quandoque poterat, ſiue in transmittendis reis a municipali magiſtratu, vt hoc loco, ſiue* 371 *in vindicandis ab vno diligentiore e pluribus iudicibus competentibus, ſiue etiam in eligendo iudice a litigatore, vt l. 1. Cod. de off. Rect. prou. & t. 36. C. Theod. de appell. Pariter vt ſimili alternatiuae ſeu optioni in Eccleſiaſticis quoque negotiis quandoque locus fuit; referendi, inquam, de fide, agendique vel apud Metropolitanum prouinciae aut Exarchum dioeceſeos: vt vel ex ſolenni Hieronymi ep. 61. diſcimus, & ex canone 9. & 17. Concilii Chalcedonenſis.* Haec Gothofredus. Eſt autem optio fori etiam hodie frequentiſſimi vſus: quandocunque ſcilicet cauſa aliqua non eſt adſtricta vni foro ordinario, ſed ad multa pro libitu partium poteſt deferri.

SVPPLEMENTVM LXXIV.

Ad *pag. 147.*

In *Diſſertatione* vocem Authenticae *Dominum* accepimus de domino loci ſiue ciuili magiſtratu. Iam tum autem in *Addendis pag. 194.* annotauimus, haud vero abſimile videri, Dominum hic ſignificare *magiſtrum.* Et vero Italis ea tempeſtate, qua Conſtitutio illa Friderici Imperatoris prodiit, κατ' ἐξοχὴν Scholaribus audiiſſe *Domini* voce magiſtrum, liquet non ex iis duntaxat, quae in *Addendis* attulimus, ſed etiam ex plurimis aliis, atque adeo & ex Ottonis Muraenae illa narratione, quam adduximus *Supplemento quinquageſimo primo.*

Notandum praeterea, non dici in Authentica *Magiſtros*, ſed *Magiſtrum;* nec fieri mentionem Scholae Rectoris. Vtrumque autem arbitror factum, quia tunc temporis nondum obtinebant collegia Profeſſorum aut Magiſtrorum, ſed ſinguli

guli docebant & agebant res ſuas. Id quod Pariſiis quoque eo tempore factum, iam *Diſſertatione quarta* docuimus: nec obſcure indicatur etiam illa Muraenae narratione de Bononienſibus primis doctoribus. Non ergo iſthac tempeſtate etiam Rector aliquis fuit Vniuerſitatis. Proindeque videtur *Authentica* accipienda de vno aliquo magiſtro ſiue doctore, cuius iudicio ſeſe ſubmittere potuit pro lubitu Scholaris, ſi quidem magiſtri plures reperirentur. Sic iam tum Guernerio viuente plures tales habuit Bononia: quorum tamen potiſſimus fuit Guernerius, vt & is, qui in defuncti locum ſucceſſit; de qua proinde ſucceſſione reliqui magiſtri Wernerum conſuluerunt, Muraena teſte. 372

Notandum porro eſt etiam atque etiam, Friderici hanc Conſtitutionem pertinere ad Scholares iam tum in loco literarum ſtudiis dicato viuentes; de iis autem, qui locum illum nondum attigerunt, nihil eſſe conſtitutum. His igitur non competiit illa fori optio: nec potuerunt illi vel ab Epiſcopo vel a magiſtro iudicari. Vnde manifeſtum eſt, illos manſiſſe iurisdictioni ordinariorum cuiuslibet loci magiſtratuum obnoxios.

SVPPLEMENTVM LXXV.

Ad *pag.* 147.

Quae in *Diſſertatione* habentur de tribus optiuis Scholarium iudicibus, vt & de Domino loci, illa iam retractauimus: ac proinde omnino mutanda ſunt. Rectiora etiam paulo ante attulimus de eo, ſi Scholares ſint adhuc in itinere: nempe tunc optionem fori admitti non poſſe, *Authenticae* quidem huius auctoritate. Eſt autem fortaſſis vero haud abſimile, auctores huius conſilii, nempe de iudicio ſcholarium Epiſcopo & Magiſtris concedendo, fuiſſe illos, qui tunc

temporis conuentui publico interfuerunt, Bononienſes Legum Profeſſores, & hos ſpectaſſe illud, quod Iuſtinianus conſtituit *l. omnem c. de veteri iure enucleando*, vbi coërcitio petulantium iuuenum, qui Beryti viuebant ſtudiorum Iuris cauſa, ex parte committitur *Epiſcopo & Legum Profeſſoribus*. Conuenit porro iſthaec iurisdictio aliquatenus etiam Platonis legibus, quas ille voluit in optima republica obſeruari. Etenim *lib. XII.* praeclari, imo nunquam ſatis laudandi, *Legum* operis conſtituit, vt de iniuriis illatis alicui Philoſophicae ſcholae, minoribus quidem ſacerdotes, maioribus autem rerum venialium curatores, cognoſcendi iudicandique habeant poteſtatem.

373

SVPPLEMENTVM LXXVI.

Ad *pag.* 157.

Reipublicae alicuius formam in Pariſienſi quidem ſchola coepiſſe iam ſaeculo tertiodecimo, videtur certum eſſe & poſſe ſecure affirmari. Et vero integro illi corpori Academico non defuiſſe *Rectorem*, liquet ex verbis epiſtolae Innocentii quarti aut ſexti, ad Vniuerſitatem Pariſienſem ſcriptae, quae fide Middendorpii iam tum in *Diſſertatione* adduximus *pag.* 151. *Statuimus, quod nullus in Vniuerſitatem veſtram Magiſtrorum & Scholarium, aut Rectorem vel Procuratores veſtros cuiuscunque aut quarumcunque Facultatum, &c. audeat ſententiam promulgare.* Audimus hic ſimul nomen *Facultatum:* quo patet, tunc temporis fuiſſe Pariſiis iam varias Facultates ſiue collegia doctrinarum. *Procuratores* porro *Facultatum* videntur illi eſſe, qui alias *Decani* audiunt. Fuiſſe autem & *Decani* appellationem tunc vſu Pariſiis receptam, oſtendunt verba Lanfranci, Mediolanenſis patria, ſed Pariſienſis Medicinae Doctoris, quae ille habet fine operis *Chirur-*

rurgiae completae dicti, ſcripti anno 1295. vbi ait, *ſe a quibusdam Doctoribus, & nominatim a Magiſtro Ioanne Paſſauante, Medicorum Decano, nec non a quibusdam valentibus Baccalaureis, rogatum, vt lectiones Medicas aggrederetur, tanta ſubinde Scholaſticorum multitudine fuiſſe ſtipatum, vt eorum centeſima parte ſe minime dignum agnoscèret & arbitraretur.* Cum autem Medicis ſuus fuerit Decanus, non potuerunt non & Theologi aliquem habere & Philoſophi. Iam porro & *Cancellarium* tunc fuiſſe conſtitutum, a quo Artiſtarum, qui appellabantur, & Medicorum collegia honorum Academicorum collationem petierint, iam tum notum eſt ex Bullae Gregorii IX. Papae illis verbis, quae non in *Supplementis* duntaxat, ſed in *Diſſertationibus* ſaepius protulimus in medium: illis nempe: *De Phyſicis autem & Artiſtis Cancellarius promittit, bona fide examinare magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos.* Vbi etiam *examinum Magiſtralium* deprehendimus memoriam. Procul dubio autem habuit tunc & Theologica Facultas ſuum Cancellarium: quia iſthac tempeſtate coeperunt vtique graduum Theologicorum, qui vocantur, discrimina, & praeuia honoribus varia exercitia, ceu iam tum ex Fileſaco in *Diſſertationibus* non ſemel docuimus. Denique vero, & Iurisdictionem aliquam ſingularem Academiae tunc fuiſſe conceſſam, oſtendimus. Ex quibus omnibus manifeſtum fit id, quod diximus, Rempublicam nempe Academicam quandam ſaeculo Chriſtiano decimo tertio Pariſiis inſtitutam eſſe. Eapropter arbitramur, & Bononiae idem quid factum, vt & Patauii, aliisque in Italiae locis, vbi tunc ſcholae Academicae ſunt natae.

374

Quanquam vero respublica aliqua Academica iam tunc coeperit, verum eſt tamen id, quod habet *Diſſertatio*, in Germania noſtra illam formam, quae iurisdictionem ſolis tribuit Profeſſoribus, longe eſſe recentiorem.

SVP-

SVPPLEMENTVM LXXVII.

Ad *pag.* 158.

Quae narrauimus de vindicata duorum Scholarium Parisiensium morte, nescio, an non facta fuerint ideo, quod Scholares illi simul fuerint clerici. Ita autem isthaec iure non possent trahi ἁπλῶς ad Studiosos omnes, quamuis laicos. Id quod monendum duximus.

375

SVPPLEMENTVM LXXVIII.

Ad *pag.* 159.

Diximus, instituta Academiarum varia esse, nec certo posse definiri omnium primam originem. Id longe esse verissimum, nemini non est notum, qui quidem ad res Academicas attenderit. In quammultis tamen, & potissimis quidem, Academiae omnes conueniunt, nunc quidem temporis, etsi non statim a primo initio. Cuius rei caussa est, quoniam recentiores quaeque statim circa principia nactae sunt Pontificum, Caesarum, aut Regum beneficio ea omnia, quae vetustiores quaeque per partes & sensim fuerant consecutae. Certe de singulis definiri nihil certi potest, nisi inspectis earum publicis tabulis aut Diplomatibus, factaque diligenti omnium collatione. Id quod hactenus fieri non potuit a quoquam, quandoquidem tabulae istae non sunt editae in lucem aut ad omnium notitiam peruenere.

SVPPLEMENTVM LXXIX.

Ad *pag.* 161.

Annotauit nonnulla de honore Academiis habito Io. Limnaeus *lib. VIII. Iur. Publici cap. 1.* vt & in vtroque *Additio-*

ditionum tomo ad caput illud *n.* 74: quae digna ſunt, vt cum hisce noſtris conferantur. Nec enim vacat illa exſcribere: praeſertim quia Limnaeana iſthaec etiam vulgi teruntur manibus.

SVPPLEMENTVM LXXX.

Ad *pag.* 166.

De legibus, quas Conſtantinus Magnus in Profeſſorum gratiam condidit, praeclare egit Franciscus Balduinus, Iurisconſultus vere πολιτικὸς, (quae rara laus eſt,) in *lib. II.* ſui *Conſtantini Magni*, ſiue *de Conſtantini Imperatoris legibus Eccleſiaſticis ac ciuilibus Commentariorum*: qui liber, vt viri pleraque, eſt ſine exemplo multa eruditione & prudentia refertus.

SVPPLEMENTVM LXXXI.

376

Ad *pag.* 167.

In Honorii & Theodoſii iſthac Conſtitutione etiam *Philoſophiae praeceptoribus* priſca a Caeſaribus indulta priuilegia eſſe confirmata, meretur annotari: quandoquidem iampridem Philoſophis minus fauerant Caeſares, ſaeculo etiam tertio Chriſtiano: qua de re nonnulla iam monuimus *Supplemento quinquageſimo ſexto.* Haud fuerit fortaſſis absque pretio operae, nonnulla heic addere Vlpianea, excerpta *ex l. Praeſes ff. de extraordinariis cognitionibus. Praeſes prouinciae de mercedibus ius dicere ſolet: ſed praeceptoribus tantum ſtudiorum liberalium. Liberalia autem ſtudia accipimus, quae Graeci* ἐλευθερίας *appellant. Rhetores continebantur, Grammatici, Geometrae. Medicorum quoque eadem cauſa eſt, niſi quod iuſtior: cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem ius dici debet. &c. An & Philoſophi Profeſſorum numero ſint? Et non putem: non quia non religioſa res eſt, ſed quia hoc primum*

profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere. Proinde ne Iuris quidem ciuilis Profeſſoribus ius dicent. Eſt quidem res ſanctiſſima ciuilis ſapientia, ſed quae pretio nummario non ſit aeſtimanda, nec dehoneſtanda: dum in iudicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit: quaedam enim, tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen petuntur. Haec Vlpianus, niſi fallor, & Philoſophis & Legum Profeſſoribus haud parum iniqua. Quaſi ſcilicet ſanctitas doctrinae prohibeat, honorarium aut laborum aliquam mercedulam petere. Quanto rectius Apoſtolus, illi, qui ſeruit altari, vitae ſubſidium ex altari deberi, ſtatuit! Bene vero eſt, quod nemo non hodie illa Vlpianea ſaltim contrariis moribus improbet: tantum merito mireris, Tribonianum illa *Corpori Legum* inſeruiſſe, cum tamen ipſe pecuniae fuerit cupidiſſimus, imo hoc vitio paene infamis.

377

SVPPLEMENTVM LXXXII.

Ad *pag.* 169.

Fortaſſis meretur inter Studioſorum priuilegia primo loco referri, quod ex Vlpiano habetur *l.* 17. *ff. de rebus creditis. Cum filiusfamilias viaticum ſuum mutuum dederit, cum ſtudiorum cauſa Romae ageret; reſponſum eſt a Scaeuola, extraordinario iudicio eſſe illi ſubueniendum.* Paris notae ſunt, quae habentur itidem ex Vlpiano *l.* 18. *ſi longius ff. de Iudiciis*, ac proinde etiam digna, quae hic repetantur. *Nam & Iuliano placet: ſi filiusfamilias legationis vel ſtudiorum gratia aberit, & vel furtum vel damnum iniuria paſſus ſit, poſſe eum vtili iudicio agere, ne, dum pater exſpectatur, impunita ſint maleficia: quia pater venturus non eſt, vel, dum venit, ſe ſubtrahit is, qui noxam commiſit. Vnde ego ſemper probaui, vt, ſi res non ex maleficio veniat, ſed ex contractu, debeat filius agere vtili iudicio: forte depoſitum repetens, vel mandati agens, vel pecuniam, quam credidit, petens: ſi forte pater in prouincia ſit, ipſe autem forte Romae vel ſtudiorum cauſa vel alia iuſta ex cauſa agat: ne, ſi ei non dederimus actionem, futu-*

futurum sit, vt impune fraudem patiatur, & egestate Romae laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumtum pater ei destinauerat. Hactenus Vlpianus. Satis autem apparet, hoc omne ἁπλῶς ad quosuis filiosfamilias, quorum parentes alibi viuebant, non autem ad solos, qui studiorum causa alicubi commorabantur, pertinuisse.

Quia omnia Studiosorum veteri iure Iustinianeo concessa priuilegia egregie in vnam quasi summam congessit is, quem paulo ante laudaui, Balduinus, & quidem in ipso commendato opere, illa huc transferri & legi haud fuerit absque operae pretio. *Vt magis intelligamus,* inquit, *non Professorum tantum, sed & auditorum & discipulorum, habitam esse rationem; meminerimus, quod a Iurisconsultis responsum est, cum filiusfamilias Romae degens studiorum causa viaticum suum alteri credidisset, a Praetore illi dari extraordinariam & vtilem actionem, vt id repetere ipse possit, & absente patre agere. Sed & in studiorum causam filiofamilias mutuum dari posse, neque tum Senatusconsulto Macedoniano locum fore, placuit. Nam & Vlpianus eleganter ostendit, ad paternae pietatis officium pertinere, filios non modo alere, sed etiam in studiis alere. Et tutor iubetur mercedes pupilli praeceptoribus constituere. Quod & in causa pupillae dicitur: nam hanc quoque liberalibus artibus instituendam esse, ait Iulianus. Denique pupillo in bonorum possessionem misso, ex Carboniano edicto non solum alimenta praestanda esse, sed & necessarias ad studia impensas. Quid reliqua commemorem, fauore studiorum singulari iure constituta? Praetor absentiam studiorum causa, prope vt eam, quae esset reipublicae causa, iustissimam esse iudicat, & singulari fauore prosequitur. Sed neque ante annos viginti quinque quenquam praetextu publicorum munerum posse auocari a studiis & schola, rescriptum est. Quae res facit, vt non omnino etiam insolens esse videatur, quod in hac Constantini Constitutione postremo loco notauimus, priuilegio quodam & praescriptione fori defendi Professores, ne litis causa temere alio auocentur atque distrahantur. Quale deinde priuilegium & Studiosis ipsis discipulis concessum fuisse, Iustinianus significat. Scribit enim, Constantinopolitana in schola Praefectum Vrbis fuisse Iudicem adolescentium, qui Iuri Ciuili in ea operam dabant; in Berytiensi vero ciuita-* 378

 te

te (quae Legum altera Academia,) vel Praesidem Phoeniciae, vel Episcopum, vel Professores ipsos. Haec omnia doctissimus Balduinus.

SVPPLEMENTVM LXXXIII.

Ad *pag. 171.*

Legem hanc primam Codicis Theodosiani *de Studiis liberalibus Vrbis Romae* singulari post *Dissertationem* editam commentario illustrauimus, quia similis nulla reperitur, & 379 tamen multa habet obscuriora. Is commentarius breui iterum recensendus a nobis est: adeoque hoc loco nihil addemus.

SVPPLEMENTVM LXXXIV.

Ad *pag. 178.*

Priuilegiorum, quibus Academiae nostri temporis, eorumque ciues, fruuntur, quatuor summa sunt genera. Quaedam videlicet eorum continentur scriptis tabulis Pontificum, Caesarum, Regum, Principum, & vniuersim eorum, quibus eiusmodi beneficia concedere ius & facultas competit. Quaedam consuetudinaria sunt, & a sola consuetudine vim & auctoritatem suam nanciscuntur. Quaedam per consuetudinem quidem inceperunt, post tamen lege scripta confirmata sunt & quasi roborata. Quaedam denique a doctoribus duntaxat ceu iuri aut aequo consentanea producta sunt: quae tamen minus sunt firma: quandoquidem ipsi doctores sententiis discrepant, & saepenumero imbecillibus nituntur argumentis: quod cumprimis obseruare est in Petri Rebuffi & Horatii Lucidi libris *de Priuilegiis Studiosorum.* In verbis tabularum Maximiliani II. quae adduxit *Dissertatio*, haud obscura fit mentio trium primorum generum: quod nempe

pe priuilegiorum alia iure ſcripto, alia conſuetudine nitantur, & omnia denuo Academiae Iuliae confirmauerit ſcriptis illis tabulis Auguſtus idemque optimus Imperator. Dignum porro notatu eſt, in Diplomate Caeſareo iſto non memorari ſingula, ſed in genere tantum concedi Iuliae noſtrae Academiae priuilegia ſiue ſcripta ſiue conſuetudinaria Academiarum Bononienſis, Senenſis, Patauinae, Papienſis, Perufinae, Pariſienſis, Lipſienſis, aliorumque Studiorum privilegiatorum. Quod ſi igitur omnia Iuliae conceſſa priuilegia exacte ſcire velis, tibi omnium Academiarum priuilegiatarum & tabulae ſcriptae & conſuetudines pernoſcendae erunt. Vtrum vero etiam ad Britannicas, Hiſpanicas, aliasque exteras omnes Academias ſit reſpiciendum, dubito, idque, quoniam in nullis tabulis Imperatoriis aut Pontificiis, quas equidem vidi, earum fit mentio. Sunt alioquin inprimis Anglicae plurimis atque eximiis priuilegiis exornatae: quod cum aliunde, tum ex Pitſei libro *de Oxonienſis Academiae antiquitate* eſt manifeſtum. Ne quid tamen porro diſſimulem, verba eiusmodi tabularum, ſi vſum videas, magis ſapiunt formulas Cancellariae, quam vt reapſe omnia illa priuilegia largiantur: ac proinde haud videntur rigide cuncta accipienda atque exigenda eſſe. 380

In ſimiles vero formulas & ſimilia priuilegia conditae ſunt & iam 1502. a Maximiliano I. Wittebergenſis, & a ſequentibus Caeſaribus ſaltim omnes Proteſtantium Academiae, quae quidem coeperunt intra hosce centum quinquaginta circiter annos. Sunt autem illae ſic ſatis multae & florentes. Eſt enim iniquiſſima & impudens nonnullorum hoſtium calumnia, Proteſtantibus exoſas eſſe Academias & Scholas omnes: cum vtique ſaltim in Germania hae & numero & florente ſtatu reliquis forte ſint ſuperiores, certe non multum impares, praeſertim ſi annumeres etiam illas,

quae pridem ante coeperant quidem, poſt autem in mores & ritus Proteſtantium tranſierunt.

SVPPLEMENTVM LXXXV.

Ad *pag. 184.*

In Accurſii verbis illud dignum notatu eſt, quod dicat, *non eſſe conſuetum, vt Studioſi pedagia ſoluant.* Inde enim liquet, iam tunc temporis, ſaltim in Italia, vbi vixit Accurſius, immunitatem iſtam vectigalium fuiſſe recepti moris, quacunque etiam illa auctoritate coepiſſet. Quam leuia autem ſint reliqua pro iſthac immunitate ab Accurſio adducta, nemini non manifeſtum eſſe poteſt, qui citata legum Romanarum verba ipſa inſpexerit, & firma ex iis collectione vectigalium libertatem exſculpere attentauerit.

Omnibus in populis, late qua diditur orbis,
Doctrinae fuerint quae prima exordia coetus;
Vtque ſibi paſſim Sapientia condere templa
Coeperit, & ſacras ſtudii exercere palaeſtras;
Tandem imo in ſyluis Academi quaerere verum
Inſtituens, pulcras dederit mortalibus artes;
Audierat quondam, mihi adhuc florentibus annis,
Tunc Bellona licet turbaret vbique Mineruam,
(Nequicquam: quid enim efficiat ſine numine coeli?)
In Panhelmiacis me Iulia Diua loquentem,
Cum plauſu iuuenum caueae magnique Senatus.

Iam

Iam cani infeſtant. Rurſus tamen illa docere,
Quin aliis etiam multis ditare repertis,
Atque in communem mundi protrudere lucem,
(Horribili quamuis iterum nos lumine Mauors
Adſpiciat, ſaeuusque iterum ceruicibus inſtet:)
Impulit a pueris rerum mihi culta cupido
Priscarum, nec non doctûm reuerentia Patrum.

Aſt Tu, ſi fas eſt, vultu haec, (a) FERNANDE, ſereno
Excipe: quandoquidem ſunt magni nominis arae
Conſecrata tui votisque dicata ſupremis. 382
Fallor? an haec oculis etiam dignaberis iſtis,
Prisci aeui queis cuncta ſoles monumenta tueri,
Iudicio expendens aequo ſacra atque profana?
Angariae quamuis tenero perfuſus amore,
Nunc adeo Graios ſeponas atque Latinos,
Et patriam aeterno doctoque volumine ſcribas.

Salue, Teutiscûm noſtrae telluris ocelle!
Salue, grande huius decus aeui atque incrementum!
Non alium talem circumdedit inſula vatem,
Principis excelſa non Caeſar ſede locauit.
Non ventura pari committent ſaecula Padrum,
Qui velit vsque adeo multum hoc de Fonte mereri.
Non

(a) Alloquitur Conringius FERDINANDVM, Episcopum Paderbornenſem, cui hoc Opus dedicauit.

Non Mimigardiacos quisquam moderabitur aeſtus
Suauius, & molli ponet ſera bella quiete.

Macte animo ingenti, Princeps. Tibi floreat aetas
Sera in centenos quondam feliciter annos
Cum ſolito Pindi plauſu, laetantibus & Diis.
Tempora ſic ſoboli memorabis prisca futurae
Inter Hamadryadum choreas & Cynthia plectra,
Amiſio arridente ſimul rapidoque Viſurgi.

DIPLOMA, QVO MAXIMILIANVS II. IMPERATOR *ACADEMIAM IVLIAM* CONDIDIT.

MAXIMILIANVS SECVNDVS, diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae, &c. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, &c. Marchio Morauiae, &c. Dux Lucenburgiae, ac ſuperioris & inferioris Sileſiae, Wirtembergae & Teckae, Princeps Sueuiae, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio ſacri Romani Imperii, Burgouiae, ac ſuperioris & inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Slauonicae, portus Naonis & Salinarum, &c. Notum facimus tenore literarum praeſentiumq́ vniuerſis & ſingulis. Cum imprimis ad hanc Romani Imperii ſublimitatem diuino auſpicio prouecti diligenter proſpicere debeamus, vt ſcientiae & bonarum liberaliumque artium ſtudia ſedulo excolantur, feliciaque ſemper ſumant incrementa, ex quibus nimirum, tanquan diuinae ſapientiae hauſto fonte, ſubditi clientesque 384

que noſtri ad gubernandam Rempublicam, & reliquis mortalium neceſſitatibus proſpiciendum, reddantur aptiores: praeſertim cum earundem bonarum literarum tutela & patrocinium ad Caeſarei culminis faſtigium, eiusque moderatores, potiſſimum pertineat: qui etiam ipſarum cultores & Profeſſores dignis praemiis, honoribus atque priuilegiis 385 afficientes, complura Gymnaſia in ſacro Romano Imperio inſtituerunt & erexerunt. Nos igitur praedeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, petitione Illuſtris IVLII, Ducis Brunsuicenſis & Luneburgenſis, conſanguinei & Principis noſtri chariſſimi, nec non & omnium Statuum eiusdem Ducatus, per peculiares eorundem Legatos, noſtros & ſacri Romani Imperii fideles dilectos, Henricum a Lühe, & Matthiam Böttiger, dicti Principis Conſiliarios, nuper exhibita, qua continebatur, vt ad praefatorum ſtudiorum liberalium & bonarum artium incrementum Collegium Scholamque, in ciuitate ſua haereditaria Helmſtat a ſe coeptum & inſtitutum, authoritate noſtra Caeſarea confirmare, atque iuribus, priuilegiis, & immunitatibus Studii Vniuerſalis ſeu Gymnaſii communire, adeoque illi Scholae Iuliae nomen facere dignaremur, permoti; atque ad animum reuocantes multa praeclara & ſingularia merita, quae praefatus conſanguineus & Princeps noſter, nec non & parentes & anteceſſores ipſius ex illuſtri Ducum Brunsuicenſium familia, nobis & Anteceſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, & Imperio, nec non inclytae Domui noſtrae Auſtriacae, ſaepius fideliter exhibuerunt & praeſtiterunt; conſiderantes etiam, quod praefata ciuitas non modo propter loci opportunitatem inſtituendo Gymnaſio commoda, tum & incolis & finitimorum locorum habitatoribus Studium Vni-386 verſale, ad excolendam numeroſam iuuentutem, cumprimis neceſſarium ſit; maturo procerum aulae noſtrae Caeſareae habito conſilio, animo bene deliberato, ex certa ſcientia &

motu proprio, authoritate noſtra Caeſarea & ex plenitudine poteſtatis, praememoratum Collegium, a dicto conſanguineo & Principe noſtro in ciuitate Helmſtat nuper coeptum & inſtitutum, confirmauimus, adeoque de nouo in Studium Generale & Vniuerſitatem publicam ereximus; prout tenore praeſentium confirmamus, & de nouo inſtituimus & erigimus.

Volentes, & dicta Caeſareae noſtrae poteſtatis & authoritatis plenitudine decernentes, quod ea ipſa Schola in Helmſtat in poſterum Gymnaſium Vniuerſale eſſe, & ab omnibus ſic haberi, dicique Schola Iulia debeat: & Doctores quarumcunque Facultatum, & perſonae idoneae, ad id per dictum Ducem, eiusque ſucceſſores, vel quibus illi demandauerint, deputandae, poſſint & valeant in praefata Vniverſitate in omnibus Facultatibus, videlicet in ſacra Theologia, in vtroque Iure, tam Canonico, quam Ciuili, in Artibus & Medicina, nec non in Philoſophia, & quibuscunque ſcientiis legere, & lectiones, diſputationes, & repetitiones publicas facere, concluſiones palam proponere, & praefatas ſcientias docere, interpretari, gloſſare, & dilucidare, omnesque actus ſcholaſticos exercere, eo modo, ritu & ordine, qui in caeteris Vniuerſitatibus & Gymnaſiis publicis obſeruari ſolitus eſt. Et quoniam ipſa ſtudia eo feliciori gradu ſument augmentum, ſi ingeniis & diſciplinis ipſis ſuus honor, ſuus dignitatis gradus ſtatuatur, vt emeriti aliquando digna laborum ſuorum praemia reportent; ſtatuimus & ordinamus, vt per Collegia Doctorum, a praenominato Illuſtri Duce in vnaquaque Facultate inſtituenda, doctis & ad id idoneis, & prae caeteris excellentioribus in ipſis Facultatibus Doctoribus, hi, qui ad ſumendam palmam certaminis ſui idonei iudicati fuerint, adhibito per ipſos Doctores Collegii in vnaquaque Facultate prius, pro more & conſuetudine, atque ſolennitatibus & ritu in caeteris Vni-

387

versitatibus adhiberi solitis, rigoroso & diligenti examine, in quo conscientias ipsorum Doctorum cuiuslibet Collegii onerari volumus, quos sub iuramenti vinculo ad hoc adstringimus in ea Facultate, quam edidicerint, & qui examini praefato se submiserint, & se pro more & iuxta statuta & ordinationes, per praenominatum Ducem fiendas, per aliquos dignos & honestos viros de gremio ipsius Collegii praesentari fecerint, possint ad ipsum examen admitti, & inuocata Spiritus Sancti gratia examinari, &, si hoc modo habiles, idonei & sufficientes ad id reperti & iudicati fuerint, Baccalaurei, Magistri, Licentiati siue Doctores, pro vniuscuiusque scientia & doctrina creari, & huiusmodi dignitatibus insigniri, nec non per bireti impositionem, & aurei annuli ac osculi traditionem, caeterisque consuetis solennitatibus inuestiri, & consueta ornamenta atque insignia dignitatum praedictarum tradi & conferri: quodque Doctores in eadem Vniuersitate promoti & promouendi debeant 388 & possint in omnibus locis & terris Sacri Imperii Romani, & vbique terrarum, libere omnes actus Doctorum, legendi, docendi, interpretandi & glossandi, facere & exercere, omnibusque & singulis gaudere & vti priuilegiis, praerogatiuis & exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, praeeminentiis, fauoribus ac indultis, quibus caeteri Doctores in Bononiensi, Senensi, Patauino, Papiensi, Perusino, Parisiensi ac Lipsensi, & aliis Studiis priuilegiatis, promoti ac insigniti gaudent & vtuntur de consuetudine vel de iure. Caeterum quo praefata Vniuersitas siue Gymnasium suis gubernatum magistratibus solidiori & firmiori consistat fundamento, damus & concedimus Doctoribus & Scholaribus in dicta Vniuersitate existentibus aut futuris, cum consensu praefati Ducis aut successorum eius, authoritatem & potestatem concedendi & faciendi statuta & ordinationes iuxta consuetudinem caeterarum Vniuersitatum, nec non creandi

andi & eligendi Rectorem Scholarum & Syndicos, siue alios quoscunque officiales Vniuersitatis, prout ipsis visum fuerit expedire & esse opportunum: hoc saltem in hac primaeua erectione pro maiori illustratione huius Gymnasii addito, vt, quemadmodum ipsum Imperiali culmine & authoritate primordia sumsit, & a Ducali nomine appellationem accepit, sic etiam Rectoralis dignitas ab Illustri HENRICO IVLIO, Duce Brunsuicense & postulato Episcopo Halberstadense, saepedicti Iulii filio, quem primum Rectorem eidem assignamus, celebre & felix auspicium habeat: dantes & concedentes dicta authoritate nostra Imperiali iam per nos designato, nec non & inposterum, vt praemittitur, eligendis 389 & creandis Rectoribus, non modo facultatem & iurisdictionem in scholasticos, citandi, audiendi, iudicandi, exequendi, puniendi, & omnes alios actus Iudicis ordinarii exercendi, & ius reddendi: atque eximentes nihilominus Doctores & scholares Vniuersitatis praenominatae a iurisdictione & superioritate cuiuscunque potestatis ordinarii, siue cuiuscunque alterius, praeterquam a nostra & praefati Ducis & successorum eiusdem: sed etiam iam dictum HENRICVM IVLIVM, per nos designatum primum Rectorem, eiusque in illo officio & dignitate inposterum eligendos, ex speciali gratia & fauore sacri Lateranensis Palatii Aulaeque nostrae & Imperialis Consistorii Comites facimus, creamus, erigimus, ac Comitatus Palatini titulo atque dignitate clementer insignimus, aliorumque Comitum Palatinorum numero, coetui & consortio adscribimus, adiungimus, & aggregamus: decernentes & statuentes, quod vniuerso illo tempore, quo dictae dignitati Rectoratus praesunt, vel praefuerint, omnibus & singulis priuilegiis, gratiis, iuribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus & libertatibus vti, frui, potiri & gaudere possint & valeant, quibus caeteri Lateranensis Palatii Comites hactenus vsi, potiti & gauisi sunt, seu quo-

modolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, consuetudine vel de iure: dantes & concedentes illis plenam facultatem & potestatem, quod durante Rectoratus & administrationis eorum tempore, vt praemittitur, nostra autho-
390 ritate possint & valeant per totum Romanum Imperium, Regna & Dominia nostra haereditaria, ac alias vbilibet terrarum & locorum, facere & creare Notarios publicos seu Tabelliones, ac iudices ordinarios: ac omnibus personis, quae fide dignae, habiles, idoneae & sufficientes fuerint, (qua in re conscientias ipsorum oneramus,) Notariatus seu Tabellionatus & iudicatus ordinarii officium concedere & dare, eosque ac eorum quemlibet de praedictis officiis per pennam & calamarium, prout moris est, inuestire. Recipiendo ab ipsis Notariis publicis seu Tabellionibus & iudicibus ordinariis, per eos, vt praemittitur, creandis, & ab eorum quolibet, vice ac nomine Nostro & Sacri Imperii, & pro ipso Romano Imperio, debitum fidelitatis corporale & proprium iuramentum, in hunc videlicet modum; Quod Nobis ac Sacro Romano Imperio, & omnibus successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, legitime intrantibus, fideles erunt, nec vnquam interfuturi consilio, vbi nostrum periculum tractetur, sed bonum & salutem nostram defendent & fideliter promouebunt, damna vero & incommoda sedulo cauebunt & auertent; praeterea instrumenta publica & priuata, vltimas voluntates, testamenta, & quaecunque iudiciorum acta, literas matrimoniales, ac omnia & singula alia, quae illis & cuilibet illorum dicti officii ratione facienda vel scribenda occurrent, iuste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate, dolo ac fraude remotis, scribent, legent, facient, & dictabunt; non obseruando odium, amicitiam, munera, pecuniam, vel
391 quascunque alias passiones aut fauores; scripturas vero in formam publicam redigendas, pro locorum consuetudine

&

& rerum qualitate, in membranis aut chartis mundis, non abrasis seu vitiosis, fideliter conscribent ac conscribi facient; causasque hospitalium, ac miserabilium personarum, nec non pontium & viarum publicarum conseruationes & instaurationes, pro viribus promouebunt; sententias aut dicta testium, donec publicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter retinebunt; omniaque & singula alia conuenienti & debito modo facient atque exercebunt, quae ad dictum officium quomodolibet pertinebunt consuetudine vel de iure: volentes, quod huiusmodi Notarii publici seu Tabelliones, & iudices ordinarii, per eos creandi, libere possint per totum Romanum Imperium, omniaque regna & prouincias nostras haereditarias, ac alias vbiuis terrarum & gentium, facere, concipere, scribere & publicare contractus, instrumenta, iudiciorum acta, literas matrimoniales, testamenta & vltimas voluntates, decretumque & authoritatem interponere, in quibuscunque contractibus tale quippiam requirentibus, omniaque & singula alia citra impedimentum facere & exercere, quae dictum publici Notarii seu Tabellionis & iudicis ordinarii officium quouis modo exigere videbitur: decernentes, quod omnibus & singulis instrumentis ac scripturis, per huiusmodi Tabelliones seu iudices ordinarios & Notarios publicos, per praefatos Rectores Scholae Iuliae creatos & creandos, confectis & conficiendis, plena & indubia vbique fides, tam intra, quam extra iudicium adhiberi debeat, eaque nullo modo impugnari vel in dubium trahi possit, constitutionibus, ordinationibus, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. 392

Praeterea vt ipsa Vniuersitas dignis fulcita praerogatiuis, nulli alteri quantumuis vetustae & celebratae Vniuersitati postponatur, saepe dictae scholae Iuliae, & singulis in ea constituendis Facultatibus, ex singulari gratia peculiaria

ria arma & insignia, quibus in publicis scriptis, edictis, mandatis, aliisque actibus, loco sigilli vti possint & debeant, contulimus, prout alio nostro desuper confecto datoque speciali priuilegio latius continetur. Atque insuper volumus & decernimus per praesentes, quod praenominata Vniuersitas, nec non Doctores & Scholastici, ac ibidem aliquam dignitatem seu gradum assumentes, gaudeant & potiantur, vti, frui, gaudere & potiri possint & valeant, omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, praerogatiuis, priuilegiis, concessionibus, & immunitatibus, favoribus & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Vniuersitas Bononiensis, Senensis, Patauina, Papiensis, Perusina, Parisiensis & Lipsensis, ac alia Studia priuilegiata, ac Doctores & scholastici, siue promoti, aut alia dignitate siue gradu insigniti, gaudent & potiuntur, quomodolibet consuetudine vel de iure: non obstantibus aliquibus priuilegiis, indultis, praerogatiuis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus: quibus omnibus & singulis ex certa nostra scientia praefata, animo deliberato & motu proprio, derogamus & derogatum esse volumus per praesentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostrae creationis, institutionis, fundationis, erectionis, indulti, gratiae, derogationis, constitutionis, concessionis, & priuilegii gratiam (quam singulis annis publice in dicta Schola IVLIA praelegi volumus,) refringere, aut quouis ausu temerario contraire, siue quomodolibet violare & infringere. Si quis autem hoc attentare praesumserit, nostram & Imperii Sacri indignationem grauissimam, & poenam centum marcharum auri puri, toties, quoties contra factum fuerit, se nouerit irremissibiliter incursurum: quarum medietatem Imperialis fisci nostri siue aerarii, reliquam vero partem iniuriam passorum vsibus decernimus

393

appli-

applicari: harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Caeſarei appenſione munitarum. Datum in arce noſtra Regali Pragae, die 9. menſis Maii, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Regnorum noſtrorum, Romani decimo tertio, Hungarici duodecimo, Bohemici vero viceſimo ſeptimo.

MAXIMILIANVS.

Vice ac nomine Reuerendiſſimi D. Danielis, Archicancellarii Moguntini,

V. Io. Bap. Weber.

Ad mandatum Sacrae Caeſa: Maieſtatis proprium

A. Erſtenberger ſſt.

IOACHIMI IOANNIS MADERI
V. C.
EPISTOLA
AD
CONRINGIVM
DE SCHOLIS VETERVM.

395 *NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE*
VIRO,
DN. HERMANNO CONRINGIO,
IOACHIMVS IOH. MADERVS.
S. P. D.

Dispicienti mihi, Vir magne, quomodo reperire possim, queis tuae in me voluntati quadantenus satisfaciam; quod eorum nonnulla, quae de *veterum scholis* annotaui, partim iam antehac *Praefationi*

tioni in Montis Sereni Chronicon, partim aliis opusculis meis pro re nata inſeruerim; ac tam vberem iſtorum meſſem in elucubratiſſimis *Diſſertationibus* tuis inueniam, vt vix ſpicilegium aliquod mihi relinquatur; de ſcholis antediluuianis ſe primum offert inſignis locus, ab Athanaſio Kirchero ex quodam Commentario MSto, cui nomen *Domus Melchiſedech*, exſcriptus, atque in *Obelisco Pamphilio lib. I. cap. 3.* ſic Latine repraeſentatus: *Fuit autem Henoch nomen Adris: & poſt eum alius Adris, cui nomen in lingua barbara Hermes: quoniam is primum conſtituit ſcholas, in quibus ſcientias a protoplaſto Seth ſibi traditas docuit. Ipſe inuentor literarum & Mathematicarum artium: is tradidit leges & bene viuendi disciplinam: ideo abſtulit eum Dominus, & ambulauit cum Deo in horto Eden. Hinc factum eſt, vt omnes, qui ſcientiis & ſecretiorum artium notitia ex poſterioribus in mundo clarerent, Adris, hoc eſt, rerum occultarum inuentores, dicerentur.* Et, quem ille eodem capite ex Achmed Ben Ioſeph Altiphaſi, apud Gelaldinum, in *Hiſtoria rerum AEgyptiacarum* MSta adducit: *Succeſſit Mehaliel filius eius, Irad, & dedit ei praecepta bona, & docuit eum omnes ſcientias, & celebrauit ipſum, famoſiſſimumque reddidit in peritia ſcientiae inſpectionis aſtrorum, & in libris, quos deduxit ſuper eum Adam. Et genuit Irad Hanuch. Ipſe eſt Hermes: ipſe Idris Propheta: ſuper eum pax. Et fuit rex in diebus illis Mohhuel, filius Hanuch, cui pater bonam inſtructionem dedit: & ſcientias, quas apud ſe habebat, ipſi tradidit: & genuit eum in AEgypto, (ante diluuium,) & egreſſus eſt inde, & peragrauit totam terram. Fuit autem ei Sabaeorum regio. Ipſe adhaeſit Deo, docuitque eum purificationes, orationes, & alia huiusmodi cultus diuini ſigna. Et fuit peritus in inſpectione aſtrorum, & in Geometria, & diuinis ſcientiis: fuitque primus, qui de hisce diſſeruit, easque de potentia in actum deduxit: ſcripſitque de iis librum, in quo ſignauit doctrinam eorum. Deinde profectus eſt in AEthiopiam & Nubiam,* &c. Quod ſi enim temporibus illis fuere literae, ac disciplinae non vnius ge-

neris, ſiue in plumbo, ſiue in lapidibus, vel alia ſcriptionis capaci materia, literis conſignatae, vt probare conatus ſum *Diſſertatione de Bibliothecis antediluuianis*; (nam lapidibus inſculpi, moris fuiſſe antiquiſſimis temporibus, quae monumentis mandata cuperent, etiam teſtes citare poſtumus *inciſas digito Dei literas, rupices paginas, ſaxeum volumen, discentem populum ac docentem Deum, ac mixtis pene hominibus atque angelis vnam coeli ac terrae ſcholam*, vt elegantiſſime Saluianus loquitur (a) *lib. I. de gubern. Dei*:) dubitari haud posſe reor, quin & tum fuerint ſcholae, in quibus iſta omnia docerentur, & viuae ſimul vocis commercio ad poſteros propagarentur. In *Aſiaticis* porro non praetereunda videtur Smyrnaeorum ſchola, quam *patrum ſuorum memoria*| *Medicinae Eraſiſtrateam* ibidem *fuiſſe praeſide Hiceſio* (Eraſiſtrato dubio procul auctore, qui Suida teſte ἰατρικὰ βιβλία ϑ ſcripſit ſub Antiocho, quem ob nouercae Stratonices amorem ſanarat:) refert (b) Strabo *lib. XII. Rhetoricam* vero in eadem laudat Polemonis vitam deſcribens Philoſtratus, dum illum quidem *cumprimis in admiratione fuiſſe, vrbique* 397 *valde profuiſſe*, (c) narrat, *vt ciuitas longe populoſior, quam ante, videretur: vndique ex continente & inſulis ad ipſum*| *confluente iuuentute* οὐκ ἀκολάςου καὶ ξυγκλύδος, *non incaſtigata & tralatitia, ſed electa & pura; Adrianum vero, erga Epheſios alias propenſum, ad Smyrnaeorum fauorem vsque adeo pellexiſſe, vt vno die mille myriadas in illorum ciuitatem impenderit; ex quibus emporia, & gymnaſium omnium, quae in Aſia ſunt, praeſtantiſſimum, conſtructa ſint.* In qua ita Ariſtidem (d) docuiſſe, veriſimile eſt, illum Σμύρνης, poſt eam terrae motibus & hiatibus deletam, οἰκιςὴν, qui ad Marcum Imp. *ſe non de numero vomentium, ſed exacte loquentium eſſe dixit*: quod male Athenienſi Ariſtidi, illi Iuſto, Erasmus (e) tribuit, & poſt eum Manutius: tum

(a) *p.* 44. (b) *p.* 390. edit. Baſil.
(c) *p.* 530. edit. Pariſ. 1608. (d) Idem *p.* 579.
(e) In *Apophthegmatibus*.

tum ſeculo IV. *Numidianum*, *Philoſophi Maximi fratrem*, τὸν ἐν Σμύρνῃ, vt Eunapius (f) habet, περιφανῶς σοφιστεύσαντα: & Corinthum illum παραλειπομένων, ſiue *Derelictorum ab Homero*, ſcriptorem, quem ad *Leonis*, *Zenonis*, & *Anaſtaſii* tempora refert Cl. Voſſius, cuius *haud triuiale magiſterium fuiſſe*, (quae etiam Voſſii mens eſt,) vel inde colligi poſſe exiſtimauit doctiſſimus Rhodomannus, *quod oues ſuas*, *hoc eſt*, *diſcipulos*, *nobiles ſeu fama illuſtres* (περίκλυτα) *epitheto ſatis emphatico appellarit, libro* operis ſui *XIV*. De Beryto, & ſchola in eadem Iurisprudentiae celeberrima, nescio, num videris Nobiliſſ. Dn. *Strauchii* Diſſertationem, Brunsuigae ante annos duodecim excuſam. In Alexandrinam ſcholam dicitur *vndique confluxiſſe* a Gregorio Nyſſeno in *Vita Gregorii Thaumaturgi* ἡ νεότης τῶν περὶ φιλοσοφίαν τε καὶ ἰατρικὴν ἐσπουδακότων. Et Chriſtianorum ibidem ſcholae meminit cumprimis (g) Euſebius, quod *ab antiquo ſacrarum literarum doctrina & exercitium in eadem viguerit*, *eaque conſuetudo a viris eloquentia diuinorumque ſtudio potentibus inſtituta*, *ad ſua vsque tempora perdurauerit*: commemorando (h) vna doctores, qui in ea clari extitere, *Pantaenum* videlicet, *inter Stoicae ſectae Philoſophos educatum*, *Clementem*, Stromateων ſcriptorem, & huius discipulum, *Origenem*, *virum Dialecticae*, *Geometriae*, *Arithmeticae*, *Muſicae*, *Grammaticae*, *Rhetoricae peritiſſimum*, *omnium Philoſophorum ſectas ita callentem*, *vt ſtudioſos quoque ſecularium literarum ſectatores haberet*, *eisque interpretaretur quotidie*, *magnique concurſus ad eum fierent*: ceu B. Hieronymus (i) de eo ſcribit: qui demum, *quod alii poſt alios a mane vsque ad veſperam ad ſcholam ipſius venirent*, *multitudine diuiſa*, *Heraclam*, *diuinarum rerum ſtudioſum*, & *alias diſertiſſimum virum*, & *Philoſophiae non expertem*, *e reliquis familiaribus delectum*, *in catechizando conſortem conſtituit*, *illique primam eorum*, *qui recens imbui coepiſſent*, *inſtitutionem commiſit*, *ſibi perfectio-*

398

(f) In *Vita Maximi* p. 67.
(g) *Lib. V. Hiſt. eccl. cap.* 5.
(h) *Lib. VI. cap.* 5. 6. 14. 19. 29.
(i) Lib. *de ſcript. eccl.*

fectiorum auditorium reseruans, αὐτῷ τὴν ἐν ἕξει φυλάξας ἀκρόασιν, vt rursum habet Eusebius *lib. VI. cap. XIV.* Nam quomodo idem ille Caesariensem aliquando rexerit scholam, plenius nos edocet Gregorius (k) Thaumaturgus. Locum de Constantinopolitana bibliotheca & schola, *Dissertat. I. pag. 29.* ex Iohanne Zonara citatum, praeter Glycam *Parte IV. pag. 393.* etiam Constantinus Manasses in (l) *Annalibus* firmat, & luculentius exponens inquit: *Non procul a diuinae sapientiae fano splendida domus a priscis Imperatoribus erat constructa, quam nuncupare licuisset amoenum hortum, arboribus libros ferentibus plenum, adeoque lucum pulcherrimis omnigenae doctrinae sapientiaeque plantis consitum. Nam erat congestus in ea librorum thesaurus, quorum numerus tricena & tria millia complectebatur. Talis hortus tantusque lucus diuini cuiusdam hominis curae fideique commendatus erat, qui doctrina praestabat, & supra caeteros omnes radiis scientiae collucebat. -- Viuebant cum hoc & alii, tanquam secundarum partium duces, ab illo imperatore primi: luculenta reapse sidera noctisque* 399 *collustratores. Hi tot numero, quot circuli Zodiaci signa sunt, absque mercede literarum & doctrinae cupidos instruebant, & caliginis velum, tam in putri praestigiisque referta Graecorum, quam religiosissima nostra disciplina, suis auditoribus adimebant: vno illo, de quo diximus, inter omnes solis instar lucente. Tanta vero in opinione virtutis erant, vt ne ipsi quidem Imperatores noui quiddam & inusitati vel agendum sibi putarent illis in consilium non adhibitis.* Subiungit similiter, quomodo cum ipsis libris ab Imp. sint combusti, hac addita exclamatione: *Proh infestum virtuti animum! pro mentem belluinam! Nimirum ex vnguibus saeuus ille Leo iam agnitus est.* Sed cum ibidem per centum & vltra annos *Philosophia neglecta iacuisset, ac prope omnino extincta esset, vt ne scintilla quidem eius*, quemadmodum Zonaras loquitur, *superesset, propter Imperatorum*, qui sequebantur, *inscitiam*, *Bardas Caesar* circiter annum Christi

(k) *Orat. panegyr. ad Origenem p. 168. sqq.*

(l) *p. 422.* edit. Lugd. Bat. 1616.

ſti 850. ſub Michaele tertio Imp. vecorde & ignauo, inter innumera mala *hoc* tandem *boni fecit*, *quod eruditionis prouehendae magnum ſtudium habuit. Nam cuique diſciplinae ſcholas conſtituit, & doctores deſignauit, & ſingulis publica ſtipendia decreuit, & omnibus magnum & communem doctorem praefecit Leonem Philoſophum*, poſtea *Theſſalonicae Epiſcopum*, *itaque effecit*, *vt literae refloreſcerent*, *exiguoque tempore incrementa caperent*, atteſtante eodem Zonara (m) *Annal. Tom. III.* Apud quem etiam (n) legere eſt, quomodo *Conſtantinus Porphyrogennetus*, Leonis Philoſophi filius, is, qui libro de *Thematibus* & *Excerptis Hiſtoricis* inclaruit, ſeculo a nato Chriſto X. *tam Philoſophiam*, *quae pene in obliuionem venerat*, *quam alias diſciplinas*, *doctoribus ordinatis*, *iam deficientes refocillarit.* Num vero & monachi Graeci, cumprimis, qui ſub Nicephoro Phoca eodem illo ſeculo Athon montem incolere coeperunt, exinde ἅγιον ὄρος appellatum, in eodem literarum ſtudia excoluerint, haud equidem affirmarim: cum *iis hodie plane ſe non dedant; quin plurimi inter illos ſint*, *qui ne quidem literas vel legere vel pingere norint*: vt ex libro Gallico, *Les Eſtats & Empires principautés du monde*, notat Georgius Fhelauius ad Chriſtoph. Angelum: licet, teſte etiam (o) Goaro, *tantis monachorum gregibus & frequentia etiamnum colatur*, *vt ad ſex millia vel coenobiticam vel eremiticam ibi vitam agere noſcantur.* Sane in eam rem longe plura ſunt teſtimonia de Occidentis monaſticis ſcholis: in quibus de antiquitate cum reliquis certare videtur *D. Martini* in Turonenſi dioeceſi. De eo namque refert Sulpicius (p) Seuerus, quod, cum prius fuiſſet Hilarii Pictauienſis diſcipulus, iam Turonenſis Epiſcopus conſtitutus *ad euitandam frequentantium inquietudinem*, *duobus fere extra ciuitatem millibus monaſterium ſibi ſtatuerit*, *in quo octoginta diſcipuli ad exemplum*

B.

400

(m) *p. 129. ſq.* edit. Baſil. (n) Ibidem *p. 155.*
(o) *Rituali Gr. p. 170.* (p) Lib. *de vita Martini cap. 7.*

B. magiſtri fuerint inſtituti: ex quibus poſtea *plures Epiſcopos viderit. Quae enim*, inquit, *eſſet ciuitas aut Eccleſia, quae non ſe de Martini monaſterio cuperet habere ſacerdotes?* Lerinenſem vero ſcholam, praeter Eucherium in ſecundo *Inſtructionum* libro, laudat auctor (q) *Sermonis de B. Suffredo*, Carpentoratenſe circa annum Domini 550. Epiſcopo: vbi inter alia eius encomia, idem hic *in iuuentute ſubditus* ibidem *paedagogo* dicitur, *ad plenum literas edocendus. In quo diſcendi ſtudio parui temporis ſpatio emenſo, ita luculentiſſime viguerit in Grammaticae artis diſciplinis, rationabilibus, ac dialecticorum praedicamentorum argumentis exilibus, & Ariſtotelicis definitionibus, nec non Rhetoricorum facundis protelationibus, vt conſiliorum polleret exemplis.* Scriptor item (r) *Vitae B. Agricolae*, Auernenſis anno Chriſti 700. Epiſcopi: *Florebat*, inquit, *ea tempeſtate celebre illud Lerinenſe coenobium, S. Honorati nuncupatum, in inſula maris Gallici prope Antipolim, in quod adoleſcentes nobiles tanquam ad celeberrimum quoddam literarum & virtutis emporium confugiebant, vt aetas puerilis ad virtutem honeſtatemque informata, breui virtutibus digni eſſent adoleſcentes, qui honoris & dignitatis nomen poſſent ſuſtinere. Ibi Deo militauerunt Honoratus & Caeſarius Arelatenſes, Germanus Pariſienſis, Eucherius & Iuſtus Lugdunenſes, & Siffredus Carpentoractenſis Epiſcopi. Eo etiam ſe recepit B. adoleſcens, &c.* Atque adhuc ſaeculo poſt natum Chriſtum XII. is, qui vitam Lamberti, Vencienſis Epiſcopi, literis (s) conſignauit: *Beatus Lambertus*, ait, *Deo dicatus, in Lerinenſi monaſterio educandus, & tam literis, quam monaſticis inſtitutis traditur imbuendus.* Vt de B. Auguſtini circa eam rem laudabili inſtituto nunc nihil dicam: qui (t) *factus Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, — ex quo innoteſcente de die in diem*

401

(q) Apud Vinc. Barralem *T. II. p. 135.*
(r) Ibidem *T. I. p. 321.* (s) Ibidem *T. I. p. 180.*
(t) Poſidonius in *Vita Auguſtini T. I. p. 862.*

em Ecclesiae Catholicae praedicationis veritate, *sanctorumque seruorum Dei proposito*, *continentia & paupertate profunda, magno desiderio poscere & accipere Episcopos & clericos coepere*, *qui similiter Domini Ecclesiis propagatis & monasteria instituerunt*, *&*, *studio crescente aedificationis verbi Dei*, *caeteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium praestiterunt*. Britannicas etiam scholas silentio inuoluam: cuiusmodi initio saeculi VI. S. *Dubricum*, *cognomento Grainium*, *ad Vagum fluuium aperuisse*, Balaeus aliique produnt: *Congellum* etiam *in monasterio Banchor instituisse* volunt, in quo, Beda (u) teste, *tantus fuisse fertur monachorum numerus*, *vt*, *cum in septem portiones esset*, *cum praepositis sibi rectoribus*, *monasterium diuisum*, *nulla harum portio minus*, *quam trecentos homines*, *haberet*. Licet hae quammaxime mereantur praedicari, quod ex ipsis prodiere haud paruo numero, qui in Germania hac nostra, Spiritus S. adiuuante gratia, maioribus nostris viam consequendae immortalitatis ostendere, ad cultum verae maiestatis ipsorum mentes instituendo. Et quidem in monasticis eiusmodi scholis, saltem insignioribus, obseruo, non inferiores tantum illas disciplinas, Grammaticam, Logicam, & Rhetoricam, quas *Triuii* nomine appellauere veteres, sed & reliquas quatuor, *Quadriuii* nomine illustres, fuisse traditas: atque aliter institutos, qui in *Exterioribus* siue *Canonicis*, aliter, qui in *Claustralibus* erudirentur scholis. Hanc namque in istis scholis obtinuisse distinctionem, indicat liber Eckehardi Iunioris *de casibus S. Galli cap.* 2. & alius Eckehardus *de vita Notkeri cap.* 7. Imo in hoc ipso S. Galli monasterio *sic spiritualem effloruisse disciplinam*, scribit (x) Conradus de Fabaria, *vt non solum Benedicti regulam*, *verum etiam Philosophiam totam*, *ad vnguem vsque inuestigarint*, *theoricam Platonis*, *Socratis*, *Aristotelis*, *Hippocratis*, *Boëthii*, *omnesque inuestigauerint riuulos*, *vt in suis metris non Philosophi solum*

402

(u) *Lib. II. Hist. Angl. cap.* 2.

(x) Lib. *de caf. S. Galli cap.* 2.

lum, *sed etiam Poëtridae fuerint*. Id quod & de *Fuldensi* coenobio Christophorus Browerus *Antiqq. Fuldensium lib. I. capp. 9. 10. & 11*; de *Anglicanis* vero, sub Venerabili Beda, Iohannes Pitseus (y) testatur: *non mirandum* censens, *quod ad tantam doctrinam in suo monasterio peruenerit: quandoquidem antiquitus in Anglia in insignioribus quibusque coenobiis, ad instar Academiarum, docerentur & discerentur non solum humaniores literae, verum etiam omnes liberales artes, omnis Philosophia, atque etiam Theologia.* Habuerat Beda in adolescentia praeceptorem *Benedictum Biscopium*, monasteriorum *Giruicensis & Wirmontensis* fundatorem, *splendidis natalibus ortum, virum literatum, & bonarum literarum fautorem maximum*: qui *quinquies Romam proficiscens, & nunquam vacuus rediens, ingentem optimorum librorum copiam in vnam bibliothecam ad communem monachorum vsum coaceruarat, nec sumtibus nec labori nec industriae parcens, vt partim ex Gallia, partim ex Italia, selectissimos quosque auctores, tum Graecos, tum Latinos, coëmeret,* 403 *atque in Angliam asportatos suae bibliothecae inferret.* Erant insuper ista in regione ea tempora, *quae nunquam prorsus*, vel ipsius Bedae (z) confessione, *ex quo Britanniam petierant, Angli habuere feliciora*: dum *Theodorus*, Cantuariensis Episcopus, *ex Tarso Ciliciae natus, vir & seculari & diuina literatura & Graece instructus & Latine*: & *Adrianus, natione Afer, sacris diligenter imbutus monasterialibus, simul & Ecclesiasticis disciplinis institutus, Graecae pariter & Latinae linguae peritissimus*, ambo a Vitaliano Papa, rogatu Egbrechti regis, eo missi, *congregata discipulorum caterua, scientiae salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita vt etiam metricae artis, Arithmeticae Ecclesiasticae, & Astronomiae disciplinam, inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus traderent, & de eorum discipulis essent, qui Latinam Graecam*

(y) *De illustr. Angliae scriptor. p. 114.*
(z) *Lib. IV. Hist. Angl. cap. 1. & 2.*

eamque linguam aeque, vt propriam, in qua nati erant, nossent. Quae eum in finem affero, vt de illorum eruditione constare tanto rectius possit: quibus Karolus deinceps, ille vere Magnus, in religionis & literarum negotio promouendo vsus est. Siquidem is *liberalia literarum studia, pene iam, vt ipse ait, incuria maiorum obliterata, instaurare summopere nisus* (verba sunt ea de re (a) Auentini,) *vt suo exemplo ad ea amplectenda alios inuitaret, ex Hibernia duos Scotos, Clementem & Albinum, euocauit. Albinum Scotum Ticinum misit, ibique ludum literarium aperire iussit. Commilito huius Clemens mandato Karoli in Lutetiam Parisiorum concessit: eique Magnus annonam & stipendia e fisco tradidit: procerum pauperumque pueros, ingenuos modo, commisit. Albinum Anglum secum detinuit: inde D. Martini coenobio in agro Turonum sito, vbi doceret, cum in aula non esset, condonauit: Waldonemque, Augiae maioris magistrum, ad D. Dionysii templum, ex Sueuia docendi gratia eo transtulit.* Cumque videret, tam feliciter cessisse, quicquid laboris ea in parte a monachis esset impensum, iam & Cathedralibus, quas fundabat, Ecclesiis consimiles scholas voluit annexas, vt & illae, ad exemplum scholarum DD. Martini vel Augustini, subministrarent, qui Ecclesiae & reip. prodesse possent. De quo praeclare scripsisse video Cll. Viros, *Ioachimum Vadianum* (b) *lib. I. de Collegiis monasteriisque Germanorum*, & *Dauidem Chytraeum* Prooemio in *Metropolis* suae librum trigesimum: extatque Tomo I. *Spicilegii* Dacheriani *Crodogangi*, Metensis Episcopi, *Regula Canonicorum*, temporibus Pipini, patris Caroli M. scripta, in qua (c) *cap. XLVIII. de pueris & adolescentibus, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur*, pluribus agit. Quamuis mox in ipsa, quod aiunt, herba extinctus videatur quampluribus locis ille erga scholas ardor: in Concilio (d) Parisiensi sub Ludouico & Lothario anno 829. propterea suppliciter & obnixe suggerentibus

404

(a) *Lib. IV. Annal. Boiorum p. 220.*
(b) *T. III. Rerum Alem.* Goldasti.
(c) *p. 205.* edit. Paris. 1655.
(d) *T. III. Concil. Surii p. 406.*

Epiſcopis, *vt morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperii ſui locis, ſcholae publicae ex ipſorum autoritate fiant, vt labor patris* (Karoli) *& ipſorum, per iniuriam non depereat: quod ex hoc facto & magna vtilitas, & honor S. Dei Eccleſiae, & ipſis magnum mercedis emolumentum & memoria ſempiterna poſſit accreſcere.* Et lib. II. eiusdem (e) Synodi cap. 30. ipſis fatentibus Epiſcopis: *Super pii & orthodoxi Principis Ludouici, Deo amabilis Imperatoris, vt rectores Eccleſiarum in Eccleſiis ſibi commiſſis ſtrenuos milites Chriſti, quibus Deus placari poſſit, praepararent & educarent, admonitione, imo iuſſione, a nonnullis rectoribus tepide ac deſidioſe actum eſſe: atque inde omnibus viſum, vt dein, poſtpoſita totius torporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Chriſti vigilantior adhibeatur diligentia: &, quando ad prouinciale Epiſcoporum concilium ventum fuerit, vnusquisque rectorum ſcholaſticos ſuos adeſſe faciat, vt ſuum ſolers ſtudium circa diuinum cultum omnibus manifeſtum fiat.* Licet ne ſic quidem emendatum quippiam ſit deprehendere, vt Concilii Valentini, anno 855. tempore Lotharii Imp. habiti, cap. XIIX. oſtendunt (f) verba: *Vt de ſcholis tam diuinae, quam humanae literaturae iuxta exemplum praedeceſſorum aliquid tractetur, &, ſi poteſt fieri, ſtatuatur atque ordinetur. Quia ex huiusmodi ſtudii longa intermiſſione pleraque Eccleſiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius ſcientiae inopia inuaſit.* Sed tunc ita forte in Galliis ſe res habuit occaſione bellorum ciuilium, modo inter patrem & filios, modo inter ipſos fratres: nam Germaniae Epiſcopatuum & monaſteriorum longe alia tunc ratio fuit. De Fuldenſi ſiquidem coenobio diſerte Trithemius (g) ad annum ſalutis 838: *Viguit eo tempore in monaſterio Fuldenſi maxima religio monachorum, ſub regimine Rabani Mauri Abbatis, quae ſe per totam Europam fama praevolante diffuderat in ora omnium, eratque laus & memoria Fuldenſium monachorum apud Imperatores, Reges, & Principes in magno pretio, non ſolum propter ſanctitatem vitae, ſed etiam propter incompara-*

405

(e) Ibidem *p. 377.* (f) Ibidem *p. 481.*
(g) In *Chronico Hirſaugienſi.*

parabilem scientiam Scripturarum, qua Fuldenses monachi eo tempore prae caeteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex eis in diuersis Ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumti. Quo & pertinet donationis (h) Charta, qua Ludouicus, Pii F. Germaniae & orientalium Francorum Rex, *Rudolpho monacho & Confessori suo*, moderatori Fuldensis scholae, (quem vt *totius pene Germaniae doctorem egregium, & insignem Histariographum & Poëtam, atque omnium artium nobilissimum auctorem*, celebrant *Annales Francorum* (i) Pithoei:) *concessit censum & regios colonos, & eorum omnium vtilitatem: cupitque, fructum ad caeteros item transire scholasticos.* Quodque D. Anscharius, primus Hamburgensis Episcopus, in eo loco scholam (k) instituit, quibus aliquot veteris Corbeiae 406 monachos, ex Gallia eo fine in Germaniam accitos praefecit:

Hamburgensis schola queis edocta magistris
Creuit, & ad florem perducta refudit odorem:

ex gente Danorum (l) *& Slauorum*, ne discipuli deessent, *coëmendo pueros, aliquos etiam ex captiuitate redimendo, quos ad seruitium Dei educaret.* Quod nec in aliis intermissum, tam a Carolo M. & Ludouico, quam deinceps fundatis Ecclesiis & monasteriis, ceu de *Hildesheimensi schola* testantur Chronica MSta; de *Magdeburgensi* sub Ottone Magno, Ditmarus *lib. III;* de *Bremensi* eodem illo tempore Adamus *lib. II. cap. 5;* de *Hamelensi & Paderbornensi* circa annum Christi 1100. Helmoldus *Chron. Slauorum lib. I. cap. 62.* & Cranzius *lib. V. Saxoniae suae cap. 18*; de *Brunsuicensi* in monasterio S. AEgidii, sub Henrico Leone, *Continuatio Chron. Slauorum* apud Lindenbrogium; (quo fere tempore, vel paulo ante etiam,

 Iohan-

(h) Apud Browerum *p. 222.*
(i) Ad annum 865.
(k) Waldo in *Vita Anscharii cap. 34.*
(l) Rembertus in eiusdem *Vita cap. 14.*

Iohannis Comneni (m) *vxor, Irene, castissima, si quae alia, & virtutis studiosissima mulier,* φροντιστήριον ἐπ' ὀνόματι τοῦ παντοκράτορος ἐν Βυζαντίῳ συνεστήσατο, ἐς κάλλος καὶ μέγεθος ἐν τοῖς μάλιστα τῶν ἐπισημοτάτων ὄν, *in nomine omnipotentis Byzantii scholam erexit, elegantia & mole nulli vel celeberrimarum secundam:*) de *Benedictinorum* scholis in vniuersum Paulus Langius *Chronici Citicensis pag. 760. & seqq.* atque Henricus Petreius *Tractatu de monasteriis. Bononiense* studium (vti tum vocabant,) quo tempore coeperit, haud equidem inuenio. Friderici vero Barbarossae aeuo viguisse Iuris studium, vel inde colligere datur, quod (n) ille Imp. *ad campestria Roncaliae placitum habens, & plena ac solenni curia, iudicio ac iustitiae a mane vsque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam diuitum, quam pauperum diligenter audiens, habebat quatuor Iudices, Bulgarum,* 407 *Martinum, Iacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in lege doctissimos, legumque in ciuitate Bononiensi Doctores, & multorum auditorum praeceptores, cum quibus aliisque Iuris peritis, qui diuersi e diuersis ciuitatibus aderant, discutiebat & terminabat negotia.* Etiam ex ipsis monasteriis eo profectos, qui Iuris vtriusque cognitione imbui desiderarent, indicant, quae de *Vdalrico,* Abbate monasterii S. Galli, sub *Philippo,* Friderici huius filio, scribit iam ante laudatus Conradus (o) de Fabaria, quod *dulciloquis Grammaticae & Dialecticae floribus informatus Parisios & Bononiam sit transmissus, vnde repatrians,* atque ad summa euectus, *in iure forensi & Ecclesiastico, quicquid excogitari poterat, faceto Mineruae poculo cunctis audientibus propinauerit.* De Parisiensis Academiae florentissimo statu circa Philippi regis tempora atque annum 1210. insignis apud (p) Rigordum locus est in ipsius regis gestis: quando sic in diebus illis studium literarum ibidem floruisse tradit, *vt nec tanta aliquan-*

(m) Cinnamus *lib. I. de gestis Comneni pag. 8.*
(n) Radeuicus *de gestis Friderici lib. II. cap. 5.*
(o) Lib. *de casibus S. Galli cap. 5.*
(p) *p. 207.* edit. Pithoei.

iquando fuerit ſcholarium frequentia Athenis vel AEgypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum iſtum ſtudendi gratia incolebat. Quod non ſolum, inquit, *fiebat, propter loci illius admirabilem amoenitatem, & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam, ſed etiam propter libertatem & ſpecialem praerogatiuam defenſionis, quam Philippus rex, & pater eius* (Ludouicus) *ante ipſum, ipſis ſcholaribus impendebat.* Ac de ſtudiis tandem addit: *Cum itaque in eadem nobiliſſima ciuitate non modo de triuio & quadriuio, verùm & de quaeſtionibus iuris Canonici & ciuilis, & de facultate, quae de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſeruandis ſcripta eſt, plena & perfecta inueniretur doctrina; feruentiori tamen deſiderio ſacram paginam & quaeſtiones Philoſophicas docebantur.* Et de *varia* quidem *Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi* extat doctiſſimi Launoii ſingularis liber; *Oxonienſis* vero Academiae *antiquitatem, dignitatem, priuilegia, magnificentiam collegiorum, diſciplinam, & ſtudiorum rationem, tum magiſtratum & curias Academicas*, aliquot capitibus ob oculos ponit Tomo I. *Relationum de rebus Anglicis* is, quem ante citauimus, Iohannes Pitſeus: quibus & de *Cantabrigienſis* Academiae collegiis & ſcholis quaedam ſubnectit. In quibus nunc finio, poſteaquam ſic ſatis γλαῦκ' ἐς Ἀθήνας: potius, quemadmodum initio dixi, vt voluntati tuae morem geram, quam quod accuratiſſimam in omni antiquitate notitiam tuam quicquam horum fugere poſſe putem. Deum vero precor, vt te, Vir Magnifice, bono publico quamdiutiſſime ſaluum atque incolumem praeſtet. Dabam Scheningae XIV. Februarii CIↃ IↃ C LXXIII.

408

P. S.

Diſtuli haec ad te mittere, Vir Nobiliſſime, quod eorum plurima deinceps, iam in *Diſſertationibus* tuis ac *Supplemento* notata eſſe, deprehendi. Spero tamen, te pro tua in me beneuolentia benigne omnia interpretaturum. Etiam atque etiam vale. Deus te longum ſeruet!

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
quae continentur in
DISSERTATIONIBVS.

A.

Hono-

Caesa-

S.

Scho-

INDEX

⁂) (o) (⁂

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
quae continentur in
SVPPLEMENTIS.

A.

Astro-

 Bern-

Dama-

D.

phi-

Erle-

Gymna-

Her-

Hinc-

I.

Iohan

K.

Mamon.

Nomi-

Q.

Que-

Rhe-

Sal-

T.

Tem-

HERM. CONRINGII
DISSERTATIO
AD L. I. CODICIS THEODOSIANI
DE
STVDIIS LIBERALIBVS VRB. ROMAE ET CONSTANTINOPOLIS.
RECENSITA, AVCTA, ET CORRECTA.

PRAEFATIO.

V*t nunc denuo, post elapsum tantum temporis spatium, Dissertationem istam ad curam meam reuocarem, permouerunt me nuperrime iterum cum addito* Supplementorum *libro editae* de antiquitatibus Academicis *meae* Dissertationes. *Dum nimirum inter alia istum quoque Academicum librum recensuissem, argumenti vicinitas in memoriam reuocauit etiam hanc fere iam oblitam Dissertationem. Agit quippe etiam haec de antiquo statu longe olim sub Caesarum Imperio nobilissimae & ciuium numero amplissimae scholae ipsiusmet vrbis Romae: & quidem ita agit, vt ex omni aeuo vetere nihil Constitutioni illi Caesareae, quam illustrat, simile etiamnum supersit: atque eapropter iam tum ante triginta quatuor annos recitata abs me fuerant ipsamet sexta* de antiquitatibus Academicis *Dissertatione illius Constitutionis verba, cuius prolixam & quidem scholasticam alteram, alteram politicam interpretationem anno demum quinquagesimo quinto saeculi huius luci publicae exhibui. Sed & quammultis in locis nunc longe aliter ornata incedit: noua nimirum recensione plurimum castigata & passim aucta: ita vt iam quidem illi manus mea vltima sit imposita: fortassis etiam magis, quam antehac, posteritati & placitura simul & profutura. Helmestadii in Acad. Iulia IX. Kal. Dec. anno* CIↃ IↃ C LXXIV.

DISSERTATIO
AD L. I. COD. THEODOS.

DE
STVDIIS LIBERALIB. VRB. ROMAE ET CONSTANTINOPOLIS.

I.

Quotiescunque hoc loco, magiſtratum Academicum ſiue aditurus ſiue poſiturus, verba feci, plerumque diſſerui de iis, quae ad Academicas res pertinent. Ne quidem ab illo inſtituto receſſi, cum ante hosce ſex menſes munus hoc quartum aggrederer: ideoque ne nunc quidem mutabo quicquam. Quoniam tamen & ipſe hic diſceſſus meus, & quae hodie eſt aëris hyberni inclementia, iubent paucis me defungi, continebo ſermonem intra anguſtos limites: atque adeo non niſi vnicam legem, quae de ſtudiorum liberalium Vrbis Romae ſectatoribus, Valentiniani, Valentis, & Gratiani Auguſtorum nomine, quarto poſt natum Chriſtum ſaeculo lata eſt, 2 ex Codice Theodoſiano repetitam, boni publici gratia ſum explicaturus. Nec vero illam in Codicem Iuſtinianeum Tribonianus eiusque aſſeclae tranſtulerunt: quod forte mecum miremini. Imo nihil, quod iſthuc faciat, in omni illo noſtro ſacro Iuris Romani Corpore reperire eſt: quamvis & Tribonianus fuerit ſtudiis liberalibus, vti ferunt, apprime addictus, & illius in conficiendo Corpore iſthoc adiutores partim ex Conſtantinopolitana, partim ex Berytienſi, Romani iuris celeberrimis

tunc ſcholis, prodierint. Ea tamen eſt res, qua de agit lex iſthaec, (ceu ipſimet mecum paulo poſt, ſcio, iudicabitis:) vt prudens legislator neutiquam contemnere aut negligenter curare eam ſiue velit ſiue poſſit.

SCHOLASTICA LEGIS INTERPRETATIO.

II.

Habetur autem illa Lex, quod ante dixi, in illo Codice, qui a Caeſare Theodoſio ſecundo, cuius auctoritate anno Dominicae incarnationis CDXXXIIX. eſt promulgatus, Theodoſianus vulgo dicitur. Etſi hodie is Codex Caeſareus amplius haud integer, ſed tantum potiore ſui parte, idque demum cura Ioannis Tilii & Iacobi Cuiacii, ſummorum ſane virorum, reperiatur: pro libris quinque prioribus ſuperſtite *Epitome* duntaxat illa, quam Alarici, Gothorum Regis, Galliae Aquitanicae & Hiſpaniae tum imperantis, iuſſu publicauit quondam vir Spectabilis, Anianus: fruſtra in hisce quoque germanis inueniendis ſummam induſtriam complures annos adhibente Iacobo Gothofredo, ICtorum elegantiſſimorum noſtrae aetatis nuper principe. Et quidem habetur Lex loco primo in titulo *de Studiis liberalibus Vrbis Romae & Conſtantinopolis*, qui eſt nonus libri decimiquarti. Adeoque poteſt peti non ex Anianea illa *Epitome*, ſed ipſo Theodoſiano Codice: poſtquam vltimos octo libros voluminis iſtius publicauit ante hosce centum & quod excurrit annos Ioannes Tilius, Meldenſem poſt Epiſcopatum virtute ſua & praeclaris in patriam & rem literariam meritis conſecutus.

III.

Vt ἐπιγραφὴ porro prae ſeſe fert, reſcripta eſt lex illa ab Impe-

Imperatoribus, Valentiniano, Valente, & Gratiano Augustis. Ab vno tamen Valentiniano id nominis primo illam merito dixeris profectam: cum ad illum vnice spectarint ea tempestate res Vrbis Romae, adeoque & hae, de quibus lex agit; huic vni etiam proxime Vrbis omnia paruerint. Nec vero est, quare quem turbent reliqua bina Caesarum nomina: vtpote cum, ex instituto illius reipublicae, omnes leges, quae a Caesarum singulis promulgabantur, omnium tamen nomina prae sese ferrent in signum communis imperii. Sed & reapse summa reipublicae erat penes vnum Valentinianum, tametsi is (raro exemplo) in consortium titulorum fratrem Valentem & filium Gratianum assumsisset. Raro, inquam, exemplo. Bene enim Ammianus Marcellinus *lib. XXVII. cap.* 14. de Gratiano Augusto declarato cum disseruisset: *In hoc negotio*, inquit, *Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Caesares, sed Augustos, germanum nuncupauit & filium. Beneuole satis. Nec enim quisquam antehac adsciuit sibi pari potestate collegam praeter Principem Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem absque diminutione aliqua maiestatis Imperatoriae socium creauit.* At vero Gratianus ne adoleuerat tum quidem, & Valentem, vt Ammianus idem loquitur *lib. XXVI. c.* 5. *participem quidem legitimum potestatis, sed in modum apparitoris morigerum*, habuit Valentinianus. Possit forte videri Constitutio haec ideo a non vno esse Augusto profecta, quoniam non singulari numero, sed plurali, verba Constitutionis sunt concepta. Ast hoc etiam indicium non adeo est certum. Etsi enim primi Imperatores, si socio Imperii carerent, sic satis diu singulari numero edicta sua promulgauerint: quomodo Antoninus *l.* 1. *C. de iuris & facti ignor.* dixit: *Permitto tibi defensionibus vti;* attamen Constantinus Magnus de se vno locutus iam numerum pluralem vsurpauerat, vt passim in Codice obseruare est, & dudum notauit Guidus Pancirollus, Iuris ille

4

5

Romani longe peritiſſimus, *lib. I. Var. lect. vtr. Iur. cap. 2.* Fatemur tamen, etiam ideo pluralem numerum in hac Conſtitutione adhibitum, quoniam non vnius Auguſti nomine illa eſt edita. Imo fortaſſis propter ſocietatem illam imperii, quae quammaxime introducta eſt a Diocletiano & Maximiano, coepit primum in Diualibus Conſtitutionibus pluralis numerus vſurpari, exemplum illud ſequentibus iis etiam, qui ſolitarii imperauerunt.

IV.

6 Miſſa porro Conſtitutio illa Diualis (loquor ex more illius aeui,) aut directa eſt, vt habet inſcriptio, ad Olybrium, Praefectum Vrbis, virum ea aetate inter primos longe celeberrimum: ad quem eiusdem Valentiniani Auguſti leges aliae complures non in Theodoſiano duntaxat, ſed etiam Iuſtinianeo Codice hodie quoque ſuperant. Quantum ex Ammiano Marcellino, ſcriptore συγχρόνῳ & curioſo, diſcimus, ſucceſſit ille in Vrbis Praefectura Praetextato, & ſucceſſorem nactus eſt Ampelium, & poſt Claudium. Hoc ſcilicet ordine, Valentiniano imperante, iam tum ad Olybrium vsqve geſſerant quidam munus illud ampliſſimum, ceu colligimus ex illius Ammiani variis narrationibus, quae *lib. 26. & 27.* habentur: Apronianus a Iuliano conſtitutus, Symmachus, Lampridius, Viuentius, Praetextatus. Quod notaſſe non caret fructu, ſaltim ad recte digerenda Conſtitutionum Auguſtalium tempora. Caeterum Olybrius is eſt, quo Praefecto Vrbi & diutius aegrotante Maximum, annonae Vrbicae curatorem, immaniter ſaeuiiſſe in ſontes, prolixe conqueritur Marcellinus *lib. XXVIII.* Olybrium ipſum hisce verbis denique *cap. 19.* poſteritati depingens: *Olybrii*
7 *praefectura tranquilla nimis & lenis. Qui nunquam ab humanitatis ſtatu deiectus, ſollicitus erat & anxius, ne quod vsquam factum eius aſperum inueniretur aut dictum: calumniarum acerrimus*

rimus

rimus insectator, fisci lucra, vnde poterat, circumcidens: iustorumque distinctor & arbiter plenus: in subiectis admodum temperatus. Sed obnubilabat haec omnia vitium, parum quidem nocens rei communi, sed in alto iudice maculosum, quod citeriorem vitam paene omnem, vergentem in luxum, per argumenta scenica amoresque peregerat, nec vetitos nec incestos. Ab hoc plane alius est Olybrius ille Praefectus, quo curante S. Margarita interiit, si credimus veteri *Martyrologio*: cui in omni illa Margaritae historia non ausus est fidere ipsemet Baronius, ceu apparet ex iis, quae ille differit ad *Martyrologii Romani* diem Iulii vicesimum.

V.

Quo anno scripta sit Constitutio, indicat ipsa, subscriptum habens Consulatum Valentiniani & Valentis AVGG. tertium: alterius nimirum Romae, alterius Constantinopoli: quomodo diuiserat Consulatum Constantinus Magnus. Erat autem Imperii illorum annus iste septimus, a nato Christo iuxta aeram Dionysianam post trecentesimum septuagesimus: si sane non fallunt Fasti Consulares. Ne mensem 8 quidem aut diem latae Constitutionis eadem subscriptio patitur nos ignorare. Discimus vero inde etiam causam, quare ad Olybrium, qui sextus fuit Vrbi Praefectus imperante Valentiniano, non autem ad Ampelium, eius successorem, sit exarata: cum tamen Praefectura Vrbis fere non nisi annua fuerit. Quo nimirum mense lata est illa Constitutio, nondum septimus Imperii & Praefecturae annus coeperat, sed fluebat adhuc sextus. Dicemus etiam postea, qui fuerit factum, vt Olybrio praecipue Praefecto Valentinianus fuerit intentus vitiis Romanae Vrbis emendandis.

VI.

Non ad omnes porro liberalium artium scholas, sed ad solam

ſolam Romanam, pertinere hanc legem, adeoque non niſi τοπικὴν aliquam eſſe Conſtitutionem, vel ipſius tituli, cui inſerta eſt, ἐπιγραφὴ ſatis indicat. Multo maxime vero id liquet ex ipſius Conſtitutionis verbis. Num Conſtantinopoli ad exemplum Vrbis Romae idem obtinere debuerit, non ſatis compertum habeo: vt nec id ſatis eſt notum, num & illa Vrbs ſuum habuerit Magiſtrum Cenſus & Cenſuales, 9 quorum in noſtra Conſtitutione fit mentio: quoniam deſerit nos hac in re praeclarum illud veteris aeui monumentum, quod *Notitiam vtriusque Imperii* appellamus, non deſcribens ea, quae ad Praefecturam illius Nouae Romae pertinuerunt, forte quod libri folium aeui iniuria perierit. Per tamen eſt veroſimile, vtrobiuis parem fuiſſe rationem: quae fuit ex Auguſtorum inſtituto vtriusque Vrbis quaſi aemulatio. Praefectus ſane Vrbi Conſtantinopolitanae non minore fuit, atque is, qui Romanae praeerat, dignitate pariter & poteſtate: quam rem praeclare perſequitur Guidus Pancirollus *lib. I. cap. 25. Commentarior. ad Notitiam* illam ante laudatam. Sed haec in paruo ſunt discrimine, quomodo ſe cunque habuerint.

VII.

Recitabimus potius ipſam Conſtitutionem integre, prout edidit Romani Iuris peritorum princeps ille, Iacobus Cuiacius: cum vt hoc, quod modo diximus, eo rectius pateat, tum quo maiore cum vſu veſtro, Auditores, Conſtitutionis illius interpretatio a nobis queat inſtitui. Verba haec ſunt:

10 *Impp. Valentinianus, Valens, & Gratianus, A A A. ad Olybrium, P. V.*

Quicunque ad Vrbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum cenſus Prouincialium Iudicum, a quibus copia eſt danda veni-

veniundi, eiusmodi literas proferant, vt oppida hominum & natales & merita expreſſa teneantur. Deinde, vt in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare proponant. Tertio, vt hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam ſe aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant Cenſuales, vt ſinguli eorum tales ſe in conuentibus praebeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam & conſociationes (quas proximas putamus eſſe criminibus,) aeſtiment fugiendas: neue ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempeſtiua conuiuia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, vt, ſi quis de his non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus affectus, ſtatimque nauigio ſuperpoſitus, abiiciatur Vrbe, domumque redeat. His ſane, qui ſedulo operam profeſſionibus nauant, vsque ad viceſimum aetatis ſuae annum Romae liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Praefecturae etiam impurius ad patriam reuertatur. Verum ne haec perfunctorie fortaſſe curentur, praecelſa Sinceritas tua Officium Cenſuale commoneat, vt per ſingulos menſes, qui vel vnde veniant, quiue ſint, pro ratione temporis ad Africam vel ad caeteras prouincias remittendi, breuibus comprehendat: his duntaxat exceptis, qui corporatorum ſunt oneribus adiuncti. Similes autem breues etiam ad ſcrinia Manſuetudinis noſtrae annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque nobis ſint neceſſarii, iudicemus. Dat. IIII. Id. Mart. Triu. Valentiniano & Valente III. AA. CONSS.

II

VIII.

Hactenus Conſtitutio illa Diualis. Vt eius autem ſententia omnibus perſpicua fiat, tria ſumma capita inprimis videntur attendenda. *Primum* eſt, circa quos, vel de quibus, agi aliquid velit Caeſar. *Alterum*, per quos velit iſt-

haec curari. *Tertium*, quid Imperator & quomodo agen-
12 dum omne iusserit. Primum caput ad causam materialem siue subiectum circa quod; alterum ad causam efficientem; tertium ad actum ipsum eiusque formam pertinere dixerimus, si scholasticis Philosophorum vocabulis vti sit animus. Nos ordine singula capita lustrabimus.

IX.

Igitur vt de PRIMO dicamus primum, haud difficile patet, versari hanc legem circa eos, qui Romae studiorum gratia degunt, & quidem circa aduentantes, circa commorantes, & denique circa discedentes. Initio sane Legis iam audiuimus illa verba: *Quicunque ad Vrbem discendi cupiditate veniunt.* Non multo post agitur, quemadmodum gerere sese deceat, qui ibi studiorum gratia commorantur. Postremo definitur aliquid de tempore omnique ratione ex Vrbe discedendi.

X.

In memoriam vero heic repetendum est, quod alibi iam tum disseruimus, celeberrimam isthac tempestate fuisse Romae liberalium studiorum scholam. Et vero docuerunt tum in Vrbe Professores, alii quidem aere publico, alii priuata quasi opera; priores in Capitolio, alii passim in Vrbe: illi certo numero, hi incerto. Quae omnia liquido apparent ex iis, quae habentur in Constitutione Theodosii & Valentiniani Augustorum, quae & in Theodosiano pa-
13 riter & Iustinianeo Codice, illic tertia, hic vnica, etiamnum reperitur titulo eodem *de Studiis liberalibus Vrbis Romae & Constantinopolis*: modo illam, cum Constantinopoli sit lata & post nostri Valentiniani primi aetatem, liceat ad Romanam quoque Vrbem referre, & iam ante Theodosium secundum par fuerit Romanae scholae conditio. Quicquid autem

autem huius ſit, iamdudum ante fuiſſe Romae Profeſſores liberalium ſtudiorum, alios publicos, (vt ita loquar,) alios priuatos, aliunde notum eſt, & a nobis luculenter expoſitum. Si vero illa Theodoſii Minoris Auguſti Conſtitutio ad Vrbem Romam & noſtrae Legis retro tempora poteſt referri; vtique docuere tum in Capitolio ab Imperatoribus conſtituti Grammatici Latini decem, Graeci totidem, Sophiſtae ſiue Rhetores Latini tres, Graeci quinque, Philoſophus vnus, duo Iuris Romani periti. Reliquorum, qui intra priuatas domos ſtudia exercuerunt, etſi de iis in Conſtitutione illa Theodoſii nonnulla ſanciantur, numerus nusquam definitur: indubie autem tanta in Vrbe fuit longe maximus.

XI.

Quamuis autem ex variis prouinciis Romani Imperii etiam aliorum ſtudiorum cauſa ad Vrbem, propter illam copiam optimorum magiſtrorum, tanquam ad mercatum, vndique magno numero iuuenes confluxerint haud dubie; per tamen eſt veriſimile, ſtudiorum Romani iuris cauſa potiſſimum longe plurimos illuc profectos eſſe. Enimuero Grammaticos & Rhetores ſuos paſſim omnia meliora prouinciarum non Occidentalis minus, quam Orientalis Imperii oppida alebant. Galliarum certe ipſo illo tempore *eloquentiae ſtudia fuerunt florentiſſima*, vt teſtatur S. Hieronymus. Et vero Galli ſuo in ſolo haec docebantur. De Aratore Patricio extat hoc Senatoris etiam recentius elogium: *Romanum eloquium non ſuis regionibus inueniſti, & ibi te Tulliana lectio diſertum reddidit, vbi quondam Gallica lingua reſonavit. Vbi ſunt, qui literas Latinas Romae, non etiam alibi, aſſerunt eſſe diſcendas?* De eiusdem aetatis Belgio Auſonius canit:

14

Te clari proceres, te belli exercita proles,
AEmula te Latiae decorat facundia linguae.

Idem Aufonius Burdigalenfes, Tholofanos, & Narbonenfes Profeffores aliquot etiam carmine ad pofteritatem perfe-
15 cutus eft. Res omnis eft clariffima ex iis, quae Valens ac Gratianus Imperatores, mortuo iam Valentiniano, Praefecto Praetorio Galliarum refcripferunt, de conftituendis *per omnem dioecefin, in frequentiffimis ciuitatibus, qui erudiendae praefideant iuuentuti, Rhetoribus & Grammaticis Atticae & Romanae doctrinae*, quae hodie leguntur *lib. IX. Cod. Theodof. de Medic. & Profefforibus.* In Africa Carthago omnis generis ftudiis itidem fuit tum refertiffima. S. Auguftini dictum eft: *Duae Vrbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* De eadem Saluianus *lib. VII. de gubern. Illic omnia officiorum publicorum inftrumenta, illic artium liberalium fcholae, illic Philofophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnafia vel morum.*

XII.

Haec vero quamuis ita in prouinciis illis fefe haberent, in omni tamen Occidentali Imperio fortaffis, iam tum Romae duntaxat Iuris fuit publica quaedam & celebris disciplina. Et vero Iuftinianus ea Conftitutione, qua de *Iure veteri enucleando* agit, cum iura Romana non alibi, quam Romae, Conftantinopoli, & Beryti, doceri iuffiffet, affirmat, *iam a retro Principibus ita conftitutum fuiffe.* Certe iam tum Romam iuris discendi caufa peti a prouincialibus folitam, non eft,
16 quod dubitemus. De Palladio diferte in Itinerario fuo canit Rutilius:

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Miffus, Romani difcere iura fori.

De Alypio ſuo S. Auguſtinus *lib. VI. Confeſſ. cap. 8.* ſcribit: *Non ſane relinquens incantatam ſibi a parentibus terrenam viam, Romam proceſſerat, vt ius disceret.* Sic & Sidonius Apollinaris *lib. I. epiſt. 6.* hortatur Eunapium, vt iuris discendi gratia Romam pergat, *domicilium legum, gymnaſium literarum.* Idem ſerius adhuc eſſe obſeruatum, palam eſt ex Errico Altiſſiodorenſi, qui de S. Germano *lib. I.* ita canit:

Incitus his animus, talique cupidine raptus,
Qua caput eſt orbis terrarum, maxima Roma,
Tendit iter, Latii nodos addiscere iuris.
Et didicit, palmamque breui tulit ille laboris.

De eodem Germano Conſtantius: *Vt in eum perfectio literarum plena conflueret, poſt auditoria Gallicana intra Vrbem Romam Iuris ſcientiam plena perfectione adiecit.* Et quid opus eſt verbis, cum ſatis conſtet, praeclaros illos ICtos, ex quorum fragmentis Pandectae conſtructae ſunt, vt & ante hos, ab aliquot retro ſaeculis, clariſſimos Iurisconſultos quosque Romae & vixiſſe & docuiſſe? Sine dubio autem ſemper multi iam tum appulerunt animum ad Romani iuris ſtudia illa: vtpote cum illae leges ſolae in foro per omnem Romani Imperii ambitum, qui vtique ampliſſimus erat, obtinuerint, & innumeri paene foro paſſim, per Galliam cumprimis, quae iam olim Iuuenali audiuit *nutricula cauſidicorum*, operam ſuam locauerint. De primo itaque capite legis noſtrae iam tum conſtat: nempe agere illam de iis, qui peregre aduentantes Romae in ſtudiis aut viuebant, aut victuri erant, aut vixerant hactenus. 17

XIII.

De ALTERO item haud poteſt eſſe magna difficultas. Liquidum enim eſt, praecipi hac Conſtitutione ab Imperatore nonnulla Praefecto Vrbis; ſingulatim autem velle Imperatorem

torem, quaedam eorum a Magiſtro cenſus, quaedam a Cenſualibus aut Officio cenſuali expediri. Non eſt vero, quod miremur, ad Praefectum Vrbis direxiſſe Caeſarem hoc ſtudioſam iuuentutem Vrbis Romae attinens Reſcriptum. Erat enim illo tempore ſumma vniuerſi Imperii Occidentalis, perinde vt Orientalis, cura poſt Auguſtum ipſum penes

18 Praefectos tres: quorum duo Praefecti praetorio audiebant, Italiae alter, alter Galliarum, tertius erat Praefectus Vrbi: qui omnes cum paucis *Illuſtres*, imo *Illuſtriſſimi*, nuncupabantur: cum muneribus & dignitatibus publicis fungentes alii non niſi *Spectabilium*, alii *Clariſſimorum*, alii *Perfectiſſimorum*, denique nonnulli *Eximiorum*, titulis eminerent. Hos inter Praefectus Vrbi cum aliis Vrbicis rebus, tum etiam iurisdictioni, praeerat. Idque obtinuerat iam ab Octauiani Auguſti aeuo. Hic enim, prout nos docet Dion Caſſius, praeclarus ſane ſcriptor, *lib. XXV.* ex Maecenatis conſilio Vrbi Praefectum creauit, (niſi vehementer fallor, quo deprimeret Conſularem & Praetoriam auctoritatem:) qui omnes ciuiles & criminales cauſas in Vrbe, imo & extra Vrbem intra quingenta quinquaginta ſtadia, iudicaret, &, quod caput dixeris, vt ad eum ex prouinciis appellaretur. Hinc Auguſtinus *quinto Confeſſionum libro* memorat, ſeſe a Symmacho, Vrbis Praefecto, in eloquentiae ſtudiis fuiſſe probatum, & Rhetoricae docendae cauſa miſſum eſſe Mediolanum. Nec tamen Mediolanum vere fuit ſuburbicarium, eoque forte

19 id factum eſt iure quodam alio, quo nempe ad Praefectum Vrbi fuit ex prouinciis appellatum. Fuit quidem illa Praefecti iurisdictio extra Vrbem multum ſubinde a Caeſaribus reſtricta. Diſerte enim Valens Auguſtus, (modo tamen illa non pertineant ad ſolum Praefectum Vrbi Conſtantinopolitanae,) *l. 13. Cod. Theodoſ. de accuſationib. Referent*, ait, *de ſuburbanis prouinciis iudices ad Praefecturam Sedis Vrbanae: de caeteris ad Praefectum Praetorio.* Ex *Notitia* quoque *vtriusque*

que Imperii, quae Arcadio & Honorio Imperatoribus conſcripta eſt, colligas, Picenum ſuburbicarium itidem Praefecto Praetorio Italiae paruiſſe. Fuit item nonnihil diminuta Praefecti illius auctoritas ipſa etiam in Vrbe circa Senatorum capita, ſi in iudicium illa traherentur. Salua tamen in reliquis manſerat adhuc eius, ſaltim in Vrbe, iurisdictio. Eoque tum etiam deportandi ſontes poteſtatem Praefectus Vrbi habuit: perinde vt, habuiſſe illum Vlpiani aetate, conſtat ex titulo de *officio Praefecti Vrbis*. Spectabat porro ad eundem ſpectaculorнm diſciplina, imo omnes artes ſub eius imperio Romae exercebantur. Id quod omne praeclare perſecutus eſt ille nunquam ſatis a peritia rerum Romanarum ſequioris aeui laudandus ICtus, Guidus Pancirollus, ad *Notitiam Imperii Occidentalis cap. IV*. Haud dubie igitur eius iurisdictioni omnes quoque peregre aduentantes fuerunt ſubiecti: ac proinde &, qui ſtudiorum gratia Romam proficiſcebantur, merito illi obtemperabant. Eo ſane factum, vt & S. Auguſtinum Symmachus examinari curauerit, ceu paulo ante diximus. Nec enim tum obtinuit illa, quae hodie eſt, Academicae iurisdictionis ratio: recens quippe haec eſt, & beneficio demum Friderici I. Caeſaris introducta. Ab ipſomet ſane Iuſtiniano Conſtantinopolitanae etiam Vrbis, Nouae Romae ſcilicet, Praefecto frenandae petulantiae Studioſorum, quae tum magna erat, cura commiſſa eſt, ceu legitur *l. omnem Cod. de veteri iure enucleando*. Diſſertatione etiam quinta *de Antiquitatibus Academicis* dudum nos oſtendimus, ipſis Athenis Atticis Profeſſores cum Studioſis Proconſuli ex lege paruiſſe. Igitur quid obſeruari voluerit Imperator de iis, qui ſtudiorum cauſa Romam petierunt, optimo ſane iure non niſi ad Praefectum Vrbi reſcribi debuit, vt cui ſumma omnium eiusmodi rerum curatio competebat.

20

XIV.

XIV.

Et vero eidem Praefecto Vrbi ſuberat Magiſter Cenſus, & in Officio, (prout tum erat loquendi mos,) hoc eſt, in miniſterio eiusdem, Cenſuales quoque numerabantur: a quibus Caeſar fieri aliquid circa Studioſos voluit, ceu iam tum audiuimus. Diſerte ſane auctor *Notitiae vtriusque Imperii* (qui liber ad intelligentiam rerum Imperii Romani, quales ſaeculo quarto & quinto erant, theſauri loco cenſendus eſt, praeſertim poſtquam illum luculentiſſimis commentariis illuſtrauit Pancirollus:) inter quindecim magiſtratus, qui ſubfuerunt diſpoſitioni Praefecturae Vrbis, poſt Praefectum Annonae, Praefectum Vigilum, Comitem Formarum, Comitem riparum & aluei Tiberis & cloacarum, Comitem Portus, ſexto loco reeenſet Magiſtrum Cenſuum: inter Officiarios item ipſius Praefecti loco duodecimo Cenſuales. [21]

XV.

Vnde obiter hoc quoque diſcere, niſi fallor, poſſemus, ſi non iam aliunde eſſet notum, Magiſtrum Cenſuum multum dignitate praeſtitiſſe Cenſualibus; in hac porro noſtra lege Officium Cenſuale idem eſſe, ac Cenſuales. Licet autem hoc vltimum haud difficulter etiam ex ipſa hac noſtra lege addiſcere. [22] Cum enim dixiſſet lex: *Tertio, vt hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium*, mox ſubiungitur: *Iidem immineant Cenſuales.* Vbi videmus, Officium Cenſuale etiam Cenſuales appellari. Sed & paſſim in ipſo Iuſtinianeo Codice, cumprimis *libro duodecimo*, etiam *apparitores* dicuntur illi, qui *in officio* eſſe affirmantur. Inter apparitores autem Praefecti Vrbis non vtique Magiſter Cenſus fuit computatus.

XVI.

Verſabatur autem Magiſtri Cenſus pariter & Cenſualium ordinaria quidem curatio, vt nomen ipſum indicat, circa

ca censum. Qua voce cum omnis generis vectigalia ac tributa, tum annotatio publica hominum bonorumque, ex more illius aeui significabatur. Vtraque certe significatione & alibi, & in Legibus Theodosianis pariter & Iustinianeis, vox illa accipitur. Erat autem illius Census siue annotationis, Floro dicente, ea vis, *vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur.* Vnde & Cicero de reipublicae suae, quam instituit, censoribus *lib. III. de legibus* ita sanxit: *Censores populi aeuitates, soboles, familias, pecuniamque censento.* Ac Romae quidem primus Seruius Tullius Rex eiusmodi censum egit, vel (vt Graeci loquuntur,) ἀπογραφὰς instituit: in provinciis quo auctore idem coeperit, haud certo dixerim. Augustum Caesarem per omnem Romanum orbem egisse censum ex singulari curiositate, notissimum est. Et vero duplici de causa census tunc acti sunt; primario quidem, vt tributa de personis & bonis eo rectius soluerentur; secundario autem, vt vis omnis Imperii, quae vtique in personis & bonis consistit, imperantibus innotesceret. Certe ob finem illum posteriorem solum census interdum acti sunt. Cuius exemplo est census ille, iussu Augusti Caesaris a Quirinio, Syriae Praefecto, per Iudaeam institutus, quem sacra Natalium Domini historia memorat: nec enim capitatio ab Imperatoribus indicta est Iudaeis ante rerum Archelai confiscationem, vt praeclare a viris quibusdam doctissimis est obseruatum. Certe non nisi ex talibus monumentis Censualibus in vnum collatis potuit confici ab Octauiano Augusto illud *Breuiarum Imperii*: quod inter arcana eius ab obitu repertum esse, memorant & Suetonius *cap. vlt.* pariter & Dio *lib. LVI.* Repetendum porro hoc loco etiam est ex aeui illius Romani historia, inter varia siue vectigalium siue tributorum genera obtinuisse tunc & Capitationem & Portorium. Est autem Portorium id, de quo Vlpianus *l. inter publ. §. vlt.*

23

24

de V.S. Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit: quale est vectigal portus vel venalium rerum. Solae scilicet res venales in portum allatae aut ex portu educendae soluebant portorium: quae autem vsus sui causa quisque ferebat, a vectigali illo erant immunia: prout liquet ex *l. vniuersi C. de vectigalib. & com.* Capitatio est id, quod idem Vlpianus *l. 3. ff. de Censib. tributum capitis* vocat. Tale quid in ipsa Vrbe Roma soluere coacti erant olim illi, qui extra classes erant, adeoque non secundum bonorum aestimationem quicquam pendebant, quiue ideo, quod *nullo aut paruo aere censerentur, capitecensi vocabantur*, vt loquitur Iulius Paulus apud Gellium *lib. XVI. Noct. Attic. cap. 10.* Videtur tamen illud capitis tributum omni plebi Romanae tandem remissum: quamuis haud dixerim, cuius Imperatoris beneficio illud debeatur. Etsi enim Accursius, aliique interpretes quammulti, Constantino Magno id tribuant, argumento capto ex *l. vn. C. de capit. ciu. cens. eximendo*, illam tamen 25 Constitutionem non ad Praefectum Vrbi, quod illi existimabant, sed ad Virum Praetorium ac Praesidem Lyciae ac Pamphyliae, scriptam, adeoque ad oppida illarum prouinciarum primario pertinere, praeclare monuit eximio libello *de Capitatione* Ioannes Baptista Vicecomes, ICtus Mediolanensis. Imo omnium in vniuersum prouinciarum vrbanae plebi id videntur commune esse voluisse Imperatores: vt recte censet Guidus Pancirollus *lib. III. Var. lect. in vtr. Iur. cap. 31.* Quanquam, eam fuisse mentem ipsiusmet Constantini, haud crediderim, sed post demum existimem ita placuisse: velut diu ante Romae capitatione omni plebem liberatam, cum nec Alexandriae iam Vespasiano imperante ea amplius obtinuerit: quod Vicecomiti quoque est obseruatum. Haud dixerim tamen, omnes omnino incolas Vrbis Romae a Capitatione fuisse immunes: imo μετοίκους & peregrinos quosque Romae soluisse illud tributum, per est verosimile,

XVII.

XVII.

Sed haec aliena nonnihil ſunt ab hoc loco. Ex hisce tamen, quae attulimus, videtur manifeſtum, Valentiniano etiam imperante Cenſuales illos, qui portorio erant intenti, potuiſſe obſeruare omnes Studioſos peregre in portum ad- 26 ventantes; alios item, qui a peregrinis Romae commorantibus capitum vectigal exigebant, ſimul omnium peregrinorum illorum Studioſorum numerum & curam aliquam potuiſſe habere. Longe facillime vero id fieri ab iisdem potuit, ſi cenſus omnium priſco more etiam tum fuit actus, atque adeo omnium omnino nomina in tabulas publicas fuerunt curante Magiſtro Cenſus a ſenſualibus relata: quod per eſt veroſimile: quia alias infinita illa hominum multitudo commode regi non potuit. Et vero propter hoc Magiſtri Cenſus & Cenſualium munus videtur mihi ab Imperatore illis potiſſimum, & non aliis, fuiſſe ſimul iniunctam illam circa liberalium artium Studioſos peregrinos curationem. Nos certe munus illud propterea hoc loco nonnihil enarrauimus, id vti omnibus perſpicuum redderetur.

XVIII.

Caeterum de ſecundo capite Legis noſtrae ſatis forte eſt dictum pro inſtituti noſtri ratione: ad TERTIVM igitur tandem nunc aggrediemur, quod omnium eſt potiſſimum: viſuri, quid denique circa Studioſos illos agi Caeſar voluerit. Inter ea autem, quae huc pertinent, primo loco oc- 27 currunt duo; vtraque (niſi vehementer fallor,) ipſimet Magiſtro Cenſus expedienda. Verba Legis haec ſunt: *Quicunque ad Vrbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum cenſus Prouincialium Iudicum, a quibus copia eſt danda veniundi, eiusmodi literas proferant, vt oppida hominum & natales & merita expreſſa teneantur; deinde vt in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare*

 velint.

velint. Duo haec eodem tempore videntur fuiſſe agenda, adeoque non alibi, quam apud ipſum Magiſtrum Cenſus: vtpote cum ad illum ſaltim literae illae teſtimoniales afferri debuerint, nec alibi nomina Studioſorum in tabulas cenſuales referri. Et vero apud illum etiam alias referebantur in tabulas capita omnium peregre aduentantium, ceu iam ante diximus: itaque vtrumque hoc commode apud illum potuit inſtitui, etiam de Studioſis peregrinis.

XIX.

Cumprimis vero obſeruandum venit, quod hic innuunt Imperatores; nemini Studioſorum ex Prouinciis (qua voce paene omne, quod extra Vrbem erat, cenſebatur:) Romam veniendi facultatem fuiſſe, niſi Prouincialium Iudicum venia impetrata. Num in vniuerſum de omnibus peregre profecturis, aut ſaltim de omnibus Romam petituris, tale aliquid fuerit in prouinciis conſtitutum, nondum ſatis compertum habeo. Videtur interim, non fuiſſe id adeo omnibus commune, ſed de ſolis iis, qui ſtudiorum cauſa Romam ibant, obſeruatum. Perinde ac eadem, pauloque poſt ſubſequente, tempeſtate Africani Epiſcopi per canones caverunt, ne quis Epiſcopus ex Africa transmarinas terras peteret, niſi literis publicis inſtructus. Canon Africanus viceſimus tertius ita ſeſe habet: *Item, vt Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primae ſedis Epiſcopo ſuae cuiusque prouinciae: vt ab eo praecipue poſſint ſumere formatam, vel commendationem.* Qui *trans mare* tum proficiſcebantur ex Africa, illi Romam praecipue & Italiam petebant: quo ſenſu *transmarinae appellationes* canone XXVIII. & CXXV. nec non *transmarinae ſubreptiones* canone CV. prohibentur. Quemadmodum autem fas non fuit Epiſcopo vlli transmarina petere ſine literis publicis, ita multo minus *Comitatum* ſiue aulam Imperatoriam: qua de re extat praeclarus canon

cen-

centesimus sextus. Interpres porro Graecus *formatam* passim vertit ἀπολυτικὴν, quem hoc nomine perstringit doctissimus Iustellus: immerito tamen fortassis: vtpote cum a *commendatitiis* diserte *formatas* literas canon vicesimus tertius separet, & videatur omnino dimissoriis fuisse opus ad talium itinerum licentiam; perinde atque videmus, hac lege vetitum iuuenibus, Romam petere studiorum causa, non impetrata *veniundi copia* a Prouincialibus Iudicibus. 29

XX.

Quicquid huius sit, id liquet, ad Magistrum Census debuisse Studiosum quemque Romam aduentantem afferre testimonium publicum Iudicis Prouincialis, (fuere autem illi admodum varii & multi,) & quidem eiusmodi, vnde possit constare, primum, quo *oppido* ille fuerit oriundus, secundo, quibus *natalibus*, tertio, quibus *meritis*. De primo vt quicquam addamus, necessum non est in re clarissima. Per *merita* intelligi vitae anteactae rationem, haud difficulter item patet. *Natalium* denique nomine parentum conditionem significari, videtur vacare dubio. At vero & ipsum natiuitatis annum voce illa inuolui, atque adeo & hunc fuisse indicandum, palam est ex iis, quae sequuntur. Decernitur nimirum, vicesimo anno aetatis expleto quemuis in patriam a Praefecto Vrbis remittendum. Illud autem fieri non potuit, nisi de aetate cuiusuis Prouinciales Iudices fuissent ante testati. Nec vero est, quod quis existimet, fieri illud haud potuisse. Passim enim, & Romae & in omnibus prouinciis, tempus natiuitatis cuiuslibet hominis ingenui in tabulas publicas referebatur, idque ex instituto Marci Antonini Imperatoris. Diserte de illo Iulius Capitolinus in *Vita Marci cap. 9: Inter haec liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud Praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra tricesimum diem nomine imposito.* 30

Per prouincias tabulariorum publicorum vſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud Praefectos aerarii, vt, ſi forte aliquis in prouincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret. Eius moris veſtigia paſſim in ipſo Iuſtinianeo Iuris corpore ſuperſunt. Hinc ſane *Natalis profeſſio*, & *Tabulae natales*, & *Tabulae profeſſionum*, & abs- 31 ciſſe *profeſſio* memorantur *l. non nud. C. de probat. l. ſtatum C. de fid. inſtrum. l. 1. C. ſi minor. maior. ſe dix. l. cum de aetate ff. de probat.* Nec aliud eſt, quod Apuleius *in Apologia* vxoris ſuae aetatem probet tabulis, *quae partim tabulario publico, partim domi aſſeruentur: patrem enim eius natam ſibi filiam more caeterorum profeſſum eſſe.* Quemadmodum praeclare ad locum illum Apuleii annotauit illud elegantium Iuris Romani peritorum decus, Scipio Gentilis *n. 877.* & ab hoc monitus Io. Pricaeus Britannus in *Commentario*: qui tamen perperam exiſtimat, initium huius inſtituti Seruio Tullio Regi adſcribendum eſſe.

XXI.

Poſt haſce vero Iudicis Prouincialis literas exhibitas debuit porro adoleſcens apud Magiſtrum Cenſus profiteri, *quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare velit.* Indubie vero vtrumque, & prius ſcilicet illud & poſterius, in album aliquod ſiue matriculam, ſiue tabulas publicas, Magiſter Cenſus debuit referre. Alioquin enim nullius fuiſſet vſus cum literarum illa exhibitio, tum ſtudiorum profeſſio. Nec enim potuiſſet ſciri, quamdiu quis Romae debuerit tolerari, aut quo iuſto tempore in patriam remitti: nec in ſtudia potuiſſet deinceps recte inquiri. Caeterum apud ipſum qui- 32 dem Magiſtrum Cenſus praeter duo haec nihil agendum fuit tunc Studioſis adoleſcentibus. Nec vero|par fuit, viro magnae dignitatis minutioribus curis moleſtum eſſe. Reliqua omnia, de quibus mox acturi ſumus, vel ad Cenſuales

les pertinent, vel ad Studiosos, vel ad ipsum Praefectum Vrbis.

XXII.

Ex iis vero, quae Romam venientibus adolescentibus statim circa initia fuerunt agenda, tertio loco subiungit haec Caesar: *Tertio, vt hospitia eorum sollicite Censualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam asseruerint expetiisse.* Censuale Officium constabat magno numero eorum, qui in Census negotiis ministrabant. Hi cum proxime inseruirent Magistro Census, potuit adolescentis in tabulas apud Magistrum relati cura ac ratio satis commode ab illis suscipi. His itaque iniunctum est ab Imperatore, vt *sollicite* nota sibi redderent hospitia Studiosorum: & quidem illum in finem, vti scirent, num Studiosus quisque illis studiis reapse vacaret, quae sectaturum sese promiserat. Atqui indubie & mutanda interdum fuerunt hospitia, & eligenda diversa ab iis, quae primum placuerant. Debuerunt igitur Censuales inquirere, non duntaxat in nouiter aduentantium, sed simpliciter in omnium Romae commorantium peregrinorum hospitia. Certe ita demum licuit assequi id, quod Caesaribus erat propositum. Et vero Censualibus fuisse iniunctum, non in illa prima initia tantum, sed in omne commorandi tempus, animum intendere, ex iis, quae subsequuntur, est manifestum. 33

XXIII.

Pergit scilicet Lex in hunc modum: *Iidem immineant Censuales, vt singuli eorum tales se in conuentibus praebeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, & consociationes (quas proximas putamus esse criminibus,) aestimant fugiendas: neue spectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempestiua conuiuia.* Non multo post iniungitur Censualibus, singulis mensibus deferre, vnde quique venerint, & quinam (expletis videli-

cet

cet annis ſuis) ſint remittendi. Quod poſterius fieri non potuit, niſi omni commorationis interuallo Cenſuales rationem omnium habuiſſent.

XXIV.

Notari praeterea quammaxime merentur illa, quae ab adoleſcentibus Studioſis obſeruari Caeſares voluerunt. *Primum* attinet conuentus, *alterum* ſpectacula, *tertium* denique vulgi intempeſtiua conuiuia. *Conuentus* voce fortaſſis intelligenda venit contracta vnum in locum populi Romani maior quaelibet multitudo ac frequentia: quales reipublicae, cumprimis iudiciorum, cauſa interdum a magiſtratibus indicebantur; aliae etiam coibant in feriis & ludis ſolennibus; vt aliae in Eccleſiis Chriſtianorum, quae etiam ipſae ſolent ſcriptoribus eius ſaeculi *conuenticula* appellari. Eiusmodi conuentus grauitate morum & virtute bene componi, poſtulabat vtique & res ipſa, & Vrbis regnatricis maximorumque eius ciuium dignitas. Voluit itaque Caeſar cauere, ne ſtudioſa iuuentus, (vt ſolet illa aetas eſſe auida nouarum ſibi rerum,) conuentibus eiusmodi ſeſe indubie magno numero immiſtura, per iuuenilem imprudentiam quicquam committeret, quod vel dedecori poſſet eſſe conuentibus, vel eos turbare. Quorum prius fieri poteſt per ea, quae turpia ſunt & inhoneſta: poſterius per conſociationes. Et vero recte Caeſar *conſociationes* criminibus proximas iudicavit. Tumultus enim & turbas excitant coitiones & factiones illae iuuenum temerariae, atque adeo perturbant publicam tranquillitatem, cuius conſeruatione nihil prius eſſe debet in quauis republica. Fortaſſis tamen *conuentuum* voce ſignantur hoc loco conuentus Studioſorum in ipſis ſcholis. Vtique enim & ibi congregantur in vnum auditores: nec minus ibi, quam a publicis ciuium Romanorum conventibus, abeſſe debuit turpitudo morum & omnis factio.

34

35

Poſſu-

Poſſumus maxime ſecure vocem illam accipere de conuentibus plane omnibus, cum hisce Scholaſticorum propriis, tum aliis Romanorum ciuium, ſacris pariter profanisque.

XXV.

Spectacula, de quibus loquitur Lex, erant tunc temporis varia: cum publica populi, alia circi, alia caueae ſiue amphitheatralia, alia ſcenae: ne nunc dicam de odeorum aliorumque locorum ludis; tum priuata magis hic alibi per Vrbem, eaque paene numero infinita. Edebanturque tunc ipſa illa publica, quae potiſſimum Lex reſpicit, Romae multo frequentiſſime, imo tantum non quotidie. Saluianus ſane Circorum ac Theatrorum ſpectacula *lib. VI. de gubernat. Dei* vocat *quotidianas obſcoenitates.* Eiusdem verba haec ſunt: *Ecce innumera Chriſtianorum millia in ſpectaculis quotidie rerum turpium commemorantur*, ſiue potius *commorantur.* Vixit autem Saluianus ſaeculo quinto Chriſtiano: quo tempore dixeris tamen obſeruatas fuiſſe illas leges, quibus ſpectaculorum celebratio feriatis Chriſtianorum diebus prohibita fuit. Reperiuntur illarum binae *tit. de ſpectaculis*, qui eſt ſextus libri decimiquinti Codicis Theodoſiani. Altera Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Auguſti ita ſanciverunt: *Illud etiam praemonemus, ne quis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat: nullum ſolis diei*, (lege *die*) *populo ſpectaculo* (lege *ſpectaculum*) *praebeat, nec diuinam venerationem confecta* (lege *conficta*) *ſolennitate confundat.* Altera Theodoſii Minoris & Valentiniani III. Caeſarum ita ſeſe habet: *Dominico, qui ſeptimanae totius primus eſt dies, & Natale* (lege *Natali*) *atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchae etiam & Quinquageſimae diebus, quamdiu coeleſtis lumen lauacri imitantia nouam ſancti baptismatis lucem veſtimenta teſtantur: quo tempore & commemoratio Apoſtolicae paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtrae, a cunctis iure celebratur: omni Theatrorum atque Circenſium voluptate populis denegata, totae Chriſtianorum ac fideli-*

36

delium mentes Dei cultibus occupantur. At vero posterior illa lex, cum scriberet ista Saluianus, forte nondum erat promulgata, lata quippe demum Theodosio XI. & Valentiniano Coss. hoc est, anno aerae Dionysianae CCCCXXV: prior item non multum fortassis fuit obseruata. Certe Africani Patres anno CCCXCIX. censuerunt, legatione solenni orandos *Caesares*, *vt spectacula theatrorum caeterorumque ludorum die Dominico vel caeteris religionis Christianae diebus celeberrimis amoueantur: maxime quia sancti Paschae octauarum die populi ad Circum magis, quam ad Ecclesiam, conueniant*: quod habetur canone Africano sexagesimo primo. Sed quicquid sit de Saluiani aeuo, quo tempore lex nostra condita est, haud dubie spectacula fuerunt Romae quotidiana: vtpote cum nulla lege eorum celebritas a quoquam die fuisset iam remota. Et vero ipsa illa tempestate cum Romae, tum alibi passim in orbe Romano populus ad insaniam vsque spectaculis fuit deditus. Hinc Ammianus Marcellinus *lib. XXVIII.* perstringens mores Romanorum, quales erant ipso tempore latae legis nostrae, de otiosa plebe Romana *cap. 25.* ait: *Hi omnes, quod viuunt, & vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis: eisque templum, & habitaculum, & concio, & spes omnis, Circus est maximus.* Similem insaniam prouincialium hominum acerrime item insectantur Saluianus, Chrysostomus, alii. Nec sane periit illa nisi cum euersione omnium bonorum reipublicae. Quare fatetur quidem Saluianus, in multis Galliae & Hispaniae vrbibus desiisse tunc illa ludicra, sed addit caussam: *quia agi iam prae miseria temporis atque egestate non possunt: calamitas enim fisci & mendicitas iam Romani aerarii non sinit, vt vbique in res nugatorias perditae profundantur expensae.* Lex nostra non interdixit studiosos iuuenes omnibus spectaculis, sed tantum voluit, ne *spectacula frequentius adeant*: more scilicet vulgi Romani, & cum illorum daretur copia quasi infinita.

37

38

XXVI.

Pergit Lex in haec verba: *ne appetant vulgo intempeſti-va conuiuia.* Videtur autem ſcribendum *vulgi conuiuia.* Illa enim tempeſtate praeter epulas, quas in tanto luxu ſinguli ditiores Romae indies ferme inſtituebant infinitas, erant & publica conuiuia longe plurima, collegiorum, tribuum, 39 corporum, imo & totius populi. Et quidem horum cele-berrima nonnulla, idolorum quondam cultui dicata, ſacri-ficiis licet iam abolitis, auctoritate tamen Caeſarum tolera-bantur. Iam tum videlicet Conſtantinus M. ſacrificiis omni-bus populum interdixerat: vt Euſebius paſſim & Theodo-retus *lib. V. c. XX.* memorant, imo ipſemet filius eius & ſuc-ceſſor Conſtantius diſerte indicat *l. 2. Cod. Theodoſ. de Paganis.* *Conuiuia* tamen feſta demum anno Dionyſiano CCCCIIX. Arcadius, Honorius, & Theodoſius Auguſti vetuerunt ea lege, quae eſt nonadecima eiusdem Codicis Theodoſiani *de Paganis.* Qui tamen Caeſares anno CCCXCIX. conuiuia eadem diſerte permiſerant lege eiusdem tituli ſeptima de-cima, hisce verbis: *Vt profanos ritus iam ſalubri lege ſubmo-vimus, ita feſtos conuentus ciuium & communem omnium laetiti-am non patimur ſubmoueri. Vnde absque vllo ſacrificio atque vl-la ſuperſtitione damnabili exhibere populo voluptates ſecundum veterem conſuetudinem, inire etiam feſta conuiuia, ſi quando exi-gunt publica vota, decernimus.* Nec vero quicquam effece-runt ſua legatione ad Imperatorem Africani Epiſcopi, ſed potius videntur ipſam illam legem elicuiſſe: vtpote quae Proconſuli Africae miſſa ſit XIII. Kal. Septembr. cum eiusdem anni v. Kal. Mai. decreta fuiſſet legatio. Epiſcoporum tamen 40 canon, qui eſt numero ſexageſimus, dignus eſt, quem hoc loco recitemus. *Illud etiam* (verba ſunt canonis,) *petendum, vt, quoniam contra praecepta diuina conuiuia multis in locis exer-centur, quae ab errore gentili attracta ſunt: ita vt nunc a pa-ganis Chriſtiani ad haec celebranda cogantur: ex qua re tempo-*

ribus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur; vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de possessionibus imposita poena prohiberi: maxime cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas ciuitates, & in ipsis locis sacris, talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant: & (forte vt) *matronalis honor, & innumerabilium foeminarum pudor, deuote venientium ad sacratissimum diem, iniuriis lasciuientibus appetatur: vt etiam ipsius sanctae religionis paene fugiatur accessus.* Hactenus Canon.

41 Liquet autem vel ex hisce Canonis verbis, conuiuia illa vere fuisse *vulgi* conuiuia, saepe etiam *intempestiua*. Verosimile autem est, tum quoque celebrari solitas illas epulas publicas in solennibus Caesarum festiuitatibus, etsi iis olim Christiani abstinuerint. De istis ita Tertullianus *Apologet. c. 35*: *Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernae habitu adolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Haeccine solennia dies Principum decent, quae alios dies non decent?* Notauit eximia quaedam de hisce festis conuiuiis ad Libanii *de templis* orationem patre Dionysio neutiquam inferior Iacobus Gothofredus: quae operae fuerit pretium cum cura expendere. Huiusmodi itaque *vulgi conuiuiis* non quidem plane interdixit Imperator studiosos bonarum artium; vetuit tamen illa *appetere*, siue, quod idem est, studiose sectari.

XXVII.

Horum omnium vero inspectio & cura accurata, vt ante dictum, Censualibus commissa est a Caesare. Talis sane

42 curatio innuitur voce illa: *immineant*. Nec vero illa tempestate obtinebat amplius illa Ciceronis aeuo sueta Latine loquen-

loquendi ratio, ſed voces multae in barbariem erant flexae, cum ſignificatione priſca, tum pronuntiatione, immutata. Inſpectio, inquam, commiſſa fuit Cenſualibus. Nec enim data ipſis fuit ſimul & animaduertendi in ſontes facultas: ſed, ſi quid obſeruaſſent minus bene geſtum, deferre id debuerunt ad Praefectum Vrbi. Et vero ad hunc pertinet id, quod mox in lege noſtra ſequitur.

XXVIII.

Quin etiam (ait Lex,) *tribuimus poteſtatem, vt, ſi quis de his non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus affectus, ſtatimque navigio ſuperpoſitus, abiiciatur Vrbe, domumque redeat.* Verberibus publice afficere ſontes ac deportare licebat & alias Praefecto Vrbi, ceu iam tum diximus: hoc nouum videtur acceſſiſſe, quod tam graui paena licuerit in iuuenes iſtos animaduertere, qui non ita in Vrbe *ſe geſſiſſent, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcit.* Nec enim propter eiusmodi culpam temere aliquis hactenus vel verberibus publice fuerat affectus vel ignominioſe quaſi deportatus: in illa praeſertim viuendi licentia, quae tum Romae obtinebat. Et vero tam ſeueram legem fortaſſis expreſſit Caeſari inſolens petulantia multorum ſcholaſtici illius ordinis: vt ſolent mali mores acuere leges & nouas multas elicere. Sed hanc rem iterum non multo poſt agitabimus. 43

XXIX.

Decernit mox Caeſar tempus commorandi in Vrbe. *His ſane* (inquit,) *qui ſedulo operam profeſſionibus nauant, vsque ad viceſimum aetatis ſuae annum Romae liceat commorari. Poſt id vero tempus qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Praefecturae etiam impurius ad patriam reuertatur.* Tempus igitur Romae commorandi viceſimo aetatis anno a Caeſare

definitum eſt iis, qui gnauiter ſua curabant. Licuit nimirum, niſi fallor, ipſum annum viceſimum Romae in ſtudiis abſoluere. Adeo benigne ſcilicet interpretanda arbitror illa verba: *vsque ad viceſimum aetatis annum*: quae, fateor, accipi etiam poſſint, quaſi & illum annum Romae degere fuerit vetitum. Apparet vero hinc, minus indulſiſſe Caeſarem Valentinianum Romanae iuuentuti ſcholaſticae, quam olim fecerant Berytienſi Caeſares Diocletianus & Maximianus.

44 Extat etiamnum illorum reſcriptum ad Scholares Arabiae (ſiue potius Beryti) Codice *de iis, qui aetate & profeſſione ſe excuſant*, in haec verba: *Cum vos affirmatis liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa Iuris profeſſionem, conſiſtendo in ciuitate Berytiorum prouinciae Phoeniciae; prouidendo vtilitati publicae & ſpei veſtrae decernimus, vt ſinguli vsque viceſimum quintum annum aetatis ſuae ſtudiis non auocentur.* Quinque itaque annos vltra viginti indulſerunt illi Caeſares. Sed & videtur placuiſſe hoc potius Iuſtiniano: vt qui Diocletiani quidem illam Conſtitutionem receperit in Codicem ſuum, non vero hanc Valentiniani, atque adeo publicum eſſe voluerit omnibus, quod non niſi paucis erat reſcriptum. At vero Valentinianus Auguſtus noſter per Praefectum Vrbis etiam *inuitos* (ita enim videtur legendum pro *impurius*,) domum cenſuit remittendos eos, qui viceſimum aetatis annum expleuerant.

XXX.

Vt quamdiligentiſſime Cenſuales omnia ipſis iniuncta expedirent, iuſſit porro Imperator, ſingulis menſibus per literas (ipſe *breues* vocat voce iam tum recepta,) nomina eorum, qui venerant Romam, aut quibus per legem inde ab-

45 eundum erat, Praefecto Vrbis exhiberi. Verba Legis ſunt perſpicua & explicatione haud indigent. Ita autem ſonant: *Verum ne haec perfunctorie fortaſſe curentur, Praecelſa Sinceritas*

ritas tua Officium Censuale commoneat, vt per singulos menses, qui vel vnde veniant, quiue sint pro ratione temporis ad Africam vel ad caeteras prouincias remittendi, breuibus comprehendat. In hisce verbis, quod quidem sit obscurum, nihil occurrit. Forte tamen mirum cui videatur, ab ipso Imperatore Praefectum Vrbis titulo *Praecelsae Sinceritatis* honorari. Nihil tamen hic insolitum occurrit. Recte siquidem notauit Guido Pancirollus *lib. I. Var. lect. in vtroque Iure cap. 4: Si quis cum Illustri viro, & praecipue Praefecto praetorio vel Vrbi loquebatur, vel ad eum scribebat, etiam Princeps ipse, his verbis eum appellabat: Vestra Magnificentia, vel Illustris Magnificentia tua, aut tua Celsitudo: quo titulo hodie erga eos Principes, qui paulo sunt inferiores Regibus, vtimur; vel Sublimitas tua, siue Magnitudo, vel Eminentia: Graece dicitur* ὑπεροχὴ, *quod verbum interpres vertit Excellentia tua.*

XXXI.

Vt autem sensus illorum verborum clarissimus est, ita ex aduerso fateor, me non capere illa, quae sequuntur: *His duntaxat exceptis, qui corporatorum sunt oneribus adiuncti.* Non me latet quidem, *Corporatos* esse, qui Corporibus accensebantur; & *Corporum* nomine venisse tunc temporis societates quasdam artificum. Quamuis haud temere dixerim, ad *corpora* pertinere illos omnes artifices, qui *l. 2. Cod. Theod. de excusationib. artific.* recensentur. *Corpora* enim fuerunt *publicis obsequiis deputata*, vt dicitur *Nouella tertia* Seueri Imperatoris; aut debuerunt *seruire solennibus, quos imposuit antiqua solennitas*, vt habet *l. 4. Codic. Theodos. de priuileg. corporator. V. R.* ex qua, vt & tertia & secunda, lege vnicam conflauit Tribonianus. Non est autem verisimile, illos omnes artifices, qui memorantur *Cod. de excusat. artific.* adeo vili fuisse conditione. Sed & pistorum, suariorum, pecuariorum, susceptorum vini, *corpora* fuisse Romae, apparet ex *tit. 3. & 4. lib. XIV. Cod. Theodos. & tit. 15. & 16. lib. X. Codicis*

46

dicis Iustinianei: quorum inter artifices illos nulla omnino fit mentio. Vt proinde neutiquam probare possimus Pancirollum, qui *libro de magistratibus municipalibus*, caetera doctissimo, artifices illos *Corporatis* accenset, contra mentem praeclarissimorum Iuris Romani interpretum aliorum. At vero si *corporati* quasi mancipes fuerunt publici, qui fieri potuit, vt Studiosi quidam liberalium artium Romae peregrinantes *corporatorum oneribus* fuerint *adiuncti?* An *Corporatorum* nonnulli filios suos clam in prouincias miserunt, indeque prouincialium titulo Romam reuersos studiis liberalibus fecerunt imbui, & in libertatem per fraudem vindicari? Sane nonnullos eorum fraudulenter ad honores peruenisse, patet ex *l. vn. Cod. de pistoribus.* *Quicunque* (ait Leo Imperator,) *ex mancipiis* (de pistoribus autem loquitur,) *Comitis horreorum dignitatem & officium vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, seu quolibet alio modo, posthac fuerit assecutus, exutus dignitate, quam contra interdictum nostrae Serenitatis adeptus est, ad antiquum denuo consortium collegiumque reuocetur.* *Corporatorum* certe filii merito Romae detineri potuerunt vt *Corporatorum oneribus adiuncti*, etsi studiis liberalibus fuissent imbuti: cum conditionem parentum sequi debuerint seruili genere nati. An etiam in poenam commissae culpae Studiosi nonnulli, ingenui caeteroquin adolescentes, tunc adiuncti interdum fuere *Corporatis?* Apparitoribus quidem Praefecti Vrbis minitati sunt olim Honorius & Theodosius Augusti, *l.* 2. Cod. *de Apparitoribus Praefecti Vrbis*, hoc modo: *Quicunque Illustris Vrbanae sedis apparitor clandestina fraude pistorem concusserit, accusatus atque conuictus perpetui panificii nexibus addicetur.* Verum illa lex nondum erat tum lata: nec dixerim, talibus poenis petulantes etiam studiosos adolescentes tunc fuisse obnoxios. Forte verisimilius est, pistoris filia ducta studiosum iuuenem innexum fuisse *corpori* illi, ex *lege* 2. *Cod. Theodos. de pistoribus*, quae est Constantii

47

48

tii Imperatoris: *Si quis pistoris filiam suo coniugio crediderit esse sociandam, pistrini consortio teneatur obnoxius, & familiae pistoris annexus oneribus etiam parere cogatur.* Forte par fuit ratio & reliquorum *Corporum*. Nihil tamen definio. Imo hac de re malo ego alios audire potius, quam ipsemet audiri.

XXXII.

Minus obscuritatis habet clausula Legis vltima. Verba haec sunt: *Similes autem breues etiam ad scrinia Mansuetudinis nostrae annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum institutionibusque compertis, vtrum quandoque nobis sint necessarii, iudicemus.* Sensus clarissimus est. Voluit nempe Imperator, singulis annis non tantum nomina, sed etiam, quemadmodum sese gessisset quisque eorum, qui studiorum curriculum Romae absoluerant, per literas a Praefecto Vrbis sibi indicari: & quidem in id, quo Imperator ipse resciseret, numquos illorum posset reipublicae negotiis aliquando admouere. Nec vero *Mansuetudinis nostrae* voce praeter semetipsum significare quenquam voluit Valentinianus: similem enim in modum loquebantur illa aetate Augusti, siquando blandius sese gerebant. Sed & alias in vniuersum de se loquentes Imperatores dicere consueuerunt: *Nostra Serenitas, Tranquillitas, Lenitudo, Lenitas, Clementia, Pietas, Mansuetudo, Magnificentia, Nostrum Numen, Coeleste oraculum, Sacri affatus, Celsitudo Imperialis, Sublimitas, Excellentia Imperialis, Maiestas Imperialis, Nostra aeternitas, Perennitas:* qua de re, vt solet, eximia nonnulla congessit ὁ χαριέστατος Pancirollus *lib. I. Var. lect. c. 2.* 49

XXXIII.

Scriniorum vocem quod attinet, non illa tunc temporis notabat duntaxat *arcam, in qua scripturae, aurum, & similia,* 50

seruabantur, aut aliquid Auguſtis proprium: quod multi arbitrantur; ſed arcas promiſcue omnes ſignificabat, cum priuatas, tum publicas quasque: erant vero arcae publicae praeter Auguſtales illas etiam aliae complures. Praeterea vero vox illa coepit quoque vſurpari de hominum ordine, qui arcas eiusmodi publicas quaſi curabant. Poſteriore ſignificatione accipitur paſſim, cumprimis *l. 1. Cod. de off. P. P. Africae*, vbi in Officio eius tribuuntur Scrinia decem: quam legem eleganter illuſtrat idem Pancirollus *lib. II. V. L. cap. 188.* Imperator hac Lege ſancit, ad ſua *Scrinia* epiſtolas illas mittendas eſſe, non indicans ſingulatim illud ſcrinium, ad quod epiſtolae erant dirigendae, quoniam id indubie erat tum omnibus notum. Atque interpretes quidem Iuſtinianei Iuris nonnulli annotant, quatuor tum fuiſſe Imperatoris ſcrinia, *memoriae*, *libellorum*, *epiſtolarum*, *diſpoſitionum*: at nequaquam eſt veroſimile, tam exiguo ſcriniorum numero potuiſſe Caeſarum negotia componi, cum vni P. P. Africae, etiam quo tempore res dioeceſeos illius afflictae erant & an-51 guſtae, ſcrinia decem Iuſtinianus aſſignauerit. Atque ideo numerus ille ſcriniorum aulicorum videtur nobis latere. Non ſine cauſa vero dixeris, ad *Scrinium epiſtolarum* breves illas, de quibus Lex noſtra loquitur, mitti debuiſſe.

POLITICA LEGIS INTERPRETATIO.

XXXIV.

Haec eſt, niſi vehementer fallimur, mens Legis illius noſtrae. Et vero ea expoſita, ſatis iam officio noſtro perfuncti queamus videri. At vero multum adhuc abeſt, vt ſenſu illo Legis percepto veram eiusdem prudentiam ſimus aſſecuti. Non enim, qui tali aliqua ratione tenet ſenſum Legum

Legum, eapſe opera ſimul intelligit, num leges conueniant reipublicae necne: id quod intelligere grande illud *prudentiae* cognomentum denique promeretur. Etſi enim hac ſcientia deſtitutus, ſecundum leges & controuerſias decidere, & cauere clientibus, & de iure poſſis reſpondere, idque omne agere prudentia quaedam ſit, & quidem prudentia iuris: vtpote cum ea mentis noſtrae facultas, quae humanae vitae recte conſulere idonea eſt, paſſim apud omnes *prudentiae* titulo audiat, ſingulatim vero illa, quae id ex praeſcripto legum praeſtat, communi omnium conſenſu *Prudentia Iuris* vſurpetur; longe tamen potius indubie prudentiae munus eſt, ipſarummet legum commoda atque incommoda perſpicere poſſe: imo haec demum menſuram nominis *Prudentiae iuris* adimplet: quod vis ipſa vocis ſatis indicat. Adeo plena autem legum cognitio requiritur in illo politico viro, qui ad clauum reipublicae ſedens leges illi praeſcribere ex officio tenetur. Quî enim intelligat, num ferenda ſit noua lex, num vetus abroganda, num huius aliquid corrigendum, niſi vſu omni & noxa legum probe perſpecta? Nihil tale quidem merito poſtules ab iis, quorum gloria in promto eſt obſequio. Ne iudici quidem nefas eſt, iſthuc ignoraſſe. Quamuis enim per ἐπιείκειαν, quam appellant, leges interdum in iudiciis ſint temperandae, ἐπιείκεια autem omnis absque eiusmodi pleniore iuſti notitia eſſe nequeat; attamen ea, quae iudici cuiuis, promiscue quidem, permittenda eſt, ἐπιείκεια non niſi leuior eſt, ac proinde non exigit accuratam illam politicam legum ſcientiam, ſed duntaxat aliquam vulgarem, qualis ſolet reperiri in quolibet viro bono & rerum humanarum ſimul ac iuſti haud ignaro. Reliqua vero omnis & maioris momenti moderandarum legum peritia ac poteſtas ſupra dignitatem eſt iudicis, & munus τȣ̃ νομοθέτȣ, qualis in republica Rex eſt, & in vniuerſum omnis, quem penes eſt poteſtas ſumma. Neque vero tanta

52

53

ta facultas temere communicari iudicibus aut magiſtratibus poteſt absque magno reipublicae dispendio. Id quod vſu ipſo docemur, dum non ſatis ſibi hodie ea in re cauent paſſim ciuitates: etſi ipſemet Iuſtinianus longe prudentiſſime id omne ſibi ſoli, tanquam ſummo Principi in ſua republica, olim vindicauerit. Qua de re alias accuratius diſſerendum.

XXXV.

Igitur non profecto ſatis fuerit, dediſſe in eum a nobis hactenus inſtitutum modum mentem huius legis, ſi quem in republica gerenda vſum inuenire debeat interpretatio noſtra. A nobis autem merito hoc forte quis exſpectauerit, ſaltem ratione illius muneris Profeſſorii, quo in incluta hac Iulia nunc fungimur: vtpote cum Politici philoſophi ſit, τὴν νομοθεσίαν omnem nouiſſe, atque adeo latarum legum

54 examen in vſum reipublicae poſſe inſtituere. Et vero, quam hactenus exhibuimus, Hiſtorica quaedam duntaxat vel Grammatica (ne quid diſſimulemus,) interpretatio fuit: altera autem illa demum Politica eſt. Quod ipſum non ſine ſingulari quadam animi voluptate videmus iam etiam antehac agnouiſſe ſummum virum & aeternum Friſiae decus, Ioachimum Hopperum, nunquam ſatis laudandi operis *de vera Iurisprudentia lib. IV. tit. 16. & 23.* Quamuis ipſe eiusmodi interpretationem legum neutiquam volumine iſthoc dederit: maiori forte alicui eam reſeruans, cuius hi libri non niſi praeludium aliquod eſſe debuerunt: quantum ex illorum & prologo pariter & epilogo, vt & ex libri quarti titulo quinto, colligere eſt. Agamus igitur etiam, quod officii ratio expoſtulat, ſaltim paucis, ne prolixa diſſertatione moremur aliorum tempora vſibus reipublicae dedicata.

XXXVI.

Verum ante hoc quam agamus, cogimur quaſi adducere

cere huc nonnulla eorum, quae alibi plenius docemus, quo Politica haec interpretatio veris certisque principiis suis quasi muniatur. Omnis lex aut iubendo aut vetando aut permittendo sciscit nonnihil de actu aliquo ciuili, perinde atque omnis quaestio & deliberatio Politica circa actum aliquem ciuilem occupatur. Actus porro, vt in vniuersum omnis etiam naturalis, ita & omnis ciuilis, simul caussam suam efficientem, materialem, & finalem habet quidem; finalis tamen causae in legibus rara fit mentio, quod non intersit obsequentium, eam scire, imo intersit saepenumero, eam in vulgus ignorari. Materialis quoque & efficientis causae memoria nonnunquam in lege desideratur, sed non nisi tunc, quando aut de iis iam tum liquet, aut lex est imperfecta: perfecta autem est illa demum, quae integre determinat omnia, quae ad actum pertinent. In definienda vero causa formali actuum potissimum lex omnis versatur. Hinc iam tum paene sub initium Dissertationis huius obseruauimus, in ipsa nostra hac lege primario quidem de actuum quorundam forma; simul tamen aliquid etiam scitum esse de efficiente causa, quinam scilicet actus illos debeant edere, vt & de causa materiali, circa quas personas nempe aut res (vt omnis materia eiusmodi politica vel est res vel persona,) oporteat actus illos exerceri: solius causae finalis nulla omnino facta mentione. Quoniam porro actio in vniuersum omnis, adeoque & ciuilis, speciem formamque suam a fine quidem potissimum, ex parte autem etiam a materia atque effectrice causa consequitur; hinc in examine legis formam actus alicuius definienti praecipue ad finem siue scopum actus, ex parte tamen etiam ad agentem personam, atque ad id, circa quod actus occupatur, est respiciendum. Similiter & effectricis causae, cum principalis, tum instrumentalis, (qnarum illa in ciuilibus semper est persona aliqua, haec modo persona, modo res,) aptitudo ad

55

56

materiam, formam actuum, & finem venit exigenda: materiae vero (quae in ciuilibus nunc persona, nunc res aliqua est:) idoneitas ad effectricem, formalem, finalemque causam spectanda est, idque non minus in ciuilibus negotiis, adeoque & ipsis legibus ac deliberationibus, quam promiscue in omnibus, quae naturae, cumprimis autem humano operi, sunt obnoxia. Illa vero aptitudo vtriusque (eorum, inquam, quae siue ad materialem siue ad effectricem causam pertinent,) potest accipi ex iis, quae ad essentiam pertinent: qualia sunt alia quidem communia, alia vero ad societatem ciuilem solummodo spectant, atque adeo
57 proprie sunt πολιτικά: cum illa communia sint partim μεταφυσικὰ, partim φυσικά, partim μαθηματικά, partim etiam ἠθικά, imo & οἰκονομικά, aliarumque artium: & fiant demum vere πολιτικά, siquando ad negotium aliquod politicum adstringuntur. Finis denique ciuilium actuum (vt alias quoque,) aut est remotus aut proximus; item aut externus aut internus; vt & aut vniuersalis aut particularis. Non particularis autem finis recte se habet, nisi ille vniuersali totius reipublicae fini conueniat: nec proximus, nisi ille congruat remoto: nec internus, nisi respondeat is externo: eoque in examine finalis causae hic ordo semper est obseruandus. Et vero, quae modo attulimus, in omni νομοθεσίᾳ obseruanda veniunt: cuius portio quasi est latarum legum examinatio politica. Imo obseruanda illa veniunt in omni deliberatione & tractatione ciuilium negotiorum: nec aliunde possunt peti idoneae probationes politicae. Quae autem ita institutae sunt, illae demum vim habent verarum fortiumque demonstrationum. Alibi haec a nobis suoque loco plenius
58 docentur; hic non nisi obiter quasi afferenda fuerunt.

XXXVII.

Vnum adhuc praemonendum est, anteaquam ad rem

ipſam aggrediamur: veterum latarum legum examen difficile eſſe, propterea quod cenſura nequeat probe inſtitui, niſi omnibus, quae modo diximus, exacte perſpectis; harum vero plena cognitio, ob antiquitatem & monumentorum defectum, vel omnino non, vel aegre, haberi poſſit. Et ſane hactenus longe eſt veriſſimum illud Iuliani: *Non omnium, quae a maioribus ſunt conſtituta, ratio reddi poteſt.* Illarum tamen legum antiquarum cenſura minus eſt difficilis, ſi exigantur duntaxat ad certum aliquem notumque reipublicae ſtatum. Id quod fieri par eſt, ſi forte velis in vſum praeſentem illas transferre, atque adeo ex aeuo vetere commodum aliquod remedium tuae reipublicae petere. Nec vero prudentis eſt hominis, eiusmodi cenſura haud inſtituta admittere in vſum alienas leges: ſed talis quidem ἄτεχνος νομοθεσία (vt ſcite illam appellat Hopperus,) plane indigna eſt & neutiquam ferenda: cum rerumpublicarum varia admodum ſit conditio, & quidem in tantum, vt, vni quod prodeſt, maxime obſit alteri.

XXXVIII.

Verum tempus monet, hisce ſepoſitis ad inſtitutum negotium accedere. Et quidem initium faciemus a cauſa finali legis: quoniam id expoſcit ratio examinis, quod nulla ex parte inſtitui recte poteſt, niſi de fine omnia fuerint ante conſtituta. Quamuis vero ipſa in lege diſertis verbis finis haud indicetur; attamen haud difficulter attendenti ille liquet, cumprimis is, quem proximum appellamus, & particularis. Voluit ſcilicet Imperator cauere, ne illi, qui ſtudiorum gratia Romae ex prouinciis commorabantur, iuvenes malis moribus ex vrbano vulgi contagio afficerentur, aut mora diuturniore prouinciae patriae damno eſſent; ſed vti ſibi aliquando forent vtiles. Certe omnem iſtam legem id vnice agere, vt Studioſi illi iuuenes recte ſeſe haberent,

in

in propatulo eſt: vt neminem quoque poteſt fugere, voluiſſe Caeſarem & moribus illorum conſultum & propriis quoque neceſſitatibus. Ne ſane de vltimo dubitemus, ipſa efficiunt verba illa: *Quo meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque nobis ſint neceſſarii, iudicemus.* Voluiſſe porro Caeſarem etiam hoc, ne longior peregrinatio prouinciis fraudi eſſet, colligere eſt ex reſcripto illo iam ante recitato Diocletiani & Maximiani AVGG. ad Scholares Arabiae, ſi cum hac lege conferatur. Cauſa nimirum, quare Valentinianus vetuerit vltra annum aetatis viceſimum Romae in literis quem commorari, non alia videtur praeter eam, quae binos illos Auguſtos mouit, vt ad viceſimum quintum annum indulſerint quidem Scholaribus Beryti degere, vlterius tamen commorantes auocari permiſerint. Erant nimirum in prouinciis munera multa ſubeunda, eaque ſaepe peronerоſa, cum perſonalia, tum patrimonialia: obtinebatque, vt vnusquisque ad patriae ſuae eam operam praeſtandam etiam inuitus poſſet adigi. Huc enim pertinent ſeuerae leges, cum aliae, tum illae *libro X. Codicis titulo 37. 38. 39. 40. & 41.* Illi rei ne fraus fieret obtentu ſtudiorum, iuſſit Caeſar, omnes ab aetatis anno viceſimo remitti in patriam, quamuis inuitos. Et vero huc forte potiſſimum ſpectat illud, vt quilibet Romam veniens apud Magiſtrum Cenſus oppidum natale & genus profiteretur: quo ſcilicet ille patriae poſſit reddi iuſto tempore: *nec enim origine propria poterat quis voluntate ſua eximi; filiosque apud originem patris non in materna ciuitate, etſi ibi nati eſſent, (ſi modo non domiciliis retinerentur,) ad honores ſeu munera poſſe compelli, explorati iuris erat.*

XXXIX.

Caeterum haec quidem proxime voluiſſe Auguſtum Valentinianum lege iſthac ſua conſequi, manifeſtum ſatis

eſt

eſt. Nondum liquet tamen, vel num hunc finem recte ſibi propoſitum ille habuerit, vel num media, quae adhibuit, fuerint paria fini iſti aſſequendo: quorum prius primo loco inquirendum eſt. Vt autem iam ante monuimus, fines eiusmodi ad finem vltimum integrumque reipublicae aeſtimandi ſunt: ideoque attendendum venit, quis ille fuerit Imperii Romani, quo tempore lex condita eſt. Eſt autem hoc forte incertius. Etſi enim ſtatus Imperii ſimpliciter μοναρχικὸς fuerit, adeoque indubie ſalus reipublicae tunc fuerit in conſeruatione monarchici talis regiminis poſita; cum duo tamen ſint genera τῆς μοναρχίας, in quorum vtroque bonum quidem ſpectatur commune; ſed in alio dominantium commodum primario quaeritur, & non niſi illorum reſpectu ac κατὰ συμβεβηκὸς & ſecundario commodum ſubditorum; in alio autem pari vndique modo dominantium atque parentium ſalus attenditur; non perinde certum eſt, qualis ſpeciei tum fuerit Romanum Imperium. Multum autem intereſt, cuiusmodi fuerit: cum neutiquam omni ex parte iisdem inſtitutis vtraque μοναρχία queat conſeruari. Et vero omnes leges Romanae in vniuerſum monarchiae ſunt quamaptiſſimae, in cuius duntaxat vſum etiam ſunt conditae: caeterum videtur (vt ſolet,) fluctuaſſe illam rempublicam, & modo communis boni ex aequo, modo dominantium potius, rationem habitam. Plurimum ſane falluntur, qui exiſtimant, omni perinde ſtatui leges Romanas conuenire: id enim omnino eſt ἀδύνατον, & a mente ipſorummet Romanorum legislatorum alieniſſimum, arguitque talis opinio ſummam Politices vel regendae reipublicae inſcitiam, imo & ignorantiam ipſarummet Romanarum legum. Nec enim id verum eſt, niſi de paucis illis, quae faciunt ſimpliciter ad vſum communem omnium rerumpublicarum: reliquarum & numerus eſt maximus, & vni illarum ſpeciei, quam μοναρχίαν dicimus, congruunt; ad alias rerump. formas trans-

62

latae illas mutant ac perturbant. Interim & illarum aliae
63 fauent magis herili, aliae ciuili monarchiae, tanquam res-
publica duas hasce inter ſpecies quaſi dubia haeſerit. Nec
enim omnibus par Caeſaribus animus, quorum hodie quo-
que leges in Codicibus ſuperſunt. Multum profecto a Tra-
iani, Hadriani, Antonini Pii, Marci, & Seuerorum ciuili
in remp. benignitate alii abfuerunt: ideoque vel in gratiam
nonnullorum prenſantium vel augendo dominatui conſtitu-
ta ſunt ab iis haud pauca. Quae nec Iuſtinianus mutauit o-
mnia: ſiue per incuriam, in illa infinita diſcordantium le-
gum multitudine recenſenda ineuitabilem, ſiue quod nec i-
pſe ab herilibus ſtudiis fuerit alienus, perinde ſicut primus
fere omnium, qui Conſtantinopoli vixere, Imperatorum
non tantum nomine, ſed etiam re ipſa, fuit ἀυτοκράτωρ, quod
obſeruauit *lib. V.* Agathias. Caeterum Valentiniani Caeſa-
ris illae virtutes, quas procul adulatione deſcribit Ammia-
nus Marcellinus ſub finem *lib. XXXI.* (ne de aliis nunc dicam,)
vetant nos ſequius aliquid ſuſpicari. Vt proinde habendus
ille ſit inter eos, quibus perſuaſum, *finem iuſti imperii* (quae
verba ibidem ſunt *cap.* 23. Ammiani,) *vtilitatem obedientium
aeſtimari & ſalutem*: vtque adeo Romani Imperii admini-
ſtratio non tam dominantis commoda, quam bonum com-
64 mune, tum ſpectauerit. Ille imo fuit Caeſar iſte, vt haud
iniuria dixeris, non ampliandae potentiae, non parandis o-
pibus, non vitae luxurioſae ſtuduiſſe tum Rempublicam Ro-
manam, ſed verae felicitati. Quam in virtutis exercitio,
cum eorum, quae ad vitae ciuilis vſum requiruntur, iuſta
copia, collocant ſapientes: etſi alias non priuatim duntaxat,
ſed & publice a magnis ciuitatibus, ea in re peccetur ve-
hementer.

XL.

Agite ergo, iam videamus, num, quos diximus fuiſſe
proximos fines condendae legi noſtrae, ſatis fuerint con-
grui

grui illi vltimo & ſummo & communi Imperii Romani, vt & legislatoris Caeſaris, ſcopo. Et vero fortaſſis etiam de eo quis dubitet, num ex re fuerit publica, quod ita promiſcue Prouinciales filios ſuos liberalibus ſtudiis fecerint imbui, quodque adeo Romae earum artium fuerit quaſi mercatus aliquis conſtitutus. Nam nonnullis quidem populis olim perſuaſum fuit, & etiamnum eſt Moſchis, Tataris, aliisque creditum, doctrinam omnem in publicum eſſe noxiam; alii, vt quondam AEgyptii quoque, non niſi paucos & delectos ad ſtudiorum culturam admiſere. Verum enimuero nec tempus patitur, nec videtur pretium operae, nunc quidem vel barbararum gentium improbam illam perſuaſionem, vel AEgyptiorum iſtud inſtitutum, grauibus argumentis conuellere. Nemini enim non conſtat, nullam ſocietatem ciuilem vere beatam eſſe ſine ſapientiae ſtudiis, ſi non illis, quae θεωρητικὰ dicimus, ſaltim non absque iis, quae ad vitam commode agendam ipſamque reipublicae faciunt adminiſtrationem. Adhaec cum raro eadem ſit liberis, quae parentibus, indoles, nemo probauerit AEgyptios, qui artes & doctrinam non niſi certis familiis proprias, atque adeo quaſi haereditarias, eſſe voluerunt. Certe tantum abeſt, id in artium ſtudiorumque meliorem culturam ceſſiſſe, quod Diodorus Siculus *lib. I. c. 47. & lib. II. c. 29.* tamen exiſtimauit, vt nihil illi perinde obſtiterit: vſu ipſo docente, florere artes doctrinamque omnem ibi maxime, vbi naturae ductui ſuum arbitrium integrum eſt. Non ſine diſcrimine omnibus patefaciendam ad liberalia ſtudia viam, ſed ſolis iis, qui in reipublicae vſum educantur, quales ſunt ſoli ingenui, haud caret iuſta ratione. Cur enim ſeruus diſcat, quod reipublicae inutile eſt? At hoc nihil ad legem noſtram: vtpote cum non ſerui, ſed ſoli ingenui prouinciales Romam illa tempeſtate ſtudiorum gratia petierint.

65

XLI.

66 Caeterum praeter hoc delectu aliquo ingeniorum esse opus ad iustum capiendum ex studiis fructum, idque vt alibi passim, ita & Romae, fuisse magno incommodo neglectum, alibi latius ostendimus. Nec vero huius loci est hoc agere. Ne quidem huc proprie pertinet inquirere, num satis prudenter vni Romae doctrina Iuris Romani in omni Occidentali vasto illo Imperio fuerit commissa. Etsi haud paucis forte rationibus queat adstrui, neutiquam id fuisse ex vsu publico, posteaquam iura illa coepissent esse communia Prouinciis: vtpote cum ciuium omnium (quales tunc non soli Romae Vrbis incolae, sed & Prouinciales habebantur,) ex aequo intersit, leges, secundum quas sit viuendum, haud ignorare, debeatque earum peritia non multum esse difficilis: cuiusmodi redditur, si non nisi ex remotis locis queat peti atque addisci. Imo vero dixeris, merito Romam non fuisse aptam instituendae Prouincialium iuuentuti ob mores dissolutos & ingentem luxum. Prisci certe Romani ipsi, nondum illa vitae corruptela inualescente, liberos suos maluerunt in prouinciis educari. Nec vero alia de causa iam
67 tum Strabonis aetate nobilissimi Romanae iuuentutis Atticae peregrinationis vice Massiliam ad capessendas disciplinas sunt profecti, quod ille narrat *lib. IV*: quoniam scilicet *ea ciuitas seueritatis & patrii moris esset custos acerrima*, ceu Valerius Maximus loquitur *lib. II. c. 6. nullum aditum in scenam mimis dans: quorum argumentum maiori ex parte stuprorum continebat actus: ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret.* Prudenter sane idipsum de C. Iulio Agricola, socero suo, obseruauit Cornelius Tacitus, scribens: *Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim paruulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum Graeca comitate & prouinciali parsimonia mistum ac bene compositum.* Verum etiam hoc multis

tis oſtendere excedit huius argumenti noſtri limites : nec eſt, cur anxie velimus huc congerere illa remota & longinqua.

XLII.

Illud huic loco proprium eſt, videre, num illa, quae proxime ſpectaſſe Imperatorem lege hac noſtra, ſupra diximus, ſatis ſint publico vſui conſentanea. Videtur autem etiam illud propemodum iuſta carere dubitatione. Si enim ex re eſt, vt iuuenes nonnulli ſtudiis liberalibus incumbant, vtique vſus etiam publicus poſtulat, vt illi legibus latis ad diligentiam adhibendam moresque recte componendos conſtringantur. Certe prius ſi velis, poſterius non potes nolle. Intereſt vero hoc publice, non tantum ſi ciuium quaeras ſalutem, ſed etiam ſi dominantibus maxime ſtudeas. Nam & ſeruos habere frugi atque a vitiis alienos, commodum domini eſt: haberi autem illi tales nequeunt, niſi caueas, ne prauo illi conſortio corrumpantur. Eo magis vero danda eſt opera ſummae poteſtati, vt iuuentus ſtudioſa probis moribus imbuatur, quo magis illa in vſum reipublicae educatur. Seminarium videlicet illa eſt eorum, qui aliquando fungi debent magiſtratibus & iudiciis, aliisque reip. actibus praeeſſe : quos vtique omnes virtute par eſt inſtructos eſſe, atque ideo ad omnem virtutem probe diligenterque educari. Saltem igitur primum illud, nempe quod Caeſar voluerit iuuenes Romae ſtudiorum cauſa commorantes in officio contineri, &, ne vrbana laſciuia perderentur, prohiberi, bene ſeſe habet, & imperii ſcopo vltimo ſatis eſt conſentaneum. 68

XLIII.

Par paene ratio videtur eſſe illius, quod tertio loco Caeſarem ſpectaſſe affirmauimus. In omni enim republica, & herili pariter & ciuiliore quauis, perutile eſt, vt ciues omnes haud ſint ignoti ſummae poteſtati, quoad fieri eius 69

licet. Nec enim commode illi poſſunt vſibus publicis adhiberi, ſi ignoretur, quid valeant aut nequeant praeſtare. Vt autem illi, qui digni & apti ſunt, admoueantur muneribus reipublicae, cedit non minus regentium commodo, quam eorum, qui reguntur: adeoque publice priuatimque omnibus vtile eſt. Scio quidem, paſſim hoc ipſum negligi hodie, nec ipſosmet Romanos Imperatores omnes perinde in hoc aliquam curam impendiſſe: at non eſt, quare aliquorum negligentia opponi mereatur vſui tam manifeſto. Certe hac quoque fini inſtituiſſe in Vrbe cenſum Servium Tullium Regem, & ab Auguſto Caeſare idem tentatum in prouinciis, ac Breuiarium Imperii confici curatum, manifeſtum eſt. Tale quid ex parte propoſitum fuiſſe reipublicae Ebraeorum in accurata illa populi vniuerſi vsque ad decurias diuiſione, quam (quod mireris,) & Ingae, Peruanorum monarchae, obſeruarunt, ceu docet Acoſta *lib. VI. Hiſtoriae Americanae cap. 13.* haud iniuria itidem dixeris. Quin & AEgyptiorum reges, dum voluerunt, quemuis ciuium profiteri, qua arte vitam ſuſtentaret, idem videntur agitauiſſe. Certe & Imperatoribus & ſtudioſae iuuentuti pariter fuiſſe vtile, quod Caeſares voluerint ſingulorum nomina & actus ſibi perſcribi, *quo merito ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque ſibi eſſent neceſſarii, iudicarent*, vix poteſt a quoquam dubitari. Nec vero non etiam diligentiam iuuenum excitauit ſedula illa Imperatoris inquiſitio: praeſertim cum per literarum ſtudia vnusquisque ad honores conaretur peruenire, hi vero Caeſareo favore maxime eſſent impetrandi. Enimuero ſi & noſtro aevo talis Principum aliorumque inquiſitio obſeruaretur, rectius indubie haberent ſeſe artium liberalium ſtudia, & aliorum ſocordia excuteretur, aliorum compeſceretur protervia ac petulantia, aliorum denique induſtria ad ſummos praeclarosque conatus accenderetur.

70

XLIV.

Poſtremo & illud, quod cautum voluit Imperator, ne ſcilicet peregrinatio iuuenum diuturnior & ſtudiorum praetextus, Prouincialium & patriae ciuitatis oneribus fraudi foret, publice interfuiſſe, fortaſſis haud poteſt eſſe occultum. Exigit enim vtique ſalus reipublicae, vt neceſſaria onera quisque pro virili ferat: ideoque legibus quamuis inviti in id ſunt omnes adigendi. Prodeſt etiam, non permittere, vt quis pro arbitratu patriae ciuitati ſeſe queat ſubducere: alioquin enim ciuitas ob infortunium aliquod ciuibus viduari & breui ad incitas poſſet redigi. Crudiusculum videlicet eſt illud, quod Tryphoninus *l. in bello ff. de capt. & poſtlim.* refert Sabini pronuntiatum: *de ſua ciuitate cuique conſtituendi facultas libera eſt*: niſi accipias non de eo, quid expediat, ſed quid Sabini aeuo licuerit. Quemadmodum Cicero *pro Balbo* laudans ius illud, *ne quis in ciuitate maneat inuitus*, *fundamentumque* appellans *libertatis*, *ſui quemque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum*, vt Orator quidem eſt ferendus, non tamen vt prudens Politicus. Tantum certe abeſt, id probari debere, vt ne ſocietati quidem alicui fas ſit, vt ſocius quisque illi renuntiet pro lubitu, *ſi ſocietatis interſit*, *non dirimi ſocietatem. Semper enim non id*, *quod priuatim intereſt vnius ex ſociis*, *ſervari ſolet*, *ſed quod ſocietati expedit*: vt praeclare loquitur Proculus apud Paulum *l. Actione ff. pro ſocio.* Hinc ſi non ante, ſaltim iam ſaeculo Chriſtiano tertio, quod idipſum ſalus publica exigeret, videntur Caeſares cauiſſe, ne quis translato etiam domicilio municipii ſui muneribus obeundis ſolueretur: quantum colligere eſt ex verbis Vlpiani *lib. I. ff. de Decurionibus*, & reſcripto Alexandri Imperatoris *lib. I. Cod. de municipibus*: exinde vero idem ſtrictim eſt obſeruatum, & plurimis repetitis legibus, quarum affatim habet Codex vterque, confirmatum. Tanto bono, tamque vtili in publicum inſtituto, proinde

71

72

non

non etiam debuit quouis ſtudiorum obtentu fraus fieri. An tamen illud diſcedendi ex Vrbe & patriam repetendi tempus debuerit iuuentuti praefigi, quod lex noſtra conſtituit, non multo poſt inquiremus. Quae iam diximus, hoc quidem loco ſufficiunt.

XLV.

Igitur ſcopi quidem proximi legis noſtrae bene ſeſe habent. De eo autem, quod materiae loco eſt, idem probare, ne quidem eſt neceſſum: vsque adeo id liquidum eſt. Studioſa nimirum iuuentus Romae peregrinata, eſt illa (ſi ita loqui licet,) materia, circa quam actus omnes, qui lege 73 mandantur, ſunt exercendi. Sed nemo non videt, aptam illam eſſe, quae ſcopos iſtos aſſequatur, modo per actus idoneos, & ab iis, qui idonei ſunt, ducatur. Quidni enim iuuenes ita queant educari, vti diligentiam literis impendant, bonisque artibus imbuantur? Quid prohibet, quo minus caueatur, ne literaria ingenuorum adoleſcentum ſtudia fraudi ſint muneribus ſuae cuiusque patriae? Quid denique obſtat, quare ſingulorum in literis & moribus profectus Principi haud ſignificentur? Certe & iuuenes ipſi ad iſthaec omnia ſunt idonei: nec poſſunt deeſſe prudenter inſtituti actus, aut perſonae vtiles hisce efficiendis. At vero quando materia aliqua ita eſt compoſita, vt per idoneos actus & agentem cauſam idoneam propoſitum ſcopum queas aſſequi, tum vtique recte illa ſe habet, nec in ea quicquam merito deſideratur: ceu iam tum ante monuimus.

XLVI.

Licet igitur & hunc locum deſerere, atque ad examen illius normae, quam lex noſtra actibus ipſis praeſcribit, id quod potiſſimum eſt, progredi. Nec vero in Efficentem cauſam rite inquirere poſſumus, niſi hoc praemiſſo. Videamus

amus ergo ordine actus omnes, & quidem maxime, quemadmodum lex velit illos instítui, vel, quod idem est, qualem actibus illis *formam* lex praescribat. Initio igitur iubet lex, vt, *quicunque ad Vrbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum census Prouincialium Iudicum, a quibus copia est danda veniundi, eiusmodi literas proferant, vt oppida hominum & natales & merita expressa teneantur.* Hic primum occurrit, quod sine Prouincialium Iudicum venia non licuerit cuiquam Romam studiorum causa proficisci. Iam supra videlicet fassus fui, me latere, num in vniuersum fuerit vetitum, haud impetrata Iudicum venia alio migrare. At vero interest reipublicae, saltim non cuiuis liberum peregrinandi arbitrium permittere: non certe iis, qui in republica valent auctoritate, aut quorum discessu respublica potest in discrimen vocari, siue ne alibi res nouas moliantur, siue ne sese reipublicae temere subducant. Hinc sane iam olim edixit Augustus Caesar, ne quis Senator iniussu suo extra Italiam peregrinaretur: imo iam ante Caesar Iulius Dictator vetuit, nequis ciuium viginti maior annis plus triennio abesset Italia, neue Senatoris filius magistratusque comes peregre proficisceretur venia non impetrata. Ne Episcopi quidem primitiuae Ecclesiae alio fine *formatarum*, quas appellauerunt, epistolarum vsum introduxerunt. Multis post saeculis non semel Anglorum etiam Reges simpliciter vetuerunt, sese inconsultis ex insula migrare. Idem hodie & Moschos & Sinenses obseruare, est notum. Alibi in bene constitutis rebuspublicis passim illa arbitraria proficiscendi peregre licentia saltim magnatibus denegatur. Quicquid vero olim, quo tempore lata est lex nostra, obtinuerit in Romano Imperio; certe, quod non nisi Iudicum Prouincialium consensu licuerit iuuenibus Romam petere, per fuit vtile conseruandis prouinciis: ne nimirum clanculum iuuenes muneribus publicis sese subducerent. Non

74

75

parum quoque fecit ad morum culturam: ne videlicet facinore perpetrato alibi quis latebras quaerens effugeret poenas, vtque ita patrii iudicis perpetua illa reuerentia iuuenes in officio contineret. Neutrum ſane poteſt commode teneri, niſi illa proficiscendi licentia refrenetur.

XLVII.

Iisdem de cauſis haud dubie conſtitutum eſt, vt ad Magiſtrum Cenſus literae Prouincialium Iudicum perferrentur, quae *& oppida*, *& natales*, *& merita* aduentantium
76 docerent. Et morum ſcilicet cultui hoc profuit, & prouincialium munerum exercitio. Neque enim fraus aliqua temere fieri potuit annalibus legibus capeſſendorum in prouinciis munerum, ab iis etiam, qui Romae procul a patria degebant: quoniam facili negotio quisque potuit domum reuocari a magiſtratu prouinciali. Certe a Praefecto Vrbis Romae nemo potuit commode reipublicae cauſa in patria oppida iuſto tempore remitti, niſi per eiusmodi tabulas antehac *natales* & *oppida* innotuiſſent. Non minus vero hoc ipſum mores etiam iuuit. Nec enim aliquis flagitioſae vitae iuuenis bene *meritorum* teſtimonium publicum potuit Romam deferre: atque adeo Romam tunc nemo temere ſtudiorum gratia migrauit, niſi idem perſpectae eſſet integritatis. Quantum porro virtutis fuit calcar, a Iudice prouinciali exſpectare aut ferre natalium, ſaepe nobilium aut alias eximiorum, & cumprimis bene actae vitae, publicas tabulas!

XLVIII.

Sciscit deinceps lex, vt iuuenes *in primo ſtatim introitu profiteantur, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare velint.* Per autem etiam illud fuit vtile ad iuuenes in ſtudiis & offi-
77 cio continendos. Ita ſane demum commode potuit in illorum

rum diligentiam inquiri a magiſtratu. Et haud dubie ipſummet ingenuum quemque ac bonae indolis iuuenem puduit, profeſſione illa ſeſe indignum praeſtare. Certe ipſa illa ſolennis *profeſſio* incitamento fuit ad ſtudia profeſſa maiore induſtria ſectanda, ſaltim iis, qui erectiore fuerunt animo. Quin valuit quoque hoc ipſum ad id, vt potuerint Imperatori a magiſtratu indicari publicis tabulis cuiuslibet iuuenis bene in ſtudiis aliis atque aliis collocatae operae. Certe absque illa profeſſione ſolenni nihil non horum minus recte praeſtari, ferme in propatulo eſt.

XLIX.

Ad acuendam porro iuuenum diligentiam & bonos mores cumprimis etiam iuuit, quod a Caeſare ipſi magiſtratui publico fuerit iniunctum, *ſollicite* omnino, non perfunctorie, *nota* ſibi reddere iuuenum ſingulorum *hoſpitia.* Nam hoc ipſo cautum fuit, ſaltim ne forte locis minus honeſtis hoſpitarentur iuuenes, atque ita ipſa hoſpitiorum ſcabie (vt ita loquar,) inficerentur. Potuit vero hoc ipſo eo rectius in actus omnes iuuenum a magiſtratu inquiri. Imo ipſimet iuuenes, conſcii quaſi, in perpetuo ſe conſpectu viuere magiſtratus, neque in ipſis hoſpitiis poſſe vitiis aut ſocordiae latebras inueniri, non potuerunt non vltro, tacti illa reuerentia, ad operam ſtudiis dandam magis ſolito incitari. Hoc ſane ſpectaſſe Valentinianum, ipſamet indicant illa verba legis: *quo ei rei impertiant curam, quam aſſeruerint expetiiſſe:* quibus vtique indicatur, voluiſſe Caeſarem iſtac notitia publica hoſpitiorum accendere ingenuorum adoleſcentum ſtudia. 78

L.

Etiam illud bene habet, quod Imperator non quidem ſtudioſos iuuenes interdixerit omni *conuentu*, ita tamen in

conuentibus ſeſe gerere iuſſerit, ceu decet eos, qui famam integram ſectantur, & omnes conſociationes fugiunt: imo quod horum quoque curationem voluerit magiſtratui eſſe publicam. Fuere ſcilicet conuentus complures honorati atque vtiles, cum ſacri, tum profani: quibus interdum miſceri, potuit iuuenibus in omni vita apprime eſſe vtile: vtpote qui, ſaltim exemplo virorum grauium & magnorum, quibus conuentus multi conſtabant, ad praeclaros conatus potuerint erigi. In illis vero conuentibus turpe quicquam committi profecto non debuit, aut turpiter commiſſum tolerari: ſaltim ne quid dignitati conuentuum illorum decederet: quod iam antehac monuimus. Multo minus fas fuit, tale quippiam committi ab iis, qui animi probe excolendi cauſa Romam peregre aduentauerant, poſthac futuri ſeminarium reipublicae in prouinciis & ſua cuiusque patria. Multo minus tolerari *conſociationes* debuerunt, vtpote quae tumultus moueant, & cum illos conuentus publicos vehementer turbaſſent, tum iuuenum ferociam incendiſſent ad peſſimae notae facinora. Bene enim Imperator tales *conſociationes* dixit *proximas* eſſe *criminibus*: ac proinde non multo mitioribus poenis in eas animaduertendum fuit. Si in iuuene ſane toleres *criminibus proxima*, perinde eſt, atque ſi illum inuites adultum ad crimina ipſa.

LI.

Caeterum de eo, quod ſequitur in lege noſtra, non iniuria dubites. Neque enim Imperator interdixit omnibus *ſpectaculis* aut quibusdam iuuenes, ſed tantum iuſſit, *ne ſpectacula ſaepius adirent*. Iam vero ſcenica ſpectacula paene in vniuerſum omnia quid dederunt non ſpurcum & obſcoenum? Quid arenae exhibuerunt non ſaeuum & crudele? Etſi enim iam Conſtantinus Magnus cruenta gladiatorum ſpectacula remouiſſet ea lege, quae hodie quoque legitur *Cod.*

Cod. Theodoſ. & Iuſtinianeo tit. de gladiatoribus, arenariorum tamen cum beſtiis pugnae & commiſſiones non deſierunt niſi cum Occidentalis Imperii excidio. Hinc ſuo adhuc aeuo in ſpectacula illa hiſce verbis inuectus eſt *lib. VI. de gubern. Dei* Saluianus: *Nihil ferme vel criminum vel flagitiorum eſt, quod in ſpectaculis non ſit: vbi ſummum deliciarum genus eſt, mori homines, aut, quod eſt morte grauius acerbiusque, lacerari, expleri ferarum aluos humanis carnibus, comedi homines cum circumſtantium laetitia, conſpicientium voluptate. Hoc eſt non minus paene hominum adſpectibus, quam beſtiarum dentibus deuorari. Atque, vt hoc fiat, orbis impendium eſt. Magna enim cura id agitur & elaboratur: adeuntur etiam loca abdita, luſtrantur inuii ſaltus, peragrantur ſyluae inexplicabiles, conſcenduntur nubiferae Alpes, penetrantur niuiferae valles: &, vt devorari poſſint a feris viſcera hominum, non licet naturam rerum aliquod habere ſecretum.* Haud dubie autem illa etiam crudelia ſpectacula incautam iuuentutem allicuerunt. Exemplo ſane eſt ipſe Alypius, vir deinceps multae ſanctitatis: quem iuuenem licet ac literarum ſtudioſum & Carthagine tamen & Romae addictum fuiſſe Amphitheatralibus gladiatorum ludis, conqueritur longe ſanctiſſimus Auguſtinus *lib. VI. Confeſſionum.* Porro & Circenſia omnia ſaltim inſaniae & vanitatum fuerunt plena. Atque adeo ita plane ſeſe habuerunt ſpectacula, quemadmodum ſanctiſſimus ille Presbyter Maſſilienſium ſcripſit: *Quicquid immunditiarum eſt, hoc exercetur in theatris; quicquid luxuriarum, in palaeſtris; quicquid immoderationum, in circis; quicquid furoris, in caueis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſciuia, alibi intemperantia, alibi inſania: vbique Daemon, imo per ſingula ludicrorum loca vniuerſa daemonum monſtra.* Eapropter prima illa & aurea Chriſtianiſmi aetas ab hiſce ſpectaculis omnibus abſtinuit, imo in ſacri foederis cum Chriſto ineundi formulam recepit illa: *Abrenuntio Diabolo & pompae eius*: ſpectacula annumerans *Diaboli*

80

81

boli pompae. Quomodo eam vocem quoque Tertullianus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Saluianus, & alii ſunt interpretati. Hinc ſane Iſidorus Hiſpalenſis *lib. XVIII. Orig. c. 59: Haec ſpectacula*, inquit, *crudelitatis & inſpectio vanitatum non ſolum hominum vitiis, ſed & daemonum iuſſis in-* 82 *ſtitutae ſunt. Proinde nihil eſſe debet Chriſtiano cum Circenſi inſania, cum impudentia Theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate Arenae, cum luxuria Ludi. Deum enim negat, qui talia praeſumit, fidei Chriſtianae praeuaricator effectus, qui id denuo appetit, cui in lauacro iampridem renuntiauit, id eſt, Diabolo, pompis & operibus eius.* Ea autem cum fuerint olim ſpectacula Romana, quî potuerunt iis intereſſe adoleſcentes iſthac aetate, quae cerea eſt in vitium flecti? Vt boni ſane & innocentes introierint, non potuerunt non corrupta mente exire. *Adulterium diſcitur*, dicebat recte Cyprianus, *dum videtur, & lenocinante ad vitia publicae auctoritatis malo, quae pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, reuertitur impudica.* Vel, vt verbis vtar Saluiani: *qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur.* Et vero quî euitari haec labes potuit ſaltim in theatro, omnibus ſenſibus vitiorum vi occupatis? Bene nimirum idem Saluianus: *Alia crimina ſingulas ſibi ferme in nobis vendicant portiones: vt cogitationes ſordidae animum, vt impudici aſpectus oculos, vt auditus improbi aures: ita vt, cum ex his vnum aliquod* 83 *errauerit, reliqua poſſint carere peccatis: in theatris vero nihil horum reatu vacat, cum & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluantur. Quae quidem omnia tam flagitioſa ſunt, vt etiam explicare ea quiſquam atque eloqui ſaluo pudore non poſſit.* Enimuero praeclare Ariſtoteles monet, in bene conſtituta republica prohibendum eſſe, *ne pueri illiberale quid vel audiant vel videant.* Quanto maiore indiget cura adoleſcentum aetas! Nec enim puerorum imbecillitas vitiis vel aeſtimandis vel amandis par eſt: at adoleſcentia iam

ſuffi-

ſufficit iis exercendis: vt proinde hi longe magis ab eiusmodi peccandi illecebris ſint remouendi, quam pueri. Igitur multo videtur fuiſſe conſultius futurum, ſi Caeſar omnibus omnino, vel certe ſaltim ſcenicis omnibus, ſpectaculis ſtudioſos adoleſcentes abſtinuiſſet. Minimum omnium debuiſſet illos non niſi certo & definito tempore ad ſpectacula admittere. Ad quem modum Theodoſius Magnus circumſcripſit Iudices ſiue Rectores prouinciarum *l. 2. C. Theod. de ſpectaculis.* Verba legis ſunt: *Nullus omnino Iudicum aut Theatralibus ludis, aut Circenſium certaminibus, aut ferarum curſibus vacet, niſi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi,* 84 *vel Imperii ſummus ſceptra ſortiti: hisque vt ante meridiem tantum ſolennitati pareant, poſt epulas vero ad ſpectaculum redire deſiſtant.* Vtique intra paucos certos dies, & intra pomeridianum tempus (ne antemeridianae horae ſtudiis perirent,) conſtringi iuuenes & potuiſſent, & ſummo cum vſu publico priuatoque debuiſſent. Nec enim, permiſſa ſpectandi licentia, potuit facile caueri, ne iuuenes *ſpectacula frequentius adirent:* vtpote cum illud quidem non perinde facile obſeruatu fuerit magiſtratibus, quibus illa cura commiſſa erat, praeſertim cum ſpectacula variis in locis Vrbis fuerint inſtituta. Neſcio, num & ſolennes feriae natalis diei Vrbis Romae ſpectaculis fuerint celebratae. Veriſimile id tamen. Etiam vero ad haec haud dubie admitti Romani ſtudioſi potuerunt: quandoquidem placuit Imperatoribus, natali illo die non Romae duntaxat, ſed etiam Conſtantinopolitanae Vrbis, feriari ipſasmet res omnes forenſes: illis enim Vrbibus *debere Iura deferre, quia ab ipſis quoque nata ſunt*, vt loquitur *lex 2. Cod. Theodoſ. tit. de feriis.*

LII.

Similiter in lege noſtra fortaſſis haud ſatis prudenter iuuenes tantum *appetere vulgi intempeſtiua conuiuia* prohiben- 85 tur:

tur: cum videatur fuiſſe magis in rem, illos ab omnibus iſtis vulgi conuiuiis arcere. Fuerunt ſcilicet & conuiuia ſolennia tunc laſciuia & luxu infamia. Id ſane vel ex iis, quae ſupra ex Tertulliani *Apologetico* & canone ſexageſimo Africano produximus, palam eſt. Et vero rigidi virtutis ſectatores primi Chriſtiani epulas publicas illas, tanquam ſanctimoniae profeſſionis ſuae aduerſas, ſtudioſe vitauerunt. Quam ſpurca certe fuerint tum feſta conuiuia, diſcere etiam eſt ex phaleucis, quos *epiſtolae vndecimae libri VIII.* Sidonius Apollinaris inſeruit:

> *Heic cum feſta dies ciere raucos*
> *Cantus coeperit, & voluptuoſam*
> *Scurrarum querimoniam crepare, &c.*

Perſtrepebant nimirum paſſim omnia conuiuia laſciuis cantibus, non iuuenum duntaxat, ſed etiam meretricularum. Primus enim Theodoſius Magnus Imperator, poſt latam denique hanc legem noſtram, fidicinas aut pſaltrias eliminavit praeclara illa Conſtitutione, quae Codicis Theodoſiani 86 *l. XV. tit. de Scenicis* continetur: *Fidicinam nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conuiuiis aut ſpectaculis adhibere.* Non deerant conuiuiis porro & thymelici ac pantomimi, *corruptelarum diſciplinae*, quomodo eos eleganter appellat Lactantius. Vnde grauiter cauet in hunc modum canon Laodicenus LIV, qui eſt *Codicis canonum vniuerſae Eccleſiae*, cuius reſtitutionem Chriſtophoro Iuſtello debemus, centeſimus poſt quinquageſimum octauus: *Quod non oportet ſacerdotes aut clericos ſpectacula aliqua contemplari in nuptiis vel conuiuiis; ſed antequam thymelici ingrediantur, eos fugere & diſcedere.* Si autem ſacerdotibus non fuit fas ſpectare illa conuiuiorum ludicra, qui tamen erant aetate adulta & pectore contra vitia magis roborato, quanto minus ad ſpe-

ſpectacula illa conuiualia admitti debuerunt teneri adolescentes! Praeclare & propemodum ſancte Iuuenalis *Sat. XIV:*

Nil dictu foedum viſuue ea limina tangat,
Intra quae puer eſt. Procul hinc, procul inde puellae
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia.

Non autem puero duntaxat, ſed etiam adolescenti & iuueni illa debetur reuerentia: imo his maxima debetur, quia omnium facillime corrumpuntur prae pueris. Taceo nunc conuiuiorum illorum vinolentiam, quae itidem adolescentibus ad virtutem inſtituendis cane peius & angue, quod aiunt, vitanda eſt. Non vrgebo etiam, quod, cum conuiuiis illis intereſſe licuerit Studioſis, non potuerint, vel certe vix potuerint, Cenſuales cauere, ne iuuenes iſti *appeterent vulgi intempeſtiua conuiuia:* atque adeo lex ſperato effectu caruerit. Enimuero haud equidem dubito, longe rectius fuiſſe conſultum moribus iuuenum, ſi vel nulla ſpectacula aut conuiuia eiusmodi fuiſſent edita, vel ſaltim iis omnibus fuiſſet iuuentuti interdictum. Potuiſſet autem haud difficulter id caueri a Cenſualibus, praeſertim ſi illi liberalium artium ſtudioſi habitu aliquo fuiſſent a reliquo numero diſtincti. Ita ſane potuiſſent facile notari & obſeruari in illa immenſae Vrbis infinita quaſi hominum multitudine. 87

LIII.

Et vero haud immerito etiam hoc quis deſiderauerit in noſtra lege, quod iuuenes illos ſingulari aliquo veſtitu oculis & cenſurae Cenſualium non expoſuerit, cum tamen vellet eos cum cura obſeruari. Verum de hisce fortaſſe plus ſatis. Pergendum eſt in legis noſtrae cenſura. Sequitur autem in lege, permitti, vt, *ſi quis non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat,* primum *pu-* 88

blice verberibus afficiatur, secundo *nauigio superpositus abiiciatur Vrbe*, tertio *domum redire compellatur*. Num vero haec animaduersio non sit iusto grauior, vehementer metuo. Publica videlicet verberatio ignominiam addidit. Sed adolescentem ingenuum, aetate tenera, & vitio forte loci, indigne sese gerentem studiis liberalium rerum, statim ignominia afficere, nimis videtur durum. Pro magno peccato, dicebat ille, paulum supplicii satis est patri. Quamobrem itaque Imperator intendit poenas incautae adolescentiae peccato, verberationem alias non promerenti? Certe infamem reddere adolescentem, quid aliud est paene, quam ad desperationem adigere, & secuturae vitae omni praeripere ad laudem & gloriam reditum? Quod si solis consociationibus aut turpibus criminibus poenam eiusmodi dictasset Caesar, forte non esset iustus dolori aut querelae locus. At lex vniuersim in omnem, qui aliter se gesserit, atque liberalium rerum dignitas exposcit, ita permittit animaduertere. Non accuso, quod lex sontes adolescentes Vrbe exigat, & domum ad suos remittat. Nec vero ferendi erant in Vrbe, vbi exspectatione indignos se praebuerant: parentum itaque & amicorum seuerae disciplinae merito erant reddendi. Sola verberatio displicet. Notandum tamen, non iuberi illam animaduersionem, sed tantum permitti. An fortassis igitur tantummodo in terrorem haec ita lex sciuit? Non me latet tamen, Valentinianum Imperatorem nostrum fuisse seuerum & asperum immitemque in poenis: docente idipsum praeter alios Ammiano Marcellino *lib. XXVII. cap. 15. lib. XXVIII. cap. 3. & lib. XXX. cap. 27.* Ex eodem Marcellino nouimus, quo tempore lata est lex nostra, Maximinum, Vrbicae annonae curatorem, hominem crudelem, Olybrio Praefecto aegrotante, acerrimis poenis saeuiisse in Romanos ciues, & hoc nomine Valentiniano fuisse acceptissimum: imo Imperatorem ab illo homine

ad

ad ſtatuenda praeter morem crudeliora ſupplicia fuiſſe quaſi efferatum. Prolixe enim ſaeuitiam huius Maximini perſecutus eſt Ammianus *lib. XXVIII.* prioribus integris vndecim capitibus. Igitur haud iniuria forte ſuſpiceris, iuvenili nonnullorum petulantia irritatum Maximinum ſuggesſiſſe Imperatori iſthaec dura, & perſuaſiſſe: *vt erat* Valentinianus *acer vitiorum inimicus magis, quam ſeuerus.* Quicquid huius ſit, verberationem publicam haud facile probaverit quis conſcius iuuenilis conditionis, atque eius, quod ex poenis exſpectari debet, commodi. 90

LIV.

Caeterum nec illud prudens aliquis laudauerit, quod lex vetet, quenquam Romae vltra annum aetatis viceſimum ſtudiis dare operam. Nec vero tale quicquam reipublicae vſus poſtulauit, & fuit ſtudiis ipſis maxime aduerſum. Quid enim praeclari in liberalibus ſtudiis praeſtiteris, ſi iſthac aetate a magiſtris diuellaris ? Quid cumprimis praeſtiteris in Iurisprudentia addiſcenda, adeo cito eius ſcholas deſerere coactus ? Fateor equidem, non debuiſſe ſtudia iuuenum fraudi eſſe prouincialibus municipiis, aut eorum obtentu vitari munera neceſſaria publica. At vero non ea fuit vtique omnibus in locis idonearum perſonarum inopia, vt ſine diſcrimine omnes, abrupto ſtudiorum curſu, tantum viginti annos nati patriae debuerint ſeſe ſiſtere. Imo iſthac aetate ad munia reipublicae capeſſenda plerique nondum ſunt idonei. Agnouit hoc prudenter Vlpianus, cuius verba ſunt *l. 8. ff. de muneribus & honoribus : Ad rempublicam adminiſtrandam ante viceſimum quintum annum, vel ad munera, quae non patrimonii ſunt, vel honores, admitti minores non oportet : denique nec decuriones creantur, vel creati ſuffragium in curia ferunt.* Prudenter etiam *l. 11. ff. de Decurionibus & filiis eorum* Calliſtratus Iurisconſultus : *Non tantum, qui tenerae aetatis,* 91

ſed etiam, qui grandiores natu ſunt, decuriones fieri prohibentur: illi quaſi inhabiles rempublicam tueri, ad tempus excuſantur, hi vero in perpetuum amouentur. Neque enim minores viginti quinque annis decuriones allegi, niſi ex cauſa, poſſunt. Iam vero munera patrimonialia non profecto in tantum fuerunt vel neceſſaria reipublicae vel etiam vtilia, vt ſtudia, quae vtique in reipublicae vſum maximum exercentur, debuerint a iuuenibus abrumpi vel ſufflaminari. Itaque conſultius profecto fuiſſet, tantisper in literis Romae commorari ſinere iuuenes rerum ſuarum ſatagentes, donec a patria republica auocarentur, imo vacationem illis dare ſaltim vsque ad annum viceſimum quintum: quemadmodum Beryti degen-
92 tibus illam indulſere Diocletianus & Maximianus Caeſares. Imo potius debuiſſent illi excuſari vsque ad annum triceſimum, quem lex Papia, teſte Plinio, Bithynis definiuit ad honores capeſſendos. Certe non vrgente vlla patriae neceſſitate iuuenes tenera adeo aetate etiam *inuitos* a ſtudiis abrumpere, eſt propemodum reapſe ſtudia ipſa quaſi in herba ſuffocare, idque cum inſigni reipublicae detrimento. Arguit fortaſſis haec etiam res, ſuggeſtam eſſe Caeſari legem ab homine nulla ſolida eruditione inſtructo. Quem & Maximinum illum fuiſſe, etiam hinc liceat ſuſpicari, quoniam ille, teſte Ammiano, non niſi *poſt mediocre ſtudium liberalium doctrinarum defenſorem* egerit *cauſarum ignobilem*.

LV.

Cum haec vero ita ſeſe habeant, non difficulter quoque apparet, haud fuiſſe opus illa curioſa Cenſualium diligentia, quam adhibere debuerunt per ſingulos menſes in deferendis illorum nominibus, qui exacto viceſimo anno in patriam a Praefecto Vrbis fuerunt remittendi. Potuiſſent nimirum iuuenes gnaui longe rectius tantisper Romae relinqui, do-
93 nec patriae neceſſitatibus fuiſſent auocati. Nihilominus tamen

men ex vſu fuit publico, Vrbis Praefecto *per ſingulos menſes* indicari, *qui vel vnde Romam veniſſent.* Nec enim absque hoc indicio Praefectus Vrbis curam illorum potuit ſuſcipere. Vt autem ſuſciperet, interfuit reipublicae pariter & priuatim ipſorummet iuuenum, cum in omnes Romae commorantes iurisdictio fuerit penes Praefectum, & ſub oculis quaſi degere magnorum hominum ingens ſit iuuentuti ad virtutem calcar.

LVI.

Quam vtilis aut noxia porro fuerit illa exceptio eorum, *qui corporatis erant adiuncti*, non licet pronuntiare: cum mentem legis videar mihi hac in re non ſatis aſſecutus. Vacat tamen forte dubio, neutiquam corporatis merito adiunctos Roma quoque fuiſſe pellendos, cum & ipſi fuerint in cenſu ſeruorum Vrbis publicorum, perinde vt Corporati Vrbici alii, piſtores, ſuarii, vini ſuſceptores, collegiati, chartopratae, & nummularii. Forte tamen aequius fuiſſet, ſoluere illa ſeruitute omnem liberalibus ſtudiis probe inſtitutum, quamuis corporatum: atque adeo dare libertatem liberaliter imbutis atque erectis animis. Magno ſane id fuisſet ad virtutem incitamento.

LVII.

Cumprimis vero illud laudes in lege noſtra, quod Imperator iuſſerit, per ipſum Vrbis Praefectum quotannis ſibi ſignificari & aetatem & merita iuuenum. Iam tum ſupra videlicet oſtendimus, quam ſit publice priuatimque vtile, ſi ipſi illi, qui ſumma in republica ſunt poteſtate, habeant ciuium ſuorum accuratam notitiam. Idipſum vero quamcommodiſſime potuit Caeſari innoteſcere annua illa iuuenum omnium recenſione, ab ipſo facta Vrbis Praefecto. Nec vero opus fuit, *per ſingulos menſes* id fieri perinde atque apud

94

Praefectum Vrbis: vtpote cum satis sit, si Principi tantum summa quaeque innotescant, & annuo demum spatio queat singulorum iuuenum industria & profectus in reipublicae vsum aestimari. Non est, quod de summa vtilitate extremae huius legis nostrae clausulae prolixius differamus, cum iam ante illam multis laudauerimus, & actum agere vetet instituta breuitas.

LVIII.

Et vero tempus est, vt ad id, quod postremum in lege nostra venit obseruandum, de *causa*, quam *efficientem* dicimus, aggrediamur. Expediendos scilicet illos, quos enumerauimus, actus commisit Imperator alios Magistro Census, alios Censualibus, alios Vrbis Praefecto: qui proinde causa sunt efficiens actuum a lege praescriptorum. Bene vero an secus omnia haec illis commiserit, nondum constat. Diiudicari tamen haud adeo difficulter etiam id poterit, comparatione aliqua instituta, formam finemque actuum illorum, vt & studiosam iuuentutem inter, ac ipsos illos, quibus haec sunt commissa: prout in omni accurato examine effectricis causae fieri debere, iam tum ante professi sumus. Atque apud *Magistrum Census* quidem & potuit & debuit merito peregre aduentantium annotatio fieri. Huic enim curae fuerunt tabulae censuales. Imo non potuere iuuenes alibi citra reipublicae aliquam confusionem in tabulas referri: praesertim cum suo tempore debuerint patriae reddi & muneribus prouincialibus exhiberi: quod absque auctoritate summi alicuius magistratus praestari non potuit. Nihil profecto obstat, quo minus apud Magistrum Census aduentantes iuuenes potuerint annotari. Nec par fuisset, Iudicum siue Rectorum prouincialium testimonia tradi viro minoris dignitatis, quam erat Magister Census: nec tabulis censualibus alibi confectis sua peraeque fides constitisset. Certe obti-

obtinendo illi ſcopo, qui propoſitus fuit annotationi publicae, omnium maxime fuit idonea Magiſtri Cenſus dignitas atque exiſtimatio. Fuit autem cenſus pars olim profeſſio vitae aut *ſtudiorum*, quibus *potiſſimum quis voluit operam nauare*. Igitur & illa quamcommodiſſime potuit ſimul inſtitui apud Cenſus Magiſtrum. Ne nunc dicam, quod viri adeo eximii auctoritas quemuis ingenuum adoleſcentem non potuerit non ſolito magis memorem reddere factae profeſſionis ſuae: quo ſcilicet caueret, ne virum ita magnum profeſſionis conſcium malis moribus aut ſocordia falleret atque offenderet. 96

LIX.

Caeterum an perinde prudenter *Cenſualibus* fuerit iniuncta inquiſitio in mores ac diligentiam ſtudioſorum, vehementer dubito. Erant nimirum illi multis aliis negotiis occupatiſſimi, nec literarum ſtudiis dediti, imo nec iis forte imbuti. Itaque per negotia quoque Cenſualibus non licuit huic vacare inſpectioni: etſi ad id fuiſſent idonei. Imperitia vero literarum eosdem ad id ineptos reddidit. Quî enim homo rudis ſtudiorum merita aut profectus explorauerit? Videtur ſane, longe commodius curam illam potuiſſe committi ipſis Magiſtris ſiue Doctoribus: vtpote qui omnium aptiſſime potuerint attendere ad diligentiam ſingulorum auditorum, & de eorum in literis profectu iudicare. Quodſi & horum potuerit forte ſuſpecta eſſe fides, (ſunt enim, fateor, ſaepenumero illi ipſis ſuis auditoribus obnoxii, & debito proinde in eos indulgentiores:) debuiſſet ſaltim ſumma huius rei curatio committi alicui moribus & dignitate conſpicuo ſeni aut ſenectuti proximo: quo ſaltim praeſente videlicet fieret, per Magiſtros fortaſſis, examen illud iuuenum. Quemadmodum videlicet, prudentiſſimo Lycurgi inſtituto, communi educationi iuuentutis praefectus fuit ὁ παιδονόμος, 97

vir

vir in republica eximius, & re isthac probe gesta summo mox magistratui admouendus: quod nos Xenophon docet opusculo *de Republica Lacedaemoniorum*. Tanta certe est vtilitas probae educationis iuuenilis, vti quammaxime ex vsu sit reipublicae, eius curam viris magnis & perspectae probitatis commendare. Imo si iuuentutis numerus sit maior, ex vsu est, in illam curam integrum aliquem hominem impendere. Quod proinde & Romae debuisset fieri, cum ingens ibi fuerit studiosae iuuentutis numerus: praesertim cum illa iis maxime studiis nauaret operam, quibus in iudiciis & republica administranda indigemus. Nec vero omnia isthaec ad Praefectum Vrbis, virum rebus aliis longe occupatissimum, potuerunt deferri, vt non plurima negligerentur. Minime omnium tantae curationi Censuales fuere pares: praesertim cum ipsi nulla valuerint conspicua dignitate, sed inter officiarios siue ministros fuerint computati.

98

LX.

Iurisdictionem omnem in iuuenes studiosos *Praefecto Vrbis* esse commissam, non est, quod improbemus. Vtique enim perquam est ex vsu, si nihil aliud obstet, publico, vt vniuscuiusque ciuitatis vna sit summa iurisdictio atque vnum summum tribunal. Scimus quidem, nostris saeculis passim terrarum ita viui, vt iurisdictio Academica non sit penes oppidi cuiusque rectores ac magistratus; idque iam obtinere ab aeuo vsque Friderici I. Caesaris, postquam ille condidit, quam dicimus, authenticam *Habita C. ne filius pro patre*. At vero institutum hoc ideo est, quod plerique oppidanorum magistratus rudes tum essent literarum, vel homines viliores, ac proinde artium studiosis, iisque saepe magno loco natis, iniqui & graues. Neque vero ferendum est, vt hominum illiberalium iniuriae exponantur ingenui iuuenes, quos studiorum amor in dissita a

paren-

parentibus loca propellit. *Quis enim eorum non misereatur,* (verba sunt Caesaris Friderici,) *qui amore scientiae exules, facti de diuitibus pauperes, vitam suam multis periculis exponunt, & a vilissimis saepe hominibus (quod grauiter ferendum est,) corporales iniurias sine causa perferunt?* Quam vero Praefecti Vrbis Romae longe fuit alia conditio ab ea magistratuum istorum oppidanorum! Quanta ille dignitate semper, quanta plerumque virtute etiam ac doctrina valuit! Certe Vrbicum Praefectum cum oppidanis magistratibus plerisque contendere, fere est muscam cum elephanto committere. Et tamen etiamnum, vbi locorum non illa vilitas est istorum, qui magistratu funguntur, (vt in ciuitatibus maioribus,) ipsa etiam iurisdictio in Scholasticos satis probe ab vrbano magistratu instituitur. Certe superuacuum arbitror, multis ostendere, quam prosit reipublicae, vt singulis locis vnus tantum praesit cum imperio & omni iurisdictione, nisi aliud quid vetet: ideoque non etiam est, cur nunc quidem addamus verbum in defensionem eius, quod Praefecto Vrbis fuerit illa etiam in Scholasticos iurisdictio concredita. 99

LXI.

ATQVE ita iam a nobis etiam Politica legis nostrae censura & interpretatio est instituta. Non enim arbitror, quicquam in ea superesse dignum expensione, quod vsum in republica obtineat. Palam vero iam est, non quidem illam omni ex parte vacare suis naeuis, attamen merito laude esse dignissimam, cum propter multa praeclara instituta, tum praecipue ob conatum illum continendi in officio studiosam iuuentutem. Recte enim Plato: *Non potest de diviniore negotio homo instituere deliberationem, atque de recta pueri iuuenisque institutione, qui bonus patriae ciuis aliquando debet esse.* Imo (vt Ciceronis verba mutuemur,) *nullum munus afferre reipublicae maius meliusue possumus, quam si docemus* 100

mus & erudimus iuuentutem: his praesertim moribus & temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda atque coërcenda sit. Pessime profecto meretur de republica legislator, qui hanc curam seponit. Vt proinde nec Tribonianum forte quis excusauerit, quod non tantum ex Codice Iustinianeo legem hanc reiecerit, sed nec aliam vllam de proba iuuentutis scholasticae educatione in vastum illud legum corpus retulerit. Nec enim, quae de nominibus Iuris Studiosorum sciscuntur, aut quae traduntur de ludis petulantis adolescentiae literariae coërcendis, *Constit. omnem reip.* solidam forte laudem commerentur, si verum licet profiteri.

BREVIARIVM DISSERTATIONIS.

SCHOLASTICA LEGIS INTERPRETATIO.

Tum

POLITICA LEGIS INTERPRETATIO.

INDEX.

INDEX RERVM.

B.

D.

inter-

Nata-

N.

O.

P.

Paren-

dole-

Subli-

INDEX.

CHRI-

CHRISTOPHORI AVGVSTI
HEVMANNI

BIBLIOTHECA HISTORICA ACADEMICA.

INSERTA EST

IO. CHRIST. KOECHERI
HISTORIA
ACADEMIAE OSNABRVGENSIS.

PRAEFATIO.

Cum *Antiquitates* CONRINGII *Academicas* noua editione magis communes reddere animum inducerem, ſtatim ſimul conſilium cepi exhibendi Indicem eorum fontium, e quibus haurire eum oporteat, qui ſiue vnius alicuius ſiue plurium ſiue vniuerſarum orbis Chriſtiani Academiarum hiſtoriam exponere geſtiat. Habemus equidem CASPARIS THVRMANNI, Iureconſulti, *Bibliothecam Academicam*, Halae a. 1700. (*Alph.* 1. *pl.* 12. *in* 4.) editam. Verum a noſtro multum differt huius ſcriptoris conſilium. Etſi enim hiſtorica de Academiis ſcripta profert haud pauca, tamen, vt ipſe loquitur titulus, id potiſſimum egit,

vt

ſcripta commemoraret *de rebus & iuribus Academiarum & Academicorum*, itemque *de rebus & iuribus Doctorum aliorumque eruditorum extra Academias viuentium, imo de vniuerſae rei literariae immunitatibus, priuilegiis, atque praerogatiuis.* Eſt igitur haec congeries librorum ad omnem rem literariam pertinentium, potiſſimum vero iura, ritus, virtutes & vitia Profeſſorum ac Studioſorum deſcribentium. Vt clarius appareat, quid huic auctori fuerit propoſitum, producam aliquot titulos, ſub quibus ſcripta maiore laboris, quam ingenii vi collecta nominatim laudat. Occurrit itaque hic titulus „de adoleſcente Academico, de Aduocatis, qui iura in „Academiis non didicerunt, de beneuolentia mu„tua inter Academiam & ciuitatem, de Baccalau„reis, de priuilegiis typographorum, de Cancel„lariis Academicis, de utilitate Academiarum, de „Depoſitione Academica, de diſciplina ſcholaſtica, „de Diſputationibus Academicis, earumque vſu & „abuſu, de diaeta literatorum, de duellis Academi„cis, de literatorum atheiſmo & auaritia & ambi„tione, de autodidactis, de Germanorum in rem li„terariam meritis, de felicitate & infelicitate lite„ratorum, de caecis eruditis, de ſcriptoribus pſeu„donymis, de Principibus literatis, de Iure Publi„co in Academiis tractando, de verſionibus libro„rum,

„rum, de quinquennali Iuris ſtudio, de delictis Stu-
„dioſorum, de vulpecula ſcholaſtica, de priuilegi-
„is Academiarum, de Gradibus Academicis.„ O-
he, iam ſatis eſt.

Mihi vero decretum eſt, ſolos hiſtoricos Academiarum in medium producere, & quam fieri certiſſime poteſt, librorum libellorumue huius generis exhibere titulos, annumque & locum typographiae, formam denique ipſam. Cumque non omnia haec ſcripta meos venerint ſub oculos, iis, quae hiſce meis oculis nunc vſurpaui, (nam quae olim vidiſſe me recordor, hoc numero excludo,) aſteriſcum praefixi tanquam teſtem meae ἀυτοψίας, gratum iis futurum, quibus certa ab incertis diſcernere iucundum eſt. Etſi enim notitiam librorum, quos hoc tempore non contigit mihi intueri, hauſi e ſcriptoribus non contemnendis, dudum tamen expertus, non eſſe fidelius teſtimonium, quam viſus proprii, diſcrimen illud faciendum duxi.

Eſt vero, quod gaudeam, in manus inque conſpectum meum veniſſe magnum huius generis librorum numerum. Multos ſcilicet reperi in bibliotheca GEORGIAE AVGVSTAE, plures in bibliothecis doctorum huius Academiae, qui, quicquid

huius generis librorum ſuis in theſauris librariis habent, promtiſſime ad me miſerunt, ingentibus non meis ſolius, ſed totius reip. literatae, digni gratiis. Ac offendi hac in vrbe etiam rariſſima complura huius generis ſcripta, quorum notitia non poteſt non eſſe literatis hominibus gratiſſima. Tanti intereſt, verſari in magno eruditorum coetu conciliſoque eum, qui iuſtos editurus eſt librorum catalogos. Praecipue laudandi mihi ſunt DD. FEVERLINVS, CRVSIVS, TREVERVS, & KOELERVS, collegae maiorem in modum colendi. Horum namque, virorum doctrina non magis, quam humanitate, excellentium, e locupletibus bibliothecis meum in conſpectum prolata eſt non mediocris huius generis librorum libellorumque multitudo.

Praeterea ſuppetias mihi tulerunt exteri quidam doctiſſimi, eruditionem ſuam humanitate adaequantes, nec ferentes, preces meas eſſe irritas. Ex Giſſenſi quidem Academia D. NEVBAVERVS, e Kilonienſi KORTHOLTVS, e Roſtochienſi (*a*) D. BVRGMANNVS, ex Argentoratenſi FRIDIVS, Pro-

(*a*) Hic quia ad me ſcribit in Catalogo ſcriptorum ad hiſtoriam Academiae Roſtochienſis pertinentium, quem ad me miſit, ſe omnes illos libros ſuis vidiſſe oculis, omnibus ab eo acceptis titulis ſtellulam praefixi, vt indicem, indicium

Profeſſores excellentiſſimi celeberrimique, de ſua quisque Academia ſcriptores quinam exſtent, me docuerunt liberaliſſime. Hamburgo item *Fabricianum* talium librorum Catalogum ad me ire iuſſit magnorum iam vir meritorum, REIMARVS: de quo Catalogo in *Cap. I.* nonnihil dicam. Laudandi quoque mihi veniunt duorum Gymnaſiorum, Gothani & Osnabrugenſis, Rectores laudatiſſimi, STVSSIVS & KOECHERVS. Hi namque, tanquam ſuum agerent negotium, auxiliares miſerunt copias. Imo alter, Theologiae Doctor nuper creatus in Academia noſtra ſummo ſuo merito, *Hiſtoriam Academiae Osnabrugenſis*, de qua vix fando audierunt plurimi, meo elaborauit rogatu: quam infra exhibens quin gratiam ineam meis a lectoribus, dubitandi cauſam video nullam. Vtinam & alteri (STVSSIVM dico, meum affinitate fratrem,) otium ſuppeditaſſet ad abſoluendam, cui deſcribendae iam manus admouit, *Helmſtadienſis Academiae Hiſtoriam!* Quam cupide & hac purpura meum pannum ornaturus eram! Interim confirmo tibi, Lector, breui finitum iri hunc viri optimi laborem, tumque librum illum optare & te & me deſiturum eſſe.

 Quan-

cium illorum titulorum eſſe iuſtiſſimum & accuratiſſimum.

Quanquam vero feſtiua librorum copia inſtruxi BIBLIOTHECAM meam HISTORICAM ACADEMICAM, tamen certiſſimum habeo, permultos huius generis libros, maxime libellos ac Diſſertationes breuiores, ad notitiam non perueniſſe meam. Quare etiam atque etiam rogo quaeſoque viros huius curioſitatis fautores, inprimis ſingularum Academiarum Profeſſores Hiſtoricos, vt ad me mittere ſupplementa, itemque correctiones, ne grauentur. Ea enim vnum congeſta in locum ne pereant, ac vt aliquando publicam in lucem veniant, prouidebo ſtudioſiſſime.

Caeterum ne quis hic quaerat, quod non ſuſcepi exhibendum, rurſus moneo, me illa ſolum circumſpexiſſe ſcripta, quae *hiſtoriam* illuſtrant Academiarum *Chriſtianarum*. Qui proinde de honoribus ſiue gradibus Academicis, de naeuis Academiarum, de Academicis ritibus, de priuilegiis Academiarum vel communibus vel propriis, de ſingularum Academiarum (*b*) bibliothecis, ſcripſerunt, hos ſcias ad gregem meum haud pertinere. Nec de AEgyptiorum vel Hebraeorum aliarumue gentium Academiis (quas nonnulli vocant, ſed

(*b*) De his vid. Struuii *Introd. in notit. rei lit. cap.* 3. & 4.

ſed minus proprie,) ſcripta commemoro: niſi quod *Abelenſis*, quae e nonnullorum cerebro ceu altera Pallas nata fuit, primum tertii Capitis locum forte quadam accepit.

Tria enim in Capita diuiſi *Bibliothecam Academicam*, & tria velut in loculamenta: in primo laudans *ſcriptores vniuerſales*, id eſt, eos, qui hiſtoriam omnium totius orbis Academiarum perſequi aggreſſi ſunt; in altero *ſcriptores nationales*, hoc eſt, eos, qui de certae nationis Academiis ſunt commentati; in tertio *ſcriptores ſpeciales*, illos dico, qui vel totam vnius Academiarum hiſtoriam condiderunt, vel partem aliquam talis ſpecialis hiſtoriae expoſuerunt. Singulis in Capitibus collocaui ſcripta ex ordine annorum, quibus edita fuerunt. Videbis etiam, Lector, de nonnullis libris meum me proferre iudicium, vel eorum recitare potiores materias: ac fortaſſe optabis, hoc factum eſſe de pluribus. Sed partim otium, partim curioſitatem me defeciſſe, ſcias.

Denique *Gymnaſia Academica* omiſi fere omnia. Cum autem & hae verae ſint, exceptis aliquot priuilegiis, Academiae ſiue, vt veteres loquebantur, Studia vniuerſalia, opto, vt vel ali-

quis talis Gymnaſii Profeſſor meum ſequens exemplum ſcriptores de ſingulis ſingulos conquirat & ordine chronologico exhibeat; vel, ſi id forte praeplacuerit, vnus e cuiusque Gymnaſii Academici Profeſſoribus illam Hiſtoriae literariae partem ad me mittere dignetur, edendam ſiue breui ſiue poſt plures ariſtas vel a me vel ab eo, cuius in poteſtatem a morte huius hominis venire contigerit meae huius argumenti collectioni.

Nihil video, quod huic Praefationi adiiciam. Quare vale, Lector, mecumque precare DEVM, vt ſedes ac ſtudia ſapientiae conſeruet ſuaeque gloriae amplificandae reddat accommodatiora. Scripſi CIↃ IↃ CC XXXVIII. d. XVI. Iunii.

ANI-

ANIMADVERSIO
PRAEFATIONI ANNEXA.

Suus cuique Academiae eſſe deberet Hiſtoricus, qui annales ſui temporis conficeret accuratiſſime, atque ita teſtis foret non ſolum pleniſſimae notitiae, ſed omni etiam exceptione maior. Iam ſi noua quaeque Academia talem acciperet rerum ſuarum ſcriptorem, & quidem immortalem, (hoc eſt, nunquam ſucceſſore carentem,) quam certa, quam plena in lucem aliquando prodire poſſet eius Hiſtoria! Si quaeris, cui demandari hoc munus oporteat, breui interiecta meditatione facile ipſe tibi reſpondebis, functurum eo eſſe quamoptime vel Profeſſorem Hiſtoricum vel Bibliothecarium vel Secretarium Academiae. Fiet autem, vt fauentibus omnibus adminiſtret is

hoc

hoc munus, ſi hanc ſibi legem praeſcripſerit, vt nec laude nec cenſura vllum ſiue ſcriptum ſiue factum proſequatur, ſed ſimplicis ac perſpicui narratoris perſona ſit contentus.

BIBLI-

BIBLIOTHECAE HISTORICAE ACADEMICAE

CAPVT PRIMVM

SCRIPTORES exhibens VNIVERSALES.

IOSEPHI A PINV, Auerbachii, Catalogus Academiarum totius orbis Chriſtiani, cum eiusdem Eteoſtichis, ad Iulium Pflugium, Epiſcopum. Witteb. 1541. 8. & 1554. 8.

Matricula aliquot Academiarum.

Scriptum hoc commemoratur in *Indice librorum*, e quibus *Henr. Pantaleon* conſcripſit primam Partem von den Helden Teutſcher Nation, editam Baſil. 1571. fol.

* Omnium Academiarum & quarundam illuſtrium Scholarum totius Europae Erectiones, Fundationes, & Confirmationes. Adiecti ſunt & praecipui earundem Rectores, Promotores, & Profeſſores. Authore M. GVOLPHGANGO IVSTO, Francophordiano. Francof. ad Viadrum 1554. 8. *pl. 9. & dim.*

Quam macra ſit haec tractatio, inde collige, quod auctor in plagulis ſeptem ac dimidia de octoginta tribus agit Academiis.

Reliquum ſpatium implet Praefatio & pertractatio ſeptendecim Scholarum illuſtrium, quarum numerum ne paginarum quidem numerus aequat. Primo loco *Romanam* ponit Academiam, in eaque literas coluiſſe docet Ciceronem, Horatium, Liuium, Quintilianum, Tacitum, Martialem, Laurentium Vallam, Lactantium, Platinam, Hermolaum Barbarum, Nicolaum Perottum. Sed deſino harum nugarum. Non hic videas adduci teſtes & monumenta hiſtorica. De Academia Britanniae *Bannochorenſi* hoc vnum affert, quod quarto floruerit ſaeculo, ibique literas tractarit Pelagius haereticus. Copioſior eſt de *Francophordienſi*, quinque implens folia. Et cum hic res ſui temporis deſcribat, multosque commemoret Profeſſores, quos partim *Praeceptores* ſuos, partim ſuos *Compatres* nominat, haec ſola relatio fide digna eſt legique meretur. Caeteris Capitibus omnibus perire per me licet. Factus eſt poſtea hic auctor, qui ſe Germanice *Iobſt* appellat, *Medicinae Doctor & Phyſices Profeſſor* in Academia Francofurtana, patrioque ſermone *Chronicon illius vrbis* compoſuit ediditque, quod recudi ibi curauit Io. Chriſtoph. Becmannus primum a. 1676. inter *Memoranda Francofurtana*, deinde longe ornatius a. 1706. *fol.*

*** Academiarum orbis Chriſtiani libri duo : quibus praeter earum originem, inſtitutionem, & progreſſiones, Noachi poſt diluuium & SS. Apoſtolorum Ieſu Chriſti in Europam aduentus & coloniae deſcribuntur, autore IACOBO MIDDENDORPIO. Coloniae 1572. 8.** *Alph.* **2.** *pl.* **2.**

In Georgii Draudii *Bibliotheca Claſſica p. 1004.* auctor huius libri eſſe dicitur *Maternus Cholinus* : qui tantum eius typographus fuit. Pariter errat Pancirollus, *lib. IV. de claris legum interpretibus cap. 3. p. 389.* ſcribens, *Middendorpium* fuiſſe ICtum, & Heidelbergae docuiſſe a. 1524. linguam Hebraeam, & quidem per quinquennium. Vnde errorem hunc hauſerit *Pancirollus*, ignoro. Cum vero Wittebergenſis Academiae conditorem fuiſſe ſcribit *Fridericum I. Ducem Saxoniae*, huius erroris ducem nactus eſt *Wolfgangum Iuſtum*, de quo modo dixi-

diximus. Is enim in libello ſuo refert, *Academiam Witte-bergenſem fundatam eſſe a.1502. a Friderico primo, Duce Ele-ctore Saxoniae.* Caeterum quis fuerit *Middendorpius*, ipſe doceat. Iam vero primae illi libri ſui editioni praemiſit Vr-bani VII. Pont. Max. ad ſe Epiſtolam, e qua cognoſcimus, fu-iſſe eum etiam Canonicum Colonienſem & Archiepiſcopi Conſiliarium. Et in *libro II. p.310: Hoc anno 1571.* inquit, *Ma-ximilianus II. Imperator ad inſtauranda* (Viennae) *ſtudia Theo-logica animum adiecit, & ego, vti Coloniâ eò proficiſcerer, in-vitatus fui.* Mortuum eum eſſe anno aetatis 73. Coloniae a. 1611. d. 13. Ianuarii, Wittenius docet in *Diario biographico*, v-bi & libros ab ipſo editos recenſet, refertque, eum Tranſi-ſalanum patria fuiſſe, Iuris vtriusque Doctorem & Theolo-giae Licentiatum, diuerſis in Academiis Philoſophiae Profes-ſorem, Eccleſiae Metropolitanae Colonienſis Presbyterum & Canonicum, ad D. Andreae Decanum, Vniuerſitatis item il-lius Procancellarium, & magnorum Principum Conſiliarium.

Conſideremus nunc librum ipſum *de Academiis*, cuius ti-tulus ſtatim prodit, auctorem eſſe nugiuendulum. Quis e-nim in Hiſtoria Academiarum diſputationem quaerat de Noa-chi in Europam aduentu? Vt ſcias, quid ſibi velit *Midden-dorpius*, e ſubiecto *Indice* hos profero titulos: *Academiarum omnium in Europa prima fuit Vetulonii Italiae. Artes docuit poſt diluuium in Italia Noachus. Noach erexit in Italia Aca-demiam, & ibi docuit. Petrus Apoſtolus fuit Romanae Acade-miae Theologicae Rector. Vetulonii fuit prima Academia Eu-ropae.* Ducem auctoremque harum ineptiarum ipſi fuiſſe *Annium Viterbienſem*, quis non videat? Intremus nunc opus ipſum, cuius in libro priore quae diſſerit ab eius initio vsque ad p.191. omnia ſunt hoc loco aliena. Diſputat namque de ſtu-diis literariis apud priſcos Hebraeos, de aduentu Noachi (cu-ius vxorem *Veſtam* fuiſſe credit,) in Italiam, de ſchola Py-thagorae Italica, de ſtudiis literariis veterum Romanorum, de eorundem templis & diis & ſacerdotibus & ſacrificiis, de eo-rum iudiciis forenſibus, denique de eorum bibliothecis. Hinc *p. 191.* agit de Bononienſi & caeteris Italiae Academiis ſiue V-niuerſitatibus vsque ad *p. 234.* breuiter & imperfecte; *p. 234.*

--*245.* de Siciliae Academiis. Atque hic concluditur prior liber. *Secundo* in *libro* deſcribit Academias Germaniae, Galliae, Hiſpaniae, Angliae, Poloniae, & Scotiae, & quidem *ſic*, (ita ipſe *p.245.* loquitur,) *vt aperte declaret, quando veram religionem & bonarum artium ſtudia ſingulae prouinciae acceperint.* De Colonienſi Academia *p. 276.-279.* agit. Quae tractatio tam manca minime conueniebat Middendorpio, cum eſſet illius Academiae Profeſſor, adeoque facile dare poſſet vberiora. Scilicet vbique imitatur bibentes e Nilo canes. Tamen cum melior de Academiis liber non exſtaret, breui diuenditus fuit, auctorique neceſſitas impoſita, nouam adornandi editionem, cuius en titulum!

* **Academiarum vniuerſi terrarum orbis libri tres, nunc recens locupletati & recogniti, authore MIDDENDORPIO, Theologo & Iuriſperito. Coloniae apud Maternum Cholinum 1583. 8.** *Conſtat paginis 633.*

Tertia editio ibidem a. 1594. prodiit, ſi fides Lipenio *Biblioth. philoſ. p. 3.* Ita quarta eſt, cuius nunc titulum exhibeo:

* **Academiarum celebrium vniuerſi terrarum orbis libri octo, partim recens conſcripti, partim ita locupletati, vt plane noui videantur, auctore IACOBO MIDDENDORPIO, Theologiae (&) Iurisprudentiae (*Profeſſore,*) & Academiae Colonienſis Procancellario. Coloniae 1602. 8.** *Alph. 3. pl. 10. Tomi duo.*

Liber primus & ſecundus plane ſunt noui. Et in *primo* quidem *libro* agit *de nomine Academiae atque Vniuerſitatis; de locis, quibus potiſſimum inſtituendae ſint Vniuerſitates; de vtilitate Vniuerſitatum; de ſcholaſticis honoribus ſiue promotionibus; de Depoſitione Beanorum; de Bidellis; de priuilegiis Scholarum, Doctorum, & Studioſorum.* Caetera ſunt ἀπροσδιόνυσα. In *ſecundo libro* diſſerit *p. 196.-247. de literarum & bonarum artium inuentione ante diluuium:* hinc *p. 248.-405. de orbis infide-*

lis

lis Academiis, in AEgypto, Babylonia, Phoenicia, Persia, AEthiopia, India, Africa, Graecia, & Macedonia. Nihil hic, quod admirari vel laudare possis. *Liber tertius* est idem, qui prima in editione primus, paucis adiectis. *Quarto* in *libro* Academias Italiae & Siciliae describit. Ac hic quidem de singulis Italiae Academiis multa adiecit: e. g. cum prima in editione de Patauina Academia quinque impleßet paginas ac dimidiam, hic sunt paginae triginta & vna. In *libro quinto* agit de Academiis & Scholis Germaniae, Bohemiae, Poloniae, & Daniae. De Coloniensi Academia quae primae editioni adiecit, leguntur *p. 162.-191.* Ac de plerisque Academiis additamenta exhibet, inprimis de Ingolstadiensi. *Sexto* in *libro*, qui & ipse est auctus locis plerisque, de Galliae agit Academiis: & in *septimo libro* de Academiis Hispaniae: vbi largissimus est de Academia Salmanticensi. Denique *librum octauum* inscripsit *de Academiis Angliae, Scotiae, & Hyberniae.* Nihil tamen quicquam affert de Hibernia, sed Appendicem facit *Catalogum prouinciarum Societatis Iesu, & Collegiorum ac Domuum, quae in vnaquaque prouincia sunt, p. 484.-496.* Apparet nunc, ex vero iudicasse Conringium in Praefatione ad secundam editionem *Antiquitatum* suarum *Academicarum, Middendorpium huic argumento fuisse multum imparem.* Appono iudicium Isaaci Wakii, in *Narratione de IACOBI Regis in Academiam Oxoniensem anno 1605. aduentu*, edit. Oxon. 1615. sic *p. 209.* scribentis: *Middendorpius ita confidenter scribit de Academiis, ac si in omnibus aetatem totam vixisset; ita tamen frigide, futiliter, indocte, ac si in nulla vnquam vel diem vnum posuisset.*

FRANCISCI IVNII Academia. Libellus hoc tempore iuuentuti studiosae vtilis & necessarius, in quo ex linguarum & priscae variaeque historiae monumentis ortus Academiarum, genera & partes, itemque studiorum & honorum gradus, quos Academiae obseruant, & quae eo pertinent, exponuntur. Ad calcem adiectus est Academiarum totius Europae seu orbis Christiani Catalogus. Heidelbergae 1587. 4.

* Recuſus eſt hic liber inter *Opera* eius, Geneuae 1613. *fol.* edita, & quidem in Tomo primo, ſi credimus praefixae huic Tomo συνόψει, quippe in qua vltimum tenet locum *de Academiis liber vnus.* Sed fallit haec promiſſio ſpem noſtram. Huius enim libri nihil ibi recuſum.

Academiarum Europae Catalogus. Londini 1590. 4.

*F. PETRI M. CRATEPOLEI, Minoritae Colonienſis, Catalogus Academiarum, id eſt, celebrium Vniuerſitatum orbis Chriſtiani. Coloniae 1593. 8. *pl. 7. & dim.*

Litera *F.* ſignificari *Fratrem*, conſtat. At litera *M.* ſignificari *Merſaeum*, ne Delius quidem Apollo reſpondere potuisſet. Id autem docet Nicolaus Serarius in *Rerum Moguntinarum lib. I. cap. 34. §. 5.* & Sagittarius in *Introd. in Hiſt. eccl. cap. XX. p. 492.* & *498.* Ad librum ipſum quod attinet, fatetur auctor in praefatiuncula, *ſe Middendorpii labore adiutum eſſe, ſed multa proferre, quae ille ne attigerit quidem.* Exhibet Academias ordine alphabetico, ſed miſcens ſcholas veterum, e. g. Alexandrinam, Antiochenam, Athenienſem, Hieroſolymitanam, iunioris aeui Academiis. Ienenſem Academiam non commemorat ſuo ordine, ſed coniungit Wittenbergenſi: de qua differens haec quoque effutit *p. 98: Refertur de Martino Luthero, (cuius iam autoritas paulatim vileſcere incipit, & tandem eius nomen cum ſonitu periet,) quod in eius exequiis omnes interfuerunt daemones, ac illius animam ad Orcum detulerunt.* Caeterum liber hic inter viliores connumerari meretur: cuius concluſio *p. 100.-117.* (o longae ambages, iniuria longa!) eſt inuectiua in haereticos, hoc eſt, Lutheranos, declamatio.

GABRIELIS LVRBAEI, ICti & Syndici Burdegalenſis, Commentarius de ſcholis literariis omnium gentium. Burdegalae 1598. 8.

Exſtat quoque huius *Gabrielis de Lurbe*, Syndici Burdegalenſis, *Chronicon Burdegalenſe*, quod ipſe deinceps Gallicam

* con-

conuertit in linguam. Ac Gallicae verſionis ſecunda, eaque per alium auctior, editio prodiit *à Bourdeaus* 1619. 4.

*THEODORVS ZVINGERVS in *Theatri humanae vitae* Volumine XXVI. *p.* 4062. 4063. & 4064. recenſet Academias.

*RVDOLPHVS HOSPINIANVS operis *de templis* (editionis Geneuenſis 1672. *fol.*) *lib. III. cap. 5. p.* 358. 359. & 360. vetuſtiores, & *p.* 364. 365. 366. inde a ſaeculi XVI. initio conditas Academias recenſet.

Vti valde & ieiuna & confuſa eſt *Zuingeri* tractatio, ita nec *Hoſpinianus* ſatisfacit lectoribus, perfunctoriam quippe nauans operam, & primoribus quaſi digitis tractans hoc argumentum.

ANDREAE CALAGII Natales illuſtrium virorum, foeminarum, vrbium, Academiarum, & monaſteriorum. Francof. 1609. 8.

Fuiſſe hunc Gymnaſii Vratislauienſis Profeſſorem, & ipſo illo anno 1609. diem obiiſſe ſupremum, cum Wittenius docet in *Diario biographico*, tum das Gelehrten-*Lexicon*.

*ELIAS REVSNERVS, Prof. Hiſt. Ienenſis, *Iſagogae* ſuae *Hiſtoricae*, Ienae 1609. 4. iterum editae, inſeruit *p. 167. - 170. Academiarum in orbe Chriſtiano fundationes.*

Etiam plerique caeteri Chronologi fundationes Academiarum ſuis annis adſcripſerunt, e. g. ABR. BVCHOLCERVS in *Iſagoge Chronologica*, Gorlicii 1580. *fol.* edita; SETHVS CALVISIVS in *Opere Chronologico*, cuius quarta editio a. 1650. *fol.* prodiit Francofurti & Embdae: vbi inſpiciatur *Index* v. *Academia.* Pari modo IANVS GRVTERVS in *Chronici Chronicorum Politici*, ſub nomine *Ioannis Gualterii* Francof. 1614. 8. editi libro ſecundo *p.* 1280. - 1307. recenſuit Academias,

mias, fassus, potissimum *Middendorpium* se sequi ducem. Ac etiam IO. HENR. ALSTEDIVS in *Thesauri* (a) sui *Chronologiae* (cuius editio secunda Herbornae prodiit 1628. 8.) *Capite XXIX. p. 269. - 276.* exhibet *Chronologiam omnium toto orbe Academiarum*. Denique IO. BAPTISTA RICCIOLVS in *Chronologiae* suae *reformatae*, Bononiae 1669. editae, *Tomo secundo*, & quidem in eius *Parte tertia p. 159. sq.* exhibet Catalogum Academiarum alphabeticum, adiectis annis fundationis.

M. AARONIS BVRCKHARDI (*Pastoris Magdeburgici*,) **Speculum Catalogicum & Chronologicum Academiarum orbis Christiani.** Magdeburgi 1615. 8.

*DANIELIS ANGELOCRATORIS **Epitome Conciliorum & Academiarum.** Francofurti 1620. 4. *Alph. 1. pl. 9.*

Fuit hic inter primarios prius Hassiae, deinde Anhaltinos Theologos, ac interfuit quoque Synodo Dordracenae nomine Mauritii, Hassiae Landgrauii. De eius, a. 1635. exstincti, vita scriptisque praeter Freheri *Theatrum* videatur Sagittarii *Introductio in Hist. eccles. Cap. XII. §. 21. p. 170. sqq.* qui & *p. 172.* commemorat eius *Indicem Academiarum & Scholarum illustrium*, magno ipsius, sed nondum edito, adhuc tamen superstiti, *Operi Chronologico*, quatuor voluminibus constaturo, inserendum. De eodem scriptore eadem exponit Reimmannus *Hist. liter. Germaniae T. IV. p. 333. sqq.* Nec tacendum, vitam huius *Angelocratoris* (Germanice Engelhart,) etiam exhiberi a Becmanno in *Historiae Anhaltinae P. VII. Cap. 3. p. 322. sqq.* vbi & scriptorum eius iusta fit mentio. Sed vt veniamus ad opus supra commemoratum, *Epitome Conciliorum* (hoc est, notitia cuiusque Concilii breuissima,) implet paginas 222. Inde a *p. 223.* vsque ad *p. 250.* adeoque in quatuordecim

(a) In *Praefatione* scribit, *nullum suorum librorum tanto sibi constitisse labore, quanto hunc, adeo quidem, vt reliquae suae lucubrationes fuerint ad hanc veluti ludus.*

cim foliis, exhibetur *Epitome* (ita enim fluit titulus *p. 223.*) *fundationis Academiarum & Illuſtrium per totum orbem Scholarum, quam ordine Alphabetico concinnauit, & Academiae Marpurgenſi conſecrauit M. Daniel Angelocrator, Paſtor & Superint. Marpurg.* Eſt autem hic libellus perexigua laude dignus. Ne enim breuitatem eius accuſem, falſa ſimul & vera deſcripſit e *Middendorpio.* Ac de ipſa Marpurgenſi Academia nihil docet, praeterquam quo anno nata fuerit, & quos habuerit Profeſſores. Hos vero cur exhibeat ordine alphabetico, temporisque, quo quisque ibi vixerit vel mortuus ſit, mentionem omittat, cauſae nihil video. Illud agnoſco, virum hunc admodum miſeram ſcripſiſſe tum de Conciliis, tum de Academiis, Epitomen hiſtoricam.

DAVIDIS HERLICII Tractatus de Academiis totius mundi. Gryphiswaldiae 1592. 8.

Commemoratur hoc ſcriptum in Catalogo librorum ab *Herlicio* editorum, quem exhibet *Wittenius* in *Memoriis Medicorum, Dec. I. p. 87.* omiſſo tamen editionis & loco & anno.

* CHRISTOPH. BESOLDVS in *Theſauro practico* v. *Academia* recenſet omnes Academias adiecto fundationis anno.

FRANCISCVS SWEERTIVS in *Athenis Belgicis*, Antuerpiae 1628. *fol.* editis, *p. 59. ſqq.* exhibet Catalogum omnium Academiarum.

*IOANNIS LIMNAEI liber octauus *Iuris publici Imperii Romano-Germanici*, a. 1633. 4. editus Argentorati, inſcriptus eſt (a) *de Academiis ſiue Vniuerſitatibus literariis.* Ibidem a. 1650. edidit, vt ad caeteros libros ſui operis, ita etiam

(a) Hic *Cap. I. §. 1.* docet, ſe exhibere praecipua e quinque ſuis Diſputationibus, quas Altorphii habuerit. Ediderat eas ibi 1621. 4. ſub titulo: *Diſſertationes Nomico-politicae de Academiis.*

iam ad hunc octauum *Additiones*, quae vero tres duntaxat implent plagulas.

Persequitur hic scriptor proprie iura Academiarum: hac tamen occasione haud pauca inserit historica. Eadem forma conscriptus est M. IO. MICH. (b) SCHWIMMERI, Fac. Phil. Ienensis Adiuncti, *Tractatus politicus de Academicis omnium Facultatum Professoribus & Studiosis, moralium aliorumque dogmatum apparatu vtili fertilissimus*, Ienae 1672. 4. * item THOMAE LANSII *Commentatio de Academiis*, Tubingae edita 1619. 4. *pl.* 12. & Helmstadii recusa 1666. 4. Ac est quoque in classem hanc referendus IO. ROLOTTI *Tractatus historico-politicus de Professoribus Academicis*, *Holmiae* 1682. 8. * itemque IO. GISENII, *SS. Theol. D. & in Acad. Rint. Prof. publ. Vita Academica, ex Scriptura potissimum sacra aliisque probatis authoribus descripta. Prima Pars* huius operis excusa est Rintelii 1625. 4. *Alph.* 1. *pl.* 19. *Secunda* ibidem 1628. *Alph.* 1. *pl.* 8. Agitur enim hoc in opere de natura & essentia Academiae, de iure aliquam erigendi siue instituendi, de priuilegiis Academicis, de requisitis & virtutibus Professorum, de ordine & iuribus Facultatum Academicarum, de ritibus Academicis, de Academico regimine siue Rectoratu, de honoribus seu gradibus Academicis. Dimidio autem breuius futurum erat hoc opus, si auctor abstinuisset digressionibus, quarum nonnullae suo loco admodum alienae sunt. Caeterum recensio huius Operis reperitur in Unschuldigen Nachrichten 1720. p. 393. sqq. Vita vero *Gisenii* copiose describitur ab Haubero in *Primitiis Schauenburgicis p.* 109. *sqq.* vbi & *p.* 121. *sqq.* scripta ipsius recenset perdiligenter.

*GVIDI PANCIROLI liber *de Europae Academiis.*

Est

(b) Hic postea factus est Rector Scholae Rudolphopolitanae, vbi & post diu administratum hoc munus admodum senex vita excessit. Caeterum initium is fecerat huius sui laboris Disputatione Ienae a. 1670. edita *de Professoribus Academicis*.

Eſt quartus idemque vltimus liber Panciroliani operis *de claris legum interpretibus*, primum Venetiis 1637. deinde ibidem 1655. 4. editi, Lipſiaeque 1721. nitide recuſi atque emendate. Cum autem totum illud opus ſit poſthumum, etiam quartus hic liber non videtur ab auctore ſuo deſtinatus fuiſſe editioni publicae. Continet octo Capita, quorum primo Italiae, ſecundo Siciliae, tertio Germaniae, quarto Poloniae, quinto Galliae, ſexto Hiſpaniae, ſeptimo Angliae, octauo Scotiae Academiae nominantur ſolum, addito cuiusque anno natali. Ducem ſe ſecutum hic eſſe Middendorpium, ipſe praefatur Pancirolus.

CAROLVS ANTONIVS DE LVCA, Melphitanus, ICtus, in libro quodam, cui titulum indidit *Laureae legalis*, omnes recenſet Academias.

*REINHARDI Königs, Prof. Polit. & Hiſt. Oratio de Academiis Europaeis, & earundem fundatoribus, deque Academiarum Germaniae calamitatibus, periculis, & annis quaſi climactericis ac fatalibus. Rintelii 1642. 4. *pl.* 2.

Breuia & leuia ſunt, quae hic auctor protulit.

*HERMANNI CONRINGII de antiquitatibus Academicis Diſſertationes ſex, habitae in Academia Iulia. Helmſt. 1651. 4. *Alph.* 1. *pl.* 6.

Altera editio *Supplementis* aucta hunc gerit titulum: *Herm. *Conringii de antiquitatibus Academicis Diſſertationes, plurimis locis ſecunda hac editione emendatae. Acceſſit Supplementorum eiusdem argumenti liber vnus. Helmſt. 1674. 4. Alph. 2. pl. 15.*

*CAESAR EGASSIVS BVLAEVS in *Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis*, a. 1665. edi coepta, occaſionibus oblatis agit de ortu plerarumque Academiarum.

NIC. BECKMANNVS (*Prof. Iuris in Acad. Lundinenſi*,) Catalogum omnium Academiarum adiecto fundationis anno exhibet in *Doctrina Iuris p.* 5. 6, & 31. *ſq.*

* ERN. GOCKELIVS, I. V. D. in *Deliciis Academicis*, Aug. Vindel. 1682. 4. editis, *§. XX. p. 20. - 44.* exhibet Catalogum Academiarum Europae.

IO. STüBNERI, Rectoris Gymnasii Hailbronnensis, Catalogus Academiarum annexus est eius *Tabulis Hist. Eccl. 1690. fol.*

* Etiam *D. Gottfried Ludwig*, Director Gymn. Coburg. in Tomo priore libri, cui titulus: *Vniuersal-Historie*, editi Coburgi 1716. 8. diligenter obseruat annos, quibus quaeque Academia fuit condita. Vid. subiectus *Index* v. *Academien.*
* Sic & CHRISTOPH. CELLARIVS in *Historia* sua *noua p. 241. sq.* & *344. sqq.* indicat annos, quibus conditae fuerunt seculo XVI. & XVII. Academiae. Praetereo caetera Historiae ciuilis Compendia, itemque ecclesiasticae.

* HENNINGVS WITTE *Diarii* sui *biographici* Tomo secundo, Rigae 1691. 4. edito, subiunxit *Recensionem Professorum in praecipuis Academiis atque Gymnasiis nuper vel hodie adhuc docentium.*

Wittenium (hoc loco) *in enumerandis Professoribus Academicis cum quoad nomina, tum quoad Facultates, vt vulgo vocantur, grauiter errasse, non vna vice deprehendi*, inquit Ioach. Meierus in *Antiquitatibus Meierianis cap. XII. §. 13. p. 151.*

STEPHANI PARSCHITII DE ROSENBERG, Nobilis Hungari, Catalogus de origine & fundatione Academiarum totius Europae. Francofurti ad Viadrum 1692.

MATTHIAE HENRICI SCHACHTII, Rectoris Scholae Cartemundensis in Fionia, Chronologia Academica Europaea, de omnibus in Europa Academiis, earumque fundatoribus, Professoribus, Auditoriis, Collegiis, Bibliothecis, &c. ordine alphabetico congesta.

Perfectum esse hoc opus, sed nondum editum, docet *Albertus Thura* in *Praef.* ad *Ideam* suam *Historiae literariae Danorum p. 3.* Fit etiam huius scripti mentio in *Nouis literariis maris Balthici a. 1698. p. 187.*

* **Kurtze Nachricht von denen Academien und Universitäten überhaupt. Halle** 8. *pl.* 7.

Annus impressionis non est indicatus in titulo. Constat autem, libellum hunc in lucem exiisse anno 1709.

* FRIDERICI (a) LVCAE **Europäischer Helicon, auf welchem die Academien aller Nationen, besonders** Europae, **samt ihren vornehmsten Lehrern, in sieben Haupt-Theilen vorgestellet. Franckfurt am Mayn** 1711. 4. *Alph.* 4.

Amplificauit hoc opus auctor multis digressionibus, quae tamen a suo argumento non sunt prorsus alienae. Initium igitur suae Academiarum historiae demum facit Capite libri tertii quinto, vbi Catalogum exhibet omnium Europae Academiarum. Hinc libri quarti quinque priora Capita rursus sunt excursus de monasteriis, quorum multa fuerunt officinae literarum. Tum demum sexto in Capite *p. 361. - 680.* in viginti septem Capitibus tot Academiarum Germaniae persequitur historiam. Nec ad historiam Academiarum proprie dictam pertinent libri quintus & sextus, quippe in quibus historiam tractat Scholarum Equestrium & Gymnasiorum Academicorum. Rursus libro septimo, qui postremus est, redit ad historiam Academicam, ibique Belgicas describit Academias. Caeterum cum facile fuerit auctori, adipisci historiam Iubilaeorum Academicorum nostra aetate in Germania celebratorum, itemque historiam fundationis iuniorum Academiarum Germanicarum, hac vtraque ex parte satisfacit. Illud

(a) Erat hic Rotenburgi ad Fuldam Decanus, hoc est, Pastor primarius, ibi exstinctus a. 1708.

lud vero ex hoc, quem dedi, conſpectu apparet, plus, quam praeſtitit, auctorem promiſiſſe in titulo. Sperare enim lectorem iubens omnium omnino totius orbis Academiarum hiſtoriam, Germaniae tantum Belgiique Academias lectoctorum ſuorum oculis ſubiicit, vix vno Capite excepto, quod libri tertii quintum eſt. In eo enim de aliarum nationum Academiis differit. Sed hic non ſolum perpauca de ſingulis affert, ſed etiam falſa multa, multa ἀπροσδιόνυσα.

* Catalogum Academiarum vniuerſi orbis exhibet IO. BAPT. CAPASSVS in *Hiſtoria Philoſophiae*, Neapoli 1728. 4. edita, *lib. IV. cap. 14.*

Commemorat hic etiam quinque Academias Americanas ab Hispaniae Regibus conditas. Bis vero laudans *Kiddendorpium* pro *Middendorpio* inſtar ſoricis prodit, ſibi huius opus haud eſſe viſum, quod tamen *inſigni labore confectum eſſe* ſcribit.

* M. A. M. D. S. P. R. Caſtra Muſarum in tabula, id eſt, Conſpectus Academiarum in Europa fere omnium, id eſt, kurtze Vorſtellung der vornehmſten und bekannteſten Univerſitäten in Europa, wie ſie heiſſen, wo ſie liegen, und wenn ſie fundiret. Chemnitz 1731. *fol. pl. 1.*

* In *Actis Academicis*, quae inde ab anno 1733. ſingulis menſibus emittuntur Lipſiae, ſubinde exhibetur Catalogus Profeſſorum, hodie docentium in aliqua Academiarum.

* Orbis literatus Academicus Germanico-Europaeus, praecipuas Muſarum ſedes, Societates, Vniuerſitates, earumque fundationes, priuilegia, euentus, Teutonicarum ſigilla prototypis conformia, vna cum Faſtis, Albo chronologico, Catalogo vniuerſali membrorum & Profeſſorum hodie viuentium, in Synopſi repraeſentans, curante IO. GEOR-

GEORGIO HAGELGANS, Archiuario Naſſouico Saraepontano. Francof. ad Moenum 1737. *fol. pl.* 27.

Edendo ſplendido huic operi occaſionem praebuit noua Academia, Gottingae a. 1737. inaugurata, cuius etiam conditori Auguſtiſſimo, GEORGIO II. Regi Magnae Britanniae & Principi Electori Germaniae, dedicatum eſt conſecratumque.

* * *

Commemorandi vltimo hoc loco ſunt duo doctiſſimi viri, qui de vniuerſis Academiis ſcribere induxerunt in animum, ſed non fuerunt conſilium ſuum executi. Prior eſt LEO ALLATIVS, qui ipſe in *Apibus Vrbanis p. 179.* refert, ſe manum admouiſſe ſcribendo libro *de Academiis orbis & earum inſtitutione.* Verum nec prodiit ille liber nec fortaſſe perfectus fuit. Alter eſt IO. ALBERTVS FABRICIVS, quem MS. reliquiſſe Diſſertationem *de Academiis orbis Chriſtiani*, teſtis eſt gener ipſius, *Herm. Sam. Reimarus*, in *Vita* eius *p. 142.* Qui vir doctiſſimus cum roganti mihi inſpiciendam miſerit hanc Diſſertationem, vidi, poſtremis demum vitae ſuae annis virum illum hoc in genere facile principem annotare coepiſſe loca recentiorum maxime ſcriptorum hiſtoriam Academicam illuſtrantium: adeoque non eſſe ita comparatam hanc ſcriptionem, vt ſaluo honore nominis Fabriciani edi queat in publicum. Fuerunt tamen haud pauca, quae inde meum in vſum excerperem.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM
SCRIPTORES continens NATIONALES.

IOANNIS ROSSI librum *de Academiis ANGLIAE*, a. 1290. ſcriptum, commemorat Philippus Labbeus in *Bibliotheca Bibliothecarum p. 216.* editionis Lipſienſis a. 1682. 12. Sed falſum nominat annum, cum *Roſſus* ille a. 1491. vita exceſſerit. Vid. Fabricii *Bibliotheca Latina mediae & infimae aetatis lib. IX. p. 365.* vbi & hic liber eius ineditus *de antiquitate Academiarum Britannicarum* laudatur. Multam huius Roſſiani libri mentionem facit Twynus in *Apologia antiquitatis Academiae Oxonienſis.* Videatur potiſſimum *p. 7. 8. 9.* & *119.* Ab eodem *p. 12.* laudatur

SAMVELIS LEVKNERI (Angli) libellus de vrbibus (Angliae) Academicis.

* Academias Angliae deſcribit HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS im Engliſchen Kirchen- und Schul-Staat, primum a. 1694. edito, deinde cum additamentis *D. Balth. Menzeri* recuſo 1732. 8.

FRANCISCI SWEERTII Athenae BELGICAE. Antuerpiae 1628. *fol.*

* Belgii foederati Academias deſcribit laudatus modo BENTHEMIVS im Holländiſchen Kirchen- und Schul-Staat, edito 1698. 8.

* Vtriusque Belgii Academias perſequitur FRIDERICVS LVCAE im Europäiſchen Helicon *P. VII. p. 844.-892.*

Supplement, contenant en abregé l' Inſtitution de vingt & vne Vniuerſitéz de FRANCE. A Paris 1686. *in 12.*

Auto-

Auctorem huius ſcripti, quod nullum prodromum habuit, cuius ſit *Supplementum*, eſſe *Antonium Bruneau*, docet Iacobus le Long in *Bibliotheca hiſtorica Galliae p. 861.*

*IO. AYMONIVS Operi ſuo Gallico *de Synodis Reformatorum Galliae* (*Tous les Synodes nationaux des Egliſes Reformées de France*,) Hagae 1710. edito, plura inſeruit de Academiis Reformatorum GALLICIS, quae indicat vterque *Index* huic Operi adiectus v. *Vniuerſités.*

* Catalogum Scriptorum de Academiis Galliae exhibet IACOBVS LE LONG in *Bibliotheque Hiſtorique de la France*, Lutetiae 1719. *fol.* edita, *lib. IV. cap. IV. p. 861.-870.*

HERMANNI KIRCHNERI (*Prof. Marpurg.*) Oratio de Ducibus, Principibus, Comitibus, ac Equitibus nobilibus GERMANIS, ſexcentis abhinc annis in Academiis publice Magiſtris, Licentiatis, ac Doctoribus promotis, Marpurgi 1608. 4.

Recuſa eſt haec *Oratio* Spirae 1618. 4. Ac reperitur etiam in *Orationum* eius iunctim editarum Volumine ſecundo *num. III.*

*CONRADVS RITTERSHVSIVS *Commentarium* ſuum *in Saluiani Opera* a. 1611. Noribergae editum, & a. 1623. ibidem recuſum, inſcripſit dedicauitque *Vniuerſitatibus atque Academiis GERMANIAE*, ideoque *Dedicationi* ſubiunxit *Catalogum Academiarum Germaniae, ſecundum fundationis & temporis ordinem, quatenus ſciri potuit, inſtitutum.*

*PETRVS BERTIVS in *libri tertii Commentariorum rerum Germanicarum*, Amſtelodami 1635. in 12. editorum, *Capite ſecundo* toto *p. 9.-22.* agit *de ſcholis & Academiis Germaniae.*

D. CHRISTIANI KORTHOLTI Oratio de Scholarum & Academiarum ortu & progreſſu, praeſertim in *Germania*, inter ſolennia inaugurationis Academiae Kilonienſis habita. Slesuici 1666. fol.

* *De Germanorum Academiis* diſſerit, ſed paucos duntaxat libros de iis editos commemorans, MICH. HERZIVS in *Bibliotheca Germanica*, Erfurti 1691. *fol.* edita, *lit. P.* 2.

* FRIDERICVS LVCAE de Academiis Germaniae agit in libri quarti *Heliconis Europaei*, a. 1711. editi, Capite ſexto *p.* 361. - 680.

* IO. DAVID KOELERVS (*Prof. tum Altorfinus, nunc Gottingenſis,*) *Catalogum ſcriptorum de Academiis Germaniae* exhibet in *Praefatione* ſua ad *Faſtos Vniuerſitatis Altorfinae* ἀνωνύμως editos. Conſtat is quinque paginis. Sequentibus in duabus paginis laudat ſcriptores aliquot *de exteris Academiis.*

* Der Teutſche Helicon, auf welchem die auf denen Teutſchen Univerſitäten jetzt lebenden Professores vorgeſtellet, auch zugleich die Fundationes und vornehmſten Fata jeder Univerſität kürtzlich erzehlet werden. Leipzig 1712. 8. *pl.* 3.

* De Academiis Germaniae agit IO. FRID. PFEFFINGERVS in tertio Tomo *Notarum ad Vitriarii Ius publicum p.* 230. - 245.

In *Veroſimilibus ſacris & profanis*, Lingae 1732. editis, *Faſcic. I. p.* 106. *ſqq.* exhibetur *Syllabus antiquiſſimarum totius Germaniae Academiarum.*

* De origine & incrementis Academiarum Germaniae agit auctor der allerneueſten *Acerrae Philologicae P. I. cap.* 8. *p.* 88. *ſqq.*

AL-

ALFONSI GARSIAE MATAMORI, Hispalensis, Rhetoris Complutensis, de Academiis & doctis viris HISPANIAE, siue pro asserenda Hispanorum eruditione Narratio Apologetica. Compluti 1553. 8.

* Insertus est hic liber Tomo secundo *Hispaniae illustratae* Francofurti editae 1603. *fol. p. 801.-823.* Est vero scriptor hic copiosior de eruditis Hispaniae viris, quam de illarum terrarum Academiis, quarum ortum duntaxat commemorat, perpaucorum Professorum mentione subiecta.

*ANDREAE SCHOTTI Hispaniae Bibliotheca, seu de Academiis & Bibliothecis.

Editus est hic liber, nunc perrarus, ἀνωνύμως Francofurti 1608. 4. nisi quod auctor *Dedicationi* ita subscripsit: *A. S. Peregrinus.* Est opus hoc tres in Tomos distinctum, qui tamen mediocre tantum volumen efficiunt. Primi in Tomi Capite secundo exhibetur (1) ex *Ioannis Middendorpii* Opere *de Academiis* Catalogus Academiarum Hispaniae *p. 28.-32.* (2) Descriptio Salmanticensis Academiae *p. 32.-51.* petita e *Mich. Cerdae* siue *de la Cerda*, Societatis Iesu Hispali Rhetoris, *Apparatu Latini sermonis*, & (3) ex eodem libro depromta Descriptio Complutensis Academiae *p. 52.-62.*

* De Vniuersitatibus Hispaniae agit ABBAS DE VAIRAC in Tomo secundo operis ita inscripti: *Etat present de l' Espagne*, & Amstelodami 1719. editi, *p. 395. 396. & 397.* Nihil aliud vero ex eo cognoscimus, quam quis sit Academiarum Hispaniae numerus, & quo quaeque sit anno condita. Habet videlicet Hispania tres & viginti Academias, *Salmanticanam*, *Palentianam*, *Pincianam* siue *Valladolidanam*, *Siguenzanam*, *Toletanam*, *Abulensem*, *Alcalensem* siue *Complutensem*, *Hispalensem*, *Granadensem*, *Beaciensem*, *Ossunensem*, *Huescanam* siue *Oscanam*, *Caesaraugustanam*, *Valentianam*, *Gandiensem*, *Oribuelanam*, *Leri-*

danam, *Tortoſanam*, *Tarraconenſem*, *Compoſtellanam*, *Onnatenſem*, *Ouiedanam*, *Pamplonenſem*. Ac a. 1717. hodiernus Rex *Cerberae* ſiue *Ceruariae*, quae Cataloniae vrbs eſt, nouam eſſe voluit Academiam: quanquam, an ea res ſucceſſerit, ignorare ſe ait Vairacius. At, florere eam nunc, disco ex *Epiſtolis Maianſii*, in quarum *libro quarto* vltima ſcriptorem habet *Franciscum Fineſtres*, *ſacrorum Canonum in Academia Ceruarienſi Profeſſorem*, qui & docet, a. 1731. fratrem ſuum, *Ioſephum*, eadem in Academia creatum eſſe Profeſſorem Iuris ciuilis.

IO. BAPTISTAE ALBERTI, Sauona Genuenſis, *Diſcorſo dell' origine delle Academie publiche & priuate.* Genuae 1639. 8.

Laudat hunc librum Ghilinus in *Theatro* (Italice ſcripto) *hominum literatorum T. II. p. 137.* Etſi vero titulus huic libro eſt generalis, facile tamen credo, in eo deſcribi ſolius ITALIAE Academias.

* Academiarum ITALIAE Profeſſores ſuo tempore viuentes commemorat ipſorumque ſcripta nominatim laudat GREGORIVS LETI in *Italia regnante P. III. & IV.* Geneuae 1676. *12.*

Minime vero huc loci pertinent ſcriptores de illis Italiae *Academiis*, quae non ſunt ſcholae vniuerſales publice conſtitutae, ſed ſocietates priuatorum hominum literariae: de quibus exponit Morhofius *Polyhiſt. liter. lib. I. cap 14.* Pleniſſimum harum Italiae Academiarum Catalogum, a I. G. Krauſio confectum, Lipſiae a. 1725. edidit Io. Iarkius, eumque, paucis additis, ſuo *Conſpectui Theſauri literarii Italiae*, a. 1730. edito, inſeruit Fabricius *p. 254. - 274.*

CAPVT TERTIVM

SCRIPTORES complectens SPECIALES,
hoc eſt,
de ſingulis Academiis.

ABELENSIS.

*D. HECT. GOTTFR. MASII Oratio de Academia Abelenſi, ad 2. *Sam. XX. 18. 19.* habita 1692. Hafniae.

Exhibetur in Tomo ſecundo *Diſſertationum* eius *Academicarum*, a. 1719. Hamburgi editarum, *p. 293. ſqq.* Scilicet defendit hic Theologus non ſolum, in vrbe Iſraëlitica *Abela* fuiſſe Academiam, ſed & eos inſectatur, qui materiam ioci fecerant *Academiam Abelenſem.* Contendit praeterea, in vrbe *Kiriath Sepher*, *Ioſuae XV. 15.* memorata, fuiſſe Academiam Cananaeorum. De *Abela* idem ſentit D. Io. Frid. Mayerus in Miſcellan-Predigten *p. 228.* ſequens ſcilicet Verſionem Vulgatam: *Qui interrogant, interrogent in Abela.* At in Vatabli verſione ita redduntur verba Hebraica: *Omnino primo loquendum erat cum Abela*, (id eſt, cum Abelenſibus,) *deque repetundis agendum, ſicque peragenda poſtulatio.* Quam interpretationem etiam Zeltnerus ſuam facit in annotationibus ad *Biblia Altorfina.* Nec eam reiicit, ſed ferri poſſe cenſet Calouius in *Bibliis illuſtratis.*

ABOENSIS.

MICH. WEXIONII, I. V. D. & Prof. Aboënſis, Deſcriptio ſolennis inaugurationis Academiae Aboënſis in Finlandia. 1648.

Academiae Aboënſis Natales. Aboae 1648. 4.

ANDR. ANTONII STIERNMANNI Aboa literata. Holmiae 1719. 4.

Totus libri titulus exstat in Latinis *Nouis literariis* Lipsiensibus a. 1720. *p. 49.*

* Professorum Aboënsium anni 1701. nomina recensentur in *Nouis literariis Maris Balthici 1701. p. 301.* Ibidem vsque ad *p. 314.* commemorantur aliquot annorum acta huius Academiae. Eodem in opere *a. 1699. p. 207. sq.* nomina Professorum illius anni exhibita sunt.

Academiae Aboënsis hodierni Praesides & Professores nominatim commemorantur in dem A. 1729. florirenden Schweden, quem librum Lubecae hoc ipso anno edidit ANDR. IOACH. HENELIVS: & inde in *Actis erud. Suppl. T. X. p. 329.* itemque in *Actis Academicis* anni 1735. *p. 313. sqq.*

* In prima Parte der Schwedischen Bibliotheck, a. 1728. edita, *p. 236.-240.* & in quarta, a. 1730. edita, *p. 366.-374.* describuntur Academiae Aboënsis acta nouissima.

* Professores Aboënses anni 1729. recensentur in *Bibliotheque Germanique T. XVIII. p. 199.*

* A. 1734. Iubilaeum saeculare suum celebrasse hanc Academiam, refertur in COLERI *Actis historico-ecclesiasticis T. I. p. 409.*

ALTORFINA.

* Introductio nouae Scholae Aldorfianae Noribergensium, exposita aliquot doctorum virorum Orationibus: adiectis insuper Legibus Scholasticis. Noribergae 1576. 8. *Alph. 1. pl. 8.*

Hic

Hic inprimis legenda *D. Chriſtoph. Herdeſiani* Oratio in huius Gymnaſii (ita enim etiam ſaepius appellatur in hoc Opere,) inauguratione habita a. 1575. d. 29. Iunii. Ex adiunctis Legibus apparet, hoc Gymnaſium habuiſſe Profeſſorem Theologiae, Rhetoricae, Hiſtoriae, Matheſeos, & Inſtitutionum Iuris. Mutatum fuit hoc Gymnaſium in Academiam a. 1623.

IO. THOMAE FREIGII Rectoratus. Norib. 1577. 4.

Hic exhibetur 1. Oratio *Phil. Camerarii* a. 1576. Altorfii habita, cum Senatus Noribergenſis nomine Freigium conſtitueret Scholae Rectorem; 2. *Freigii* Oratio Scholae regimen ſuſcipientis; 3. *Georgii Glaciani* Oratio, qua *Freigio* & *Io. Praetorio*, Mathematico, ſuo collegarumque nomine gratulatur; 4. Σκιαγραφία praelectionum Scholae Altorfinae.

* D. ANDREAE DINNERI Fama Altorfina. Norib. 1616. 4.

Recuſus hic libellus exſtat in D. Zeltneri *Hiſtoria Crypto-Socinismi Altorphini p. 857.-876.* & quidem Zeltnerianis illuſtratus annotationibus.

* Emblemata anniuerſaria Academiae Noribergenſis, quae eſt Altorfii, ſtudiorum inuentutis excitandorum cauſa inde ab A. C. 1577. vsque ad annum 1616. propoſita, Oratiunculis eruditis & neruoſis in Panegyricis Academicis explicata, atque in IV. Decadas diſtributa. Editio ſecunda. Nurenbergae 1617. 4. *Alph. 3. pl. 5.*

* Prima editio prodierat Norib. 1597. 4. continens ea tantum, quae in ſecunda editione reperiuntur inde a *p.* 72. vsque ad *p.* 293. Nam poſt *p.* 293. exhibentur Orationes a. 1598. & ſecutis annis habitae. Illas vero Orationes, quae ante *pag.* 72. in ſecunda editione conſpiciuntur, ſeorſim ediderat ſub Rectoratu ſuo Freigius inde ab a. 1577. vsque ad a. 1581. Caeterum ſecunda hac in editione ſingulis Oratiunculis praefixi ſunt ſinguli

guli aeri incisi nummi, a Rep. Noribergensi dati auctori cuiusque Orationis.

* ACHATII iunioris, Burggrauii & Baronis a Dhona, Rectoris in Academia Altorfina, Annuum curriculum, coeptum mense Iunio anni 1619. & terminatum eodem mense anni 1620. Altorfi 1620. 4. *pl.9. & dim.*

* Actus publicationis priuilegiorum Doctoralium in anniuersaria Panegyri DD. Petri & Pauli, quae incidit in 29. Iunii (a) a. 1623, celebratus. Accessit Renuntiatio Doctorum prima. Altorphi 1624. 4. *Alph. 1. pl. 20.*

Programmata & Orationes, quae hic exhibentur, nominatim laudantur in *Hist. bibliothecae Fabricianae T. VI. p. 72. sq.* Ab hoc opere diuersa est

* MICH. VIRDVNGI, Prof. Altorfini, Descriptio Actus Priuilegiorum a. 1623. publicatorum, quae annexa est eius *Orationibus* Noribergae 1642. 8. editis *p. 329. - 349.*

* MAGNI DANIELIS OMEISII, Ethices & Eloq. Prof. Gloria Academiae Altdorfinae, siue Orationum fasciculus, Vniuersitatis Noricae ortum, progressum, & cuncta memorabilia, omniumque Professorum vitas, mortes, ac scripta fideliter exhibens. Altdorfii 1683. 4. *Alph. 1. pl.* 2.

* IOANNES MAVRICIVS HOFFMANN, Phil. & Med. D. Anat. & Chem. Prof. Publ. Laboratorium nouum Chemicum apertum Medicinae cultoribus denunciat. Altdorfi 1683. 4. *pl.* 2.

Actus promulgationis priuilegiorum Vniuersitatis Altor-

(a) Hoc anno demum Academiam Altorfinam factam esse *Vniuersitatem*, scribit Procancellarius eius, *Georgius Remus*, in Epistola *Richterianis* adiuncta *p. 829.*

torfinae, indulgentiſſime confirmatorum & amplificatorum, 3. Cal. Iul. 1697. celebratus. Acceſſit Renuntiatio Doctorum Theologiae prima. Altorfii 1698. 4.

Recenſetur volumen hoc in *Actis erud. anni 1698. p. 543. ſqq.* & in *Hiſtoria bibliothecae Fabricianae T. VI. p. 73. ſq.*

* Profeſſores Altorfini anni 1703. recenſentur in eius anni *Nouis literariis Germaniae p. 430.*

* Lectori aſtrophilo --- nouum Obſeruatorium erectum apertumque denunciat --- IOH. HENR. MVLLER, Phyſ. & Mathem. Prof. publ. Altorfi 1713. *pl. 2. fol.*

* D. IO. IACOBI Baiers, Med. Prof. primarii, Beſchreibung der Nürnbergiſchen Univerſität-Stadt Altdorff, mit accuraten Kupfer-Stichen gezieret. Altdorff 1714. 4. *pl. 15.*

* Faſti Vniuerſitatis Altorfinae anni 1717. 1718. 1719. 1720. 1721. & 1722. editi Altorfii 1719. - 1723. 8. *Alph. 1. pl. 14. & dim.*

Sunt Faſciculi quinque, quorum auctor eſt IO. DAVID KOELERVS, Prof. tum Altorfinus.

* M. SIGISMVNDI IACOBI APINI Vitae & effigies Procancellariorum Academiae Altorfinae. Norimb. & Altorfii 1721. 4. *pl. 13.*

* D. GVSTAVI GEORGII ZELTNERI Vitae Theologorum Altorphinorum a condita Academia omnium, vna cum ſcriptorum recenſu. Norimb. & Altorphii 1722. 4. *Alph. 2. pl. 22.*

* Acta ſacrorum ſaecularium, quae a. d. 3. Cal. Quintil. 1723. celebrauit Academia Altorfina. Altorfii 1723. *fol. Alph. 3. pl. 22.*

Praemittitur *Breuis expositio de ortu & progressu Academiae Altorfinae*, cuius auctor totiusque huius voluminis editor est CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHWARZIVS, Prof. qui & editurum se pollicitus est *Vitas Professorum Iuris Acad. Altorfinae.*

* Icones eruditorum Academiae Altdorfinae, id est, omnium Procancellariorum & Professorum, qui a condita Academia Altdorfina in omnibus Facultatibus floruerunt, eandemque ad hunc vsque diem ornarunt, studio atque opera FRIDERICI ROTHSCHOLZII collectae & excusae. Norib. & Altdorfii 1723. *fol.*

Sunt CXXVII. tabulae aeneae. Recensetur hoc opus in *Actis erud. a. 1723. p. 363. sqq.* Imo ipse Rothscholzius in suo Beytrag zur gelehrten Historie, Noribergae 1725. 8. edito, *p. 4.-25.* non solum nomina eorum, quorum effigies hic repraesentantur, exhibuit, verum etiam ipsorum breuia elogia repetiit.

* D. IO. IAC. BAIERI Programma, a. 1726. praemissum Orationi suae de Horto Medico Altorfino. *pl. 1. fol.*

Recensetur in *Actis eruditis Franconiae T. I. p. 334. sqq.* vbi & *Carmen saeculare* eodem tempore in hortum istum a *Baiero* compositum editumque commemoratur. Constat *carmen* hoc vnico folio, *in fol.*

* D. IO. IAC. BAIERI Biographiae Professorum Medicinae, qui in Academia Altorfina vnquam vixerunt, singulorum aere expressis iconibus additis. Norimb. & Altorfii 1728. 4. *Alph. 1. pl. 3.*

* SIGISM. IAC. APINI Vitae Professorum Philosophiae, qui a condita Academia Altorfina ad hunc vsque diem claruerunt. Adiectae sunt singulorum effigies. Norimb. & Altorfii 1728. 4. *Alph. 2.*

Recen-

Recenſetur hic liber & paſſim corrigitur in *Actis eruditis Franconiae T. II. p. 233. ſqq.*

* GVSTAVI GEORGII ZELTNERI Hiſtoria Crypto-Socinismi, Altorfinae quondam Academiae infeſti, arcana, ex documentis maximam partem MSS. adornata. Lipſiae 1729. 4. *Alph. 6. pl. 19. non connumeratis plagulis ſubiectarum* Martini Ruari Epiſtolarum.

* Ernſt Friedrich Zobels Jetztlebendes Altdorff. 1729. 12. *pl.* 2.

* Eiusdem Jetztlebendes Altdorff, nebſt dem Verzeichniß derer in den abgewichenen Jahren allhier gehaltenen Diſputationum. Altdorff 1731. 12. *pl.* 3. *& dim.*

Amoenitates Altorfinae, ſtudio D. IO. MART. TRECHSELII, dicti Großkopf. Norib. *fol.*

WVRFBAINII Hiſtoria Academiae Altorfinae MSta.

Oppido imperfectam eſſe hanc opellam, teſtis eſt Zeltnerus *Hiſt. Crypto-Socin. Altorf. p. 167.*

D. IO. BALTH. BERNHOLDI Παλαικώμη ἑλληνίζουσα, ſiue Diſſertatio de Profeſſoribus Altorfinis illis, qui Graece doctiſſimi fuerunt. Altorfii 1732. 4. *pl. 1.*

* Fränckiſche Acta erudita & curioſa, die Geſchichte der Gelehrten in Francken in ſich haltend. Erſte Sammlung. Nürnberg 1726. 8. ----- Vier und zwanzigſte Sammlung. Nürnberg 1732. 8. *Alph. 5. pl. 20.*

Conſtat hoc Opus duobus voluminibus, quorum vtrumque habet duodecim fasciculos: in eoque potiſſimum deſcribitur Academiae Altorfinae hiſtoria recentiſſima, auctore ſimul & adiutore Theologo ſummo, D. ZELTNERO. Quae hic non recenſitae ſunt Profeſſorum Altorfinorum Diſputatio-

 nes

nes illo temporis tractu habitae, earum tituli exhibentur in exitu vtriusque voluminis.

* Catalogus Professorum & lectionum Acad. Altorfinae exhibetur in *Actis Academicis* anni 1734. *p. 216. sqq.*

* Nomina Professorum Altorfinorum anni 1736. exhibet GABR. WILH. GOETTENIVS in Jetztlebenden gelehrten Europa *T. II. p. 771. sq.* quo eodem in Tomo plerorumque vitas exhibet vna cum librorum catalogis.

ANDEGAVENSIS.

De statu Andegauensis Academiae Oratio panegyrica PAPIRII MASSONI, Rectoris, dicta a. 1571. Parisiis 1571. 8.

Edit de creation de l' Vniuersité d' Angers, & de ses priuileges. 1630. 4.

* De eadem vid. ABR. GOELNIZII Itinerarium Gallico-Belgicum *p. 275.*

Collectio eorum, quae a. 1677. (*ob philosophiam Cartesianam*) gesta sunt in Academia Andegauensi.

AQVENSIS.

Catalogus doctorum almae Vniuersitatis Aquensis. Aquis Sextiis (*Aix*) 1645. 4.

ARAVSIONENSIS.

* De ea vid. ABR. GOELNIZII Itinerarium Gallico-Belgicum *p. 467. sq.*

Testa-

Teſtatur, ſe Studioſos ibi reperiſſe nullos, Rectoremque cum Scriba & Pedello Academicum Corpus repraeſentare, atque hinc ioco dici ſolere: *Tres faciunt Collegium.*

ARGENTORATENSIS.

* Actus tres Academiae Reip. Argentoratenſis, I. Claſſicorum, II. Baccalaureorum, III. Magiſtrorum: ex quibus & Promotionum & Legum & Disciplinae & Lectionum cum Publicarum, tum Claſſicarum, ratio vere cognoſci poteſt. Omnes habiti ſub Decano, M. MELCH. IVNIO, & nunc partim ab eodem, partim a M. MICH. BOSCHIO, in lucem editi. Argent. 1578. 4. *Alph. 1. pl. 5. & dim.*

Iubilaeum Academiae Argentoratenſis, ſiue Acta ſecularis gaudii in memoriam reſtitutae per Dei gratiam & Lutheri miniſterium Euangelii lucis. Argentor. 1617. 4.

Continentur hoc Opere *Orationes* & *Diſputationes* illo tempore habitae.

Promulgatio Academicorum priuilegiorum, quibus FERDINANDVS II. Rom. Imp. Academiam Argentoratenſem liberaliſſime donauit. Argent. 1623. 4.

Promulgatio Academicorum Priuilegiorum vlteriorum, quibus FERDINANDVS II. Rom. Imp. Academiam ſiue Vniuerſitatem Argentoratenſem liberaliſſime donauit, celebrata Argentorati d. XIV. Aug. anni 1621. Nunc denuo ob defectum exemplarium recuſa Argentorati 1629. 4.

Habet hoc volumen 278. paginas, continetque 1. *Literas, quibus S. Caeſ. Maieſtati gratias agit Academia Argento-*

 raten-

ratensis pro exaltatione sui & concesso priuilegio vlteriore, XI. Cal. Maii 1621. 2. Programma Vniuersitatis de electione Decanorum. & futura collatione honorum. 3. Magistratus Argentoratensis Edictum inuitatorium. 5. Descriptio actus promulgationis. 8. Priuilegium Imp. Maximiliani II. 10. Priuilegium Imp. Ferdinandi II. 26. Appendix de insinuatione Priuilegiorum in Augustissimo Camerae Imperialis Iudicio. Caetera scripta sunt Conciones sacrae duae, Orationes Rectoris & Professorum, & Programmata promotoria quatuor Facultatum.

De restauratione & reformatione Gymnasii Argentoratensis, auctoritate & decreto Senatus Argentinensis facta, Concilii Academici Programma, publicatum 1634. Argent. 1634. 4. *pl.* 5.

Academia Argentoratensium, vt erat a. 1629, ἀναγραμματικῶς descripta a GEORGIO THEODORO HOFFMANNO. Argent. 1629. 4.

* D. IO. SCHMIDII (*Theol. Prof.*) Fünf Predigten von Geistlichen Schul-Brunnen, auf des Straßburgischen Gymnasii Jubel-Feste A. 1638. gehalten. Straßb. 1641. 4. *pagg.* 330.

Annexum est 1. *D. Melch. Sebizii*, Academiae tum Rectoris, Programma ad Iubilaei celebrationem inuitatorium, in quo tres Scholae Argentinensis status ab a. 1538. vsque ad a. 1638. breuiter recensentur. Per secundum & tertium statum intelligit statum Academiae a. 1566. conditae, & a. 1621. plenissimam Academiae formam nactae. Hic etiam nomina exhibet omnium Professorum. 2. *Io. Henr. Boecleri* Oratio saecularis, in qua ortus scholae Argentoratensis & incrementa, a Gymnasio ad Academiam, ab hac ad plenissima Vniuersitatis priuilegia, considerantur. 3. *Samuelis Gloneri* Carmen saeculare, quo Argentoratensis Gymnasii fundatio & diuersae aetates cum eiusdem reformatione recensentur. 4. *D. Melch. Sebizii*

Sebizii Appendix chronologica, in qua primum Cancellarii & Scholarchae, deinde Profeſſores & Doctores publici, vltimo Praeceptores claſſici, ſubiuncta breui cuiusque vitae curriculi διαγραφῇ commemorantur.

* Nomina Profeſſorum Argentoratenſium anni 1703. exhibentur in *Nouis literariis Germaniae 1703. p. 108. ſq.* Ibidem *p. 108.* docetur, Academiam Molshemienſem a. 1702. translatam eſſe Argentoratum in Collegium Societatis Ieſu, & ibi conſtare tribus Facultatibus, videlicet Profeſſoribus Theologiae, Philoſophiae, & Linguarum. Ibidem *p. 325.* recenſentur huius Academiae Ieſuiticae Profeſſores.

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programma, in quo Norimbergenſes quosdam de Academia Argentoratenſi bene meritos commemorat. Altorfii 1720. 4. *pl. 1.*

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Argentoratenſis anni 1734. exhibetur in eius anni *Actis Academicis p. 181. ſqq.*

* Nomina Profeſſorum Argentoratenſium anni 1737. recenſentur in GOETTENII Jetztlebendem gelehrten Europa *T. III. p. 210. ſq.*

AVENIONENSIS.

Auenionenſis Studii generalis (*hoc eſt, Academiae,*) Erectio a BONIFACIO VIII. facta a. 1303.

Exſtat in *Bullario magno Romano T. I. p. 161.*

* De hac vid. ABR. GOELNIZII Itinerarium Belgico-Gallicum *p. 489.*

Hiſto-

Hiſtoria Rectorum Collegii Auenionenſis. Lugduni 1688. *fol.*

AVRELIANENSIS.

Arrêt de la Cour pour la reformation & rétabliſſement de l' Vniuerſité d' Orleans du 25. Iuin 1626. Paris 1626. 8.

FRANCISCI LE MAIRE liber de Academia Aurelianenſi.

Annexus eſt eius *Hiſtoire de la Ville d' Orleans*, Aureliani 1648. *fol.* editae.

SYMPHORIANI GVYON Hiſtoire de l' Vniverſité d' Orleans.

Adiecta eſt eius ibidem 1650. *fol.* editae *Hiſtoire de l' Egliſe & de la Ville d' Orleans.*

* De fundatione huius Academiae agit BVLAEVS in *Hiſtoriae Vniuerſitatis Pariſienſis* Tomo quarto *p. 101. - 107.*

* ABR. GOELNIZII Vlyſſes Belgicus. Lugd. Bat. 1631. 12. *Alph. 1. pl. 7.*

Liber hic in frontibus foliorum inſcriptus eſt *Itinerarium Belgico - Gallicum.* Hic *p. 225. - 252.* breuiter ante deſcripto Academiae ſtatu exhibentur *Nationis Germanicae* in hac Academia (a) *priuilegia*, *officia*, *& iuramenta.*

Syno-

(a) Hac in Academia cur multi etiam exteri fiant *Doctores Iuris*, id cauſae eſt, quod inſigne Doctorale conſtat hic *ad ſummum viginti quatuor coronatis*, hoc eſt, quadraginta circiter thaleris noſtris. Teſtis huius rei eſt *Andreas Dinnerus*, ICtus Altorfinus, in Epiſtola *Richterianis* annexa *p. 676.*

Synopſis Statutorum, Priuilegiorum, ac nouellarum Conſtitutionum Nationis Germanicae in Academia Aurelianenſi, deſumta tam ex vetuſtiſſimo codice, & duobus Statutorum libris poſterioribus, quam ex codice nouellarum Conſtitutionum.

Inſerta eſt a *D. Io. Georgio Eſtorio* decimae Parti ſuorum Kleinen Schrifften, editae *Giſſae* 1737. 8.

BAMBERGENSIS.

Domus Sapientiae, hoc eſt, Academia Ottoniana Bambergae fundata. Bambergae 1649. 4.

BASILEENSIS.

THEODOSII TREBELLIONIS Oratio pro Inſtaurata Academia Baſilienſi. Baſileae apud Frobenium 1531.

De ortu Academiae Baſileenſis agit CHRISTIANVS VRSTISIVS *Chron. Baſil. lib. VI. cap. 2.*

LVCAE GERNLERI Oratio ſaecularis de ortu & progreſſu Academiae Baſileenſis. Baſil. 1660. 4.

IACOBI RVDINI Theatrum Academiae Baſileenſis. Baſil. 1679. 4.

In IO. IAC. SCHEVCHZERI *Nouis literariis Helveticis*, ab a. 1702. ad a. 1714. editis, viri docti Baſileenſes recentioris aeui deſcribuntur.

*IO. IACOBVS HOTTINGERVS (*Theologus Tigurinus,*) agit in Helvetiſcher Kirchen-Geſchichte libro quinto *p.* 440. *ſq.* de ortu Academiae Baſileenſis, item THEODORVS ZVINGERVS in *Methodo apodemica p.* 161. *ſqq.*

* Praeſens (anni 1718.) ſtatus Academiae Baſilienſis e-

iusque doctorum: in quo eorum patria, natales, munera, ac scripta recensentur.

Exhibetur in *Biblioth. hist. theol. Bremensi* T. II. p. 309.-339.

* Nomina Professorum Basileensium anni 1725. repraesentantur in *Bibliotheque Germanique* T. X. p. 229. sq.

* Ad AEGIDII TSCHVDII *Chronicon Helueticum* D. *Io. Rudolphus Iselius*, & quidem in Parte secunda Basileae 1736. *fol.* emissa, ad *lib. XIV. p. 633 sqq.* exhibet PII II. Bullam, qua concessit ciuitati Basiliensi ius condendae Vniversitatis; deinde Edictum Senatus, quo promulgantur a. 1460. priuilegia nouae Academiae; postremo primi Rectoris Academiae Basileensis Edictum, leges continens Studiosis seruandas.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Basileensis anni 1735. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. p. 24. sqq.

* In Bibliotheca Ducali Gothana sunt duo grandia volumina, *fol.* quibus continentur omnia Programmata in Academia Basileensi edita ab anno 1532. vsque ad annum 1604.

BEACIENSIS.

ANTONII CALDERONII Las Fiestas, que la insigne Vniuersidad de Baeza (a) celebrò a la immaculata concepcion de la Virgen Nuestra Sennora, con la charta, que la dicha Vniuersidad escriuiò a Su Santidad, y el singular Estatuto hecho en fauor de la Concepcion. Beaciae 1618. 4.

BERNENSIS.

* Illustris Gymnasii Bernensis eiusque Bibliothecae moder-

(a) Est vrbs Andalusiae.

moderna (*anni 1722.*) facies exhibetur in *Bibliotheca Bremensi T. VI. p. 716.-735.*

Ibidem *p.* 722. scribitur, *Gymnasium Bernense in iustae Academiae mensuram exsurrexisse: doceri enim ibi iam publice superiores Facultates omnes cum Artibus: quamuis Gradus hic non conferantur.*

De eodem Gymnasio agit ABR. RVCHATVS in *Historia Reformationis Helueticae*, Gallica lingua scripta, & Geneuae 1727. edita, *T. II. p. 241. sqq.*

BITVRICENSIS.

* De ortu huius Academiae agit BVLAEVS in *Historiae Vniuersitatis Parisiensis* Tomo quinto *p. 661. 674. sq. 689.* & *715.*

* Vid. de hac Academia ABR. GOELNIZII Itinerarium Gallico-Belgicum *p. 305. sq.*

BONONIENSIS.

Academiae Bononiensis priuilegia, a PIO IV. a. 1536. concessa, exstant in *Bullarii magni Romani* Tomo secundo *p. 74.* Ac *T. I. p. 214.* exhibetur Innocentii VI. a. 1360. data Ampliatio Studii generalis ciuitatis Bononiae ad Theologicam Facultatem.

*Bononiensis Collegii Hispanorum Descriptio, auctore IO. GENESIO SEPVLVEDA.

Exstat in eius *Operibus*, Coloniae 1602. 4. editis, *p. 63. sqq.*

Hanc Historiam in Italicum sermonem esse conuersam a *Francisco Stephano*, & in Hispanicum ab *Antonio Vela*, docet

Nic. Antonius *Biblioth. Hisp. T. I. p. 535.* e quo & discimus, editam esse priorem Versionem Murciae 1590. posteriorem Toleti 1566. 8. Eiusdem argumenti est liber IOANNIS MALO DE BRIONES *Descripcion del Collegio de S. Clemente de los Espannoles de Bolonia:* quod scriptum Bononiae 1630. 4. editum memorat idem Antonius eodem in Tomo *p. 559.* qui & *T. II. p. 86. a* consulendus, vt appareat, idem hoc esse Collegium, quod Sepulueda descripserat.

* NICOLAI BVRTII, Parmensis, Bononia illustrata. Bononiae 1494. 4.

* EIVSDEM Elogium Bononiae. Bonon. 1498. 4.

Vtrumque opus laudat *Ianus Nicius Erythraeus Pinacothecae lib. I. p. 194.* Prius nuper recudi curauit Theologus Coburgensis, *Meuschenius*, in Tomo II. *Vitarum summorum virorum* Coburgi 1736. 4. *p. 157.-187.* Hic docti viri, qui Bononiam illustrarunt, paucis commemorantur, *p. 161.-172.* Caetera huius libri non pertinent ad Academiae Bononiensis historiam. Posterius quoque opusculum, elegiacis contextum versibus, *tertio* suo *Tomo Vitarum* nuper (*1738.*) inseruit *Meuschenius p. 76.-98.* Ac ibi *p. 88.-92.* paucis celebratos videas clariores Academiae Bononiensis Professores, & prius quidem alienigenas, tum & indigenas. Alios de doctis Bononiae viris scriptores commemorat Fabricius in *Conspectu Thesauri literarii Italiae p. 287.*

* CAROLI SIGONII de rebus Bononiensibus libri VI. Francof. 1605. *fol.*

Hic etiam Academiae Bononiensis historia exponitur, sed sparsim, sed perfunctorie. Nuper hoc opus recusum est in tertio Tomo *Operum Sigonii* Mediolani 1733. & quidem cum Notis *Alex. Macchiauelli.*

IO. NICOLAI PASCHALIS ALIDOSII Doctores Legum Bononienses. Bononiae 1620. 4.

Scriptus eſt hic liber lingua Italica: qua lingua idem duobus voluminibus edidit Bononiae 1623. *I Dottori Bologneſi di Filoſofia, Medicina, Theologia, di legge.*

* Bononiae florentes recentiori aetate viros doctos eorumque ſcripta commemorat GREGORIVS LETI in *Italia regnante P. III. lib. II. p. 81.-190.*

ANGELII GAGGII Collegii Bononienſis Doctorum origo & dotes. Bononiae 1710. 4.

Notizie degli ſcrittori Bologneſi de PELLEGRINO ANTONIO ORLANDI. Bononiae 1714. 4.

Ibidem a. 1728. prodiit ſecunda editio auctior.

* Deſcriptio inclytae & feliciſſimae ciuitatis Bononiae antiquae & hodiernae, vbi ipſius origo, conditores, -- ſtudia & Academia, Viri illuſtres ac eruditi, -- variaque rerum notabiliorum monumenta ex grauiſſimis & probatiſſimis auctoribus collecta exhibentur, recenti ſtudio compoſita per GEORGIVM QVAPNERVM.

* Exſtat in Burmanniano *Theſauro Italiae T. VII. P. I.*

Auguſtalis Theodoſiani Diplomatis Apologia pro Archigymnaſio. Opus ALEXANDRI MACCHIAVELLI, in Archigymnaſio Bononienſi Legum Interpretis. Bononiae 1726. 4. *pagg. 141.*

VOGLII, Medici Bononienſis, Tauole Chronologiche degl' Uomini illuſtri per lettere dall' Vniuerſità di Bologna. 1728. 4.

BVRDIGALENSIS.

De Academia Burdigalenſi agit IODOCVS SINCERVS

RVS in *Descriptione Burdigalae*, suo *Itinerario Galliae*, Argent. 1617. 12. edito, annexa, *Cap. X. p.* 771.-774.

Testatur *Georgius Richterus* in *Epistolis* suis, Noribergae 1662. editis, *p. 90.* latere sub *Iodoci Sinceri* nomine *Iustum Zinzerlinum.* Verum eius nomen est *Zinzerlingius.* Edidit hic Lugduni 1610. *Criticorum iuuenilium Promulsidem*, recusam in Schminckiano *Syntagmate Critico* Marburgi 1717. Factus dein *Zinzerlingius* est I. V. Doctor, Consiliarius Regis Sueciae & Comitis Oldenburgici, ac Assessor tribunalis prouincialis Rostochiensis. Vid. *Wittenii Memoriae Theologorum p.* 1352. & *Werdenhagenii* Dedicatio *ψυχολογίας Boehmianae.*

CADOMENSIS.

* Erectio Academiae Cadomensis ab EVGENIO Papa IV. a. 1437. exstat in Dacherii *Spicilegio T. VI. p.* 495. & in eius noua editione *T. III. p.* 762. Ibidem *p.* 499. & in editione noua *p.* 792. exhibetur CAROLI VI. Regis Francorum, Confirmatio Academiae Cadomensis, data a. 1452.

* De ortu huius Academiae agit BVLAEVS in *Historia Vniuersitatis Parisiensis T. V. p.* 846. *sqq.*

Historiam huius Academiae persequitur PETRVS DAN. HVETIVS in *Originibus vrbis Cadomensis* (*Les origines de la ville de Caen*,) Rothomagi 1702. 8. editis, *Cap. XVIII.*

CAESARAVGVSTANA.

IO. GASPARIS ORIGAS, in Caesaraugustano Gymnasio Prof. Iuris, Patrocinium pro inclyto ac potentissimo Caesaraugustano Gymnasio aduersus contradictiones Aca-

Academiae Oscensis, Propugnaculumque Oscensis scholae. Caesaraugustae 1586. 4.

Memorat hunc librum Nic. Antonius *Bibl. Hisp. T. I. p. 532.* haec adscribens: *Oscensi antiquissimae scholae praeiudicium ne fieret, erecta Caesaraugustae alia, Oscenses sollicitabat cura, in hisque* Martinum Monter a Cueua, *eius vrbis ciuem, Gymnasiique Professorem primarium, huius partis propugnatorem.* Vid. infra OSCENSIS.

DIDACVS MVRILLVS in *Historia vrbis Caesaraugustanae*, Barcinone 1616. *fol.* sermone Hispanico edita, Catalogum exhibet Caesaraugustanorum scriptis clarorum.

Non dubito, ibi etiam agi de Academia Caesaraugustana. Vid. Nic. Antonius *Biblioth. Hisp. T. I. p. 232.* & *T. II. p. 1.*

CANTABRIGIENSIS.

De antiquitate Cantabrigiensis Academiae libri duo, Londinensi autore. Londini 1568 8.

Nomen auctoris huius est IOANNES CAIVS: quod praefixum est editioni huius libri alteri, quae Londini item prodiit 1574. 4. *Wakius* in *Rege Platonico* (de quo libro infra ago inter scripta Oxoniensis Academiae historiam illustrantia,) *p. 107.* docet, Caium hunc fuisse religionis Pontificiae, ac mera malitia contendisse, Cantabrigiensem Academiam esse Oxoniensi antiquiorem.

GVILIELMI SMITHI, Rectoris Metesombiensis in prouincia Eboracensi, Annales Academiae Cantabrigiensis.

EDMVNDI MVLLERI Account &c. hoc est Relatio de Academia Cantabrigiensi & eius Collegiis. *Anglice.* Londini 1717. 8.

A full and impartiall Account of all proceedings in the Vniuersity of Cambridge aginst *D. Bentley*, by a membre of the Vniuersity. Londini 1719. 8.

The History and Antiquities of the Vniuersity of Cambridge. II. Parts. By NICH. CANTALVPE & RICH. PARCKER. Londini 1721. 8. *pl. 18.*

* Iam a. 1715. *Thomas Hearnius* in Parte priori *Appendicis* ad *Ioannis Lelandi Collectanea p. 185.-257.* edidit RICHARDI PARKERI Σκέλετον *Cantabrigiense*, *siue Collegiorum delineationem cum suis fundatoribus & benefactoribus*, a. 1622. conscriptam, sed adhuc ineditam: cui & nomina sunt adiecta Episcoporum, qui ex hac Academia intra centum annos prodierunt. Idem *Hearnius* Oxonii 1719. edidit e MS. NICOLAI CATALVPI *Historiolam de antiquitate & origine Vniuersitatis Cantabrigiensis*, adiunxitque *Thomae Sprotti Chronicis.* Duos hos libros quidam, qui nomen suum haud indicauit, Anglicam traduxit in linguam: adiecitque e *Rymeri Actis publicis* aliquot diplomata Collegiis huius Academiae concessa, itemque e Cottonianae bibliothecae codice MS. *Catalogum Rectorum & Cancellariorum* eius ab anno 1289. ad annum 1603; hinc *Simonis d'Ewes* Orationem in Parlamento habitam, contendentis, Cantabrigiensem Academiam Oxoniensi esse antiquiorem; denique e MS. *Relationem de tumultu incolarum vrbis Cantabrigiae aduersus Academiam.* Caeterum ille & *Cantalupi* & *Parkeri* liber recensetur in *Actis eruditorum* anni 1721. *p. 434. sqq.*

* Nomina Professorum Academiae Cantabrigiensis anni 1723. exhibentur in *Bibliotheca Bremensi T. VII. p. 366.*

* Relatio de Academia Neo-Cantabrigiensi in America.

Exhibetur a *Wittenio* in *Diarii biographici* Tomi secundi pagina vltima. De eadem Academia vid. *Andr. Caroli Memorabilium Ecclesiasticorum saeculi XVII. lib. IV. cap. 52. p. 907.*

COLO-

COLONIENSIS.

* AEGIDIVS GELENIVS in *libro primo de magnitudine Coloniae Agrippinensis*, (edit. Colon. 1645. 4.) *p. 9. - 12.* agit de Academia Coloniensi, etiam Vrbani VI. Papae literas confirmatorias exhibens.

Ibidem *p. 110.* pollicetur singularem librum *de Academiae huius pleno statu, priuilegiis, &c.* Verum non stetit promisso.

COMPLVTENSIS.

*MICHAELIS DE LA CERDA (*Iesuitae Hispani,*) Descriptio Academiae Complutensis.

Exstat in *Andr. Schotti Bibliotheca Hispaniae T. I. p. 52. - 62.*

Complutensis Academiae Iura, Priuilegia & immunitates.

Exhibentur in *Bullario magno Romano T. V. p. 297. sqq.*

IOANNES DE VERGARA, Professor Complutensis, (a. 1557. mortuus,) in Epistola quadam refert, *se iustum conscripsisse volumen, in quo instituta Academiae Complutensis & tradendarum disciplinarum morem, praeposita vniuersi aedificii descriptione, latissime sit prosecutus.*

Verum non exiit hoc opus opera typographica in lucem, immo periisse videtur: id quod colligo e relatione Nicolai Antonii *Bibl. Hisp. T. I. p. 608.*

ALPHONSI GARSIAE MATAMORI Oratio, habita in Doctoratu Theologiae Didaci Sobannos, Academiae Compluti Moderatoris, Compluti 1558. 8.

ALPHONSI FERNANDEZ Paranymphus, seu Publica Legatio, habita in Theatro Complutensis Academiae in Doctoratu nouem virorum clarissimorum. Compluti 1559. 8.

Memoratur a Nic. Antonio in *Biblioth. Hisp. T. I. p. 17.* qui addit, inter nouem illos Doctores nouos fuisse VILLALPANDVM.

ALVARI GOMEZ DE CASTRO Recebimiento, que la Vniuersidad de Alcala (a) hizo a los Reies, quando venieron de Guadalaxara. Compluti 1560. 4.

IDEM de Complutensi Academia agit in opere *de rebus gestis Francisci Ximenii*, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani, Compluti primum edito 1569. *fol.* dein Francofurti 1581. & ibidem 1603. in *Hispania illustrata.*

ALPHONSI SANCHEZ libellus pro iuramento Complutensis Academiae circa defensionem immaculatae conceptionis Mariae Deiparae. Compluti 1617. 4.

LVCAS DE MONTOIA (qui adhuc vixit a. 1626.) scripsit Hispanice *Historiam Card. Francisci Ximenii. In hac etiam Complutensis literariae reip. monumenta, Collegia, leges, claros viros, & innumera eius magnalia recenset.*

Verba haec sunt Auberti Miraei in libro *de scriptoribus saec. XVI. & XVII. cap. 230. p. 320.* editionis Fabricianae. Sed non fuisse editum hoc opus; & adhuc in monasterio quodam Toletano seruari, docet Nic. Antonius *Bibl. Hisp. T. II. p. 13.*

FRANCISCI HENRIQVEZ DE VILLACORTA Laureae Doctoralis Medicae Complutensis Tomi duo, quibus

(a) Hoc est vrbis Compluti nomen Hispanicum.

bus continentur ſumme neceſſaria pro laurea Doctorali Academiae Complutenſis conſequenda. Lugduni 1670. *fol.*

Memorat hoc opus Nicolaus Antonius *Biblioth. Hiſp.* T. II. p. 674.

CONIMBRICENSIS.

ANDREAE RESENDII, Oratio, habita Conimbricae in Gymnaſio Regio, anniuerſario dedicationis eius die, IV. Kal. Iulii 1551.

Recuſa eſt haec Oratio in *Deliciis Luſitano-Hiſpanicis* Coloniae 1613. 8.

In PETRI IO. PERPINIANI *Orationum* prima, a. 1555. habita Conimbricae, agitur de hac Academia.

FRANCISCI LEITAO FERREIRA Notitia Chronologica Vniuerſitatis Conimbricenſis. Pars I. ab a. 1287. vsque ad a. 1537. Vlyſſipone 1629. *fol. Alph. 7. pl. 5.*

Liber hic Luſitanica lingua exaratus recenſetur in *Actis eruditorum* anni 1733. p. 481. (471.) ſqq. vbi & docemur, in exitu huius operis reperiri *Catalogum Profeſſorum anni 1729.* Cur hanc Academiam Vlyſſipone Conimbricam tranſtulerit Rex *Ioannes III.* e *Franciſco Bernhardo de Brito* docetur in *Actis eruditorum 1727. p. 322.*

CRACOVIENSIS.

SIMONIS STARAVOLSCII Laudatio Academiae Cracouienſis. Cracouiae 1639. *fol.*

De hac Academia agit CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS *lib. II.* de Republica Polonica cap. 2.

* HENRICI DE HVYSSEN (*Czareae Mai. Consiliarii Status & bellici,*) Status praesens Academiae Cracouiensis. 1709.

Insertus est *Nouis literariis Germaniae*, Hamburgi 1709. 4. editis, *p. 462.-466.*

CREMONENSIS.

* SIGISMVNDI Imp. Priuilegium a. 1413. datum Cremonensibus condendi Studium Generale exstat in ANTONII CAMPI, Cremonensis, *Cremona fedelissima Citta*, Cremonae 1585. *fol. p. 81. sq.*

Successu caruisse consilium hoc, nemo ignorat.

CVLMENSIS.

Priuilegium fundationis Academiae Culmensis, concessum a. 1387. a Papa Vrbano VI.

Exhibetur in Parte II. des gelehrten Preussens *fascic. VI. n. 4.* vbi & indicatur, iamdudum exspirasse illam Academiam.

DILLINGENSIS.

* Ratio atque Institutio Studiorum Societatis Iesu. Dilingae 1600. 8.

Constat hic liber excepta Praefatione paginis 206. Continentur eo leges Academiae Dillinganae, Patrum Soc. Iesu regimini a conditore suo, OTTONE TRVCHSESIO, Cardinale & Episcopo Augustano, subiectae. E. g. *p. 35. sqq.* exhibentur *Regulae communes Professoribus superiorum Facultatum*; p. 43. sqq. *Regulae Professoris S. Scripturae*; p. 51. sqq. *Regu-*

lae Professoris Philosophiae moralis. Caeterum cum nulla hic fiat Professorum Iuris ac Medicinae mentio, inde apparere puto, imperfectam hanc esse Academiam, duasque duntaxat habere Facultates, Theologicam & Philosophicam: qualis etiam Academia est Paderbornensis.

DIVONENSIS CADVRCORVM.

Instructions & Memoires pour l' Vniuersité de Cahors. 1600. 8.

DORPATENSIS.

Relation von der Inauguration der Universität zu Dörpt, 1632. 4.

Dorpatum literatum. 1698.

Huius auctorem esse DAN. EBERHARDVM, Sacerdotem Dorpatensem, docet Krausius im Ausführlichen Bericht von neuen Büchern *p. 423.*

* Professores Academiae Dorpatensis anni 1698. recensentur in *Nouis literariis Maris Balthici 1698. p. 55. sq.* Ibid. *a. 1699. p. 338.* commemoratur OLAI HERMELINI, qui ista in Academia Professor fuerat, *Historia Academiae Dorpatensis* inedita.

DVACENSIS.

* Bulla PII V. Pontificis, qua huius Academiae institutio a. 1559. comprobatur, exhibetur ab *Aub. Miraeo* in *Diplomatum Belgicorum lib. I. cap. 116. p. 238.*

Traité de l' établissement de l' Vniuersité de Doüay, par IEROME LE FRANC, President du Conseil d' Artois.

Hunc librum nondum esse editum, docet Le Long *Biblioth. Hist. de France p. 869.*

DVISBVRGENSIS.

* Nomina Professorum Duisburgensium anni 1703. exhibentur in *Nouis literariis Germaniae 1704. p. 114.*

* FRIDERICVS LVCAE inaugurationem huius Academiae describit in Europäischen Helicon *P. IV. Cap. VI. Sect. XXIII. p. 595. sqq.* vbi & Priuilegia ei tributa exhibet.

* Oratio saecularis in memoriam Augustanae Confessionis nomine Academiae publico a. 1730. d. 26. Iunii habita a IO. HILDEBR. WITHOFIO, Hist. Eloq. & Gr. ling. Prof. Duisburgi *fol. pl. 21.*

Adiectae sunt *Notae*, in quibus & respondet ad scriptum Pontificii cuiuspiam, irridentis hanc Academiam, quod in societatem veniret Iubilaei Lutherani.

* In D. DAN. GERDESII, Theologi tum Duisburgensis, nunc Groningani, *Miscellaneis Duisburgensibus*, quae Amstelodami 1733. 1734. & 1735. 8. sunt edita, *T. I. p. 121. - 143.* exhibetur *Descriptio status praesentis Academiae Duisburgensis*; & *p. 538. - 542. Series Professorum, qui in Acad. Duisb. vsque ad haec nostra docuerunt tempora*; & *p. 542. - 556. Elucidationes circa vitam & scripta Theologorum Duisburgensium.*

* Catalogus Professorum ac Lectionum Academiae Duisburgensis anni 1733. exstat in *Actis Academicis* eius anni *p. 374. sqq.*

* Nomina hodiernorum Professorum Duisburgensium exhibet GOETTENIVS in Jetztlebenden gelehrten Europa *T. II. p. 772. sq.*

EBO-

EBORENSIS.

ANTONII VASCONZELOS, (*Iesuitae*,) Academiae Eborensis Rectoris, Oratio, qua Philippum III. Regem Catholicum, salutauit Eborensis Academia. Antuerpiae 1621. 4.

ERFVRTENSIS.

De laudibus Gymnasii literarii apud Erphordiam. 1507. 4.

SVFFRIDI PETRI (*Prof. Erf. postea Louan. & Colon.*) Oratio pro reformatione Vniuersitatis Erphordiensis. Erphordiae 1566. 8.

ANT. MOCKERI Opusculum continens Orationes & Programmata biennis Rectoratus in Academia Erphordiana. Erf. 1591. 8. *Alph. 1. pl. 8.*

M. BARTHOLOMAEI LOENEYSEN (*Prof. Erf. ac tum Rectoris Magnifici,*) Series Magnificorum Academiae Erfurti Rectorum, continua successione ab A. 1392. ad A. 1614. fasces Academicos gerentium, consensu Secreti Concilii ex tribus Vniuersitatis Matriculis collecta. Erfurti 1614. 4. *Alph. 1. pl. 2.*

D. GEORGII GROSHAINII (*Prof. Theol.*) Paradisus Geranus Academicus, siue Oratio, in qua Academia Erfurtensis cum primaeuo, qui in Eden fuit, paradiso comparatur. Erfurti 1633. 4.

D. IO. REHEFELDII Dubia de primis Erfordiensis Academiae natalitiis, indubia vero de iisdem documenta, cum nonnullis tum Rectorum, tum Doctorum ibi creatorum Indiculis.

Anne-

Annexus eſt hic libellus eius *Trophaeo Hermetico-Hippocratico*. Erfurti 1634. 4. edito, *p. 185. - 226.*

M. IOANNIS Vollbracht Votum deuotum, gratulans vrbis Erphurdianae Magiſterium Academicum, Catalogo nominum Rectorum ſalutatum. Erfurti 1650. 4.

IO. HVNDORPHII Encomium Erfurtinum, Beſchreibung aller denckwürdigen Dinge der Stadt Erfurt, mit einem Catalogo Rectorum & Profeſſorum Gymnaſii. Erfurti 1650. 4. Idem a. 1651. edidit *Continuationem* huius *Encomii*.

Vtrumque ſcriptum patria lingua eſt exaratum, ex eoque notatu digniora excerpſit *Olearius* in *Synt. rer. Thuring. P. II. p. 46. - 55.* Etſi vero non Academiae, ſed Gymnaſii Profeſſores exhibet, multa tamen ibi occurrunt ad Academiae hiſtoriam pertinentia.

Apologia antiquiſſimae Vniuerſitatis Erphordienſis aduerſus Iohannem Volckmarum Bechmannum D. (*Prof. Iuris Ienenſem*,) qui affectato aemulationis ſtudio ſine fine dicit, ſcribit, atque, Erphordiae carnificem fuiſſe Vniuerſitatis Rectorem, mentitur, imperante eiusdem Vniuerſitatis honore, integritate, eminentia publicata a. 1672. 4.

Refutatio ſic dictae Defenſionis, quam Apologiae Vniuerſitati Erphordienſi extortae nuper oppoſuit Ioh. Volckmar Bechmann, I. V. D. eiusdem Vniuerſitatis iuſſu publicata a. 1672. 4.

* IO. MAVRITIVS GVDENVS in *Hiſtoriae Erfurtenſis*, Duderſtadii 1675. 8. editae, *lib. II. cap. 18.* de ortu agit Erfurtenſis Academiae.

Kurtzer Hiſtoriſcher Bericht, was es mit der Profeſſione Theologica Auguſtanae Confeſſionis auf der Univerſität zu Erfurt eigentlich für eine Bewandniß habe, und wie ungütlich dem

jetzi-

ietzigen Professori von einigen Privat-Leuten geschehe, daß sie ihm das wohlhergebrachte Amt und Titul streitig machen wollen. Jena 1680. 8. *pl. 3.*

Auctorem scripti huius esse CASP. SAGITTARIVM, Prof. Ienensem, docet Schmidius in *Vita eius p. 133.*

D. GEORGII CHRISTOPH. PETRI AB HARTENFELS Programma Iubilaeum. Erfurti 1692. *pl. 4.*

Hic breuiter & neruose describitur historia Acad. Erfurtensis. Recenset cum ἐπικρίσει hoc Programma Tenzelius in Monathlichen Unterredungen anni 1692. *p. 839. - 848.*

* Nomina Professorum Erfurtensium anni 1703. recensentur in huius anni *Nouis literariis Germaniae p. 262. sq.*

Das ietzt lebende Erfurt. 1703. 12. *pl. 4.*

* Nomina Theologorum Academiae Erfurtensis illorum, qui Augustanae Confessioni addicti sunt, exhibet IO. CHRISTOPH. OLEARIVS in *Syntagmatis rerum Thuringicarum* Parte secunda, Francof. & Lips. 1707. edita, *p. 23. 24. 25.*

* Nachrichten von den vornehmsten Begebenheiten der Stadt Erfurt. Franckf. und Leipzig 1713. 8. *Alph. 1.*

Auctor libri huius est M. IO. MICH. WEINRICHIVS, Rector prius Lycei Meiningensis, hinc illius aulae Diaconus: cuius a. 1727. exstincti *Vitam* scripsit *Io. Casp. Wezelius*, & a. 1728. Noribergae edidit: in qua *p. 54.* docetur, eum magnis molestiis huius libelli causa affectum incidisse in morbum melancholicum. Recensetur iste liber, & quidem honorifice, in *Actis eruditorum Germanicis T. II. p. 497. sqq.* Agitur autem in huius libri *P. II. Cap. VI. de statu rei literariae in vrbe Erfurtensi p. 251. - 299.* Ac *p. 257. - 271.* exhibentur nomina Re-

ctorum Academiae ab a. 1615. vsque ad a. 1705; *p. 283. - 291.* recensentur Professores Theologi Erfurtenses Augustanae Confessionis.

BIANTIS (*pseudonymi*) Lebens-Beschreibungen der berühmtesten Erfurter. Erfurt 1722. 8. *pl. 12.*

Vitia huius libelli notat Motschmannus in *Erfordia literata p. 345.* Auctorem eius esse IO. MICH. WEINRICHIVM, docuit me Professor quidam Erfurtensis.

* IO. CHRISTOPH. MOTSCHMANNI (*Prof.*) Erfordia literata, oder Gelehrtes Erfurth, worinnen so wohl von der Beschaffenheit und Einrichtung der Erfurthischen Universität gehandelt, als auch von denen gelehrten Leuten, welche sich hieselbst mit Schriften berühmt oder bekannt gemachet, ausführliche Nachricht ertheilet wird. Erste Sammlung. Erf. 1729. 8. Zweyte Sammlung 1730. Dritte Sammlung 1730. Vierdte Sammlung 1731. Fünfte Sammlung 1731. Sechste Sammlung 1732. *Alph. 2. pl. 10.*

Hunc accuratissima diligentia compositum librum recensui in *Actis eruditorum a. 1733. p. 329. sqq.* Est autem hic primus Historiae Academiae Erfurtensis Tomus. Secundi Tomi iam quinque partes editae sunt: quas vt excipiant reliquae, vtque ad finem perducatur hoc opus, vehementer optamus.

* GEORG. CHRISTOPH. KREYSIGIVS in der Historischen Bibliotheck von Ober-Sachsen, Dresdae 1732. edita, *p. 552. sq.* exhibet *Scriptores de Academia Erfurtensi.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Erfurtensis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1733. *p. 204. sqq.*

* Nomina Professorum Erfurtensium anni 1737. proferun-

feruntur a GABR. WILH. GOETTENIO im Jeztlebenden gelehrten Europa *T. III. p. 200. sqq.*

FERRARIENSIS.

Bulla Bonifacii IX. 1391. data de erectione Studii Generalis in ciuitate Ferrariae, exhibetur in CHERVBINI *Bullario Romano T. I. p. 224.*

FIRMANA.

Bullam Bonifacii VIII. de erectione Studii generalis in ciuitate Firmana, prouinciae Marchiae Status Ecclesiastici, exhibet CHERVBINVS in *Bullario Romano* (edit. 1638.) *T. I. p. 159.*

FRANCOFVRTANA.

CONRADI DE WIMPINA (*primi Rectoris huius Acad.*) Vniuersitatis Studii Francofurtani ad Oderam Inuulgatio. 1506.

* Recusa in Becmanni *Notitia Vniuers. Francof. p. 4. sqq.*

PVBLII VIGILANTII AXVNGIAE (*Prof.*) Historia inaugurationis Vniuersitatis Francofurtanae. Ibid. 1507. *pl. 4.*

Recensetur hic libellus a Tenzelio in Monathlichen Unterredungen a. 1694. *p. 598. sqq.* Recusus exstat in Becmanni *Notitiae* * *Vniuersitatis Francofurtanae* edit. 1707. *Auctario p. 1.-33.*

Solennia saecularis anni Academiae Francofurtensis. Francof. ad Od. 1606. 4.

* Centuria (*anonymi*) Scriptorum, qui in celeberrimis, praesertim Lipsiensi, Wittebergensi, & Francofordiana ad Oderam Academiis vsque ad annum 1515. floruerunt: edita a Io. Ioach. Madero. Helmst. 1660. 4. *pl. 9. & dim.*

* IO. CHRISTOPH. BECMANNI Memoranda Francofurtana, Notitia Vniuersitatis, Catalogus Bibliothecae, &c. Francof. ad Od. 1676. 4. *Alph. 3. pl. 3.*

* Auctor auctiorem edidit hunc librum a. 1707. *fol.* & quidem ita, vt *Notitia Vniuersitatis*, (quae priori in editione decem duntaxat plagulas implebat,) ornata nunc iconibus, impleat *Alph. 3. pl. 17.* & *Catalogus bibliothecae Alph. 3. pl. 10.* Errores aliquot huius *Catalogi* notantur in *Hist. Biblioth. Fabricianae T. II. p. 522. sq.* Caeterum *Notitia* illa *Vniuersitatis Francofurtanae* est opus in suo genere perfectissimum.

Monumentum pietatis, quod Diuo FRIDERICO WILHELMO, Elect. Brandeb. ob instauratam Academiam Francofurtanam nomine Vniuersitatis eius ad d. 16. Febr. 1689. erexit TIDO HENR. a LITH, Eloq. Prof. Francof. ad Viadrum 1689. fol.

* Professores Francofurtani anni 1703. recensentur in anni huius *Nouis literariis Germaniae p. 162. sq.*

IO. CHRISTOPH. BECMANNI Secularia sacra Academiae Regiae Viadrinae. Francof. ad V. 1706. *fol. Alph. 4. pl. 17.*

Recensentur huius libri materiae in *Historiae Bibliothecae Fabricianae T. II. p. 520. sq.*

MICH. RHODE Miracula saeculi secundi Vniuersitatis Viadrinae. Francof. ad Od. 1706. fol.

Academiae Francofurtanae ad Viadrum Encaenia

saecularia Oxonii in Theatro Scheldoniano d. 26. Apr. a. 1706. celebrata. Oxonii 1706. *pl. 11. fol.*

Commemoratur liber hic in *Nouis literariis Germaniae 1707. p. 362.* ac docetur, in eo exhiberi aliquot *Orationes* & *Carmina* in illa solennitate recitata.

* Das ietztlebende Franckfurt an der Oder bey instehendem Jubel-Jahr 1706. 8. *pl. 3. & dim.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Acad. Francof. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1733. *p. 340. sqq.*

* Nomina hodiernorum Professorum Acad. Francof. exhibet G. W. GOETTENIVS im Jetztlebenden gelehrten Europa *T. I. p. 322. sqq.*

FRANECKERANA.

HENR. ANTONII NERDENI Initia Academiae Franequerensis. Franeckerae 1613. 4.

CORNELII van ECK Diss. de iuribus quibusdam huius Academiae contra *Vlricum Huberum* recensetur in *Hist. des ouvrages des Scavans* a. 1688. m. Maio *p. 110.*

* Professores Academiae Franequeranae anni 1706. recensentur in *Nouis literariis Germaniae 1706. p. 288. sq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Acad. Franeckeranae exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. *p. 250. sq.*

FVLDENSIS.

Inauguratio huius Academiae, quae a conditore suo nomen accepit ADOLPHIANAE, a 1734. d. 19. Aug.

facta est. Vid. *Acta historico-ecclesiastica* (IO. CHRIST. COLERI) *T. I. p. 404.*

Praeludium quoddam & praesagium huius Vniuersitatis fuit *Academia Historico-Theologico-Ecclesiastica* a. 1711. Fuldae instituta, quam in *Epistola* isto anno Suinfurti edita, & in *Actis eruditorum a. 1711. p. 555. sq.* commemorata, descripsit GEORGIVS CONRADVS SIEGLERVS.

GENEVENSIS.

IAC. LECTII Academiae Geneuensis Παλιγγενεσία. 1603. 8.

Ordo & Ratio docendi in Gymnasio Geneuensi. Geneuae.

* Professores Geneuenses anni 1707. recensentur in *Nouis literariis Germaniae 1707. p. 259.*

* AMADEI LE FORT, Medici Geneuensis, Descriptio Academiae Geneuensis, qualis sub auspiciis anni 1720. fuit.

Exstat in *Bibliotheca Bremensi T. IV. p. 299. - 311.* Ibi & p. 310. docetur, IO. ANT. GAVTIERIVM, Professorem tum Geneuensem, composuisse & *Historiam* & *Annales Reip. Geneuensis.* Qui libri si edentur, accuratam etiam & plenam habebimus Geneuensis Academiae historiam.

* Nomina Professorum Geneuensium anni 1730. proferuntur in *Bibliotheque Germanique T. XX. p. 204.*

* Nomina Professorum Academiae Geneuensis anni 1737. exhibentur in Kohlianis Berichten von gelehrten Sachen *a. 1737. p. 495.*

GIS-

GISSENSIS.

* LVDOVICI, Landgrauii, Literae inuitatoriae ad ſolennem actum promulgationis priuilegiorum Academiae Gieſſenſis, a. 1607. d. 7. Oct. *in* 4.

PHIL. NICOLAI (*Theologi Hamburgenſis,*) Panegyricus in nouam Giſſenae vrbis Academiam, ad LVDOVICVM, Landgrauium Haſſiae. Hamb. 1607. 4.

Eſt Carmen Latinum, iterum euulgatum inter huius Theologi *Opera Latina*, Hamburgi 1617. *fol.* edita: in quibus reperitur *T. II. p. 298. ſqq.*

Oratio panegyrica I. ſiue Actus primus promotionis Magiſtrorum, in quo praeſentibus Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Haſſiae Principe ac Domino, Domino LVDOVICO, &c. aliisque Illuſtribus ac Generoſiſſimis Comitibus, &c. Nobiliſſimis item, Magnificis, Ampliſſimis, Reuerendis, Clarisſimis, Conſultiſſimis, Excellentiſſimis, Lectiſſimisque viris, CASPARVS FINCKIVS, Logices Prof. publ. in Acad. Giſſena, verba fecit *de antiquitate, auctoritate, & dignitate Philoſophorum & Philoſophiae Magiſtrorum*, ſimulque XXIIX. honeſtiſſimis & doctiſſimis viris *Magiſterii* gradum contulit altero ſtatim poſt ſolennem *Priuilegiorum Academicorum promulgationem* die, anno MDCVII. 8. Octobris. Giſſae 1608. 4. *pl.* 7.

Aſſertio libertatis Academicae aduerſus iniuſtas *Hermanni Vulteii*, Prof. Marburgenſis primarii, querelas, & *Georgii Martinii*, Bartenſteinenſis, luſci illius Boruſſi, Studioſi Marburgenſis, & eiusdem *Vulteii* defenſoris maledicentiſſimi, mendaces & ſceleratas calumnias, conſcripta ad ſui iuris & ſuorum condiſcipulorum ac praeceptorum defenſio-

nem

nem a quibusdam inclitae Academiae Giſſenae Studioſis, Giſſae 1609. 4. *pl. 15. & dim.*

IOANNIS GEORGII, Heredis Norwegiae, Ducis Slesuici, Holſatiae, Stormariae, ac Dithmarſiae, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, &c. Regimen Academicum in illuſtri Heſſorum Giſſena anni 1609. Giſſae 1610. 4. *pl.* 22.

Sunt Acta Rectoralia huius Principis, qui praematuro fato Tubingae obiit a. 1613. Eius frater, IOACHIMVS ERNESTVS, a. 1610. Rectoratu huius Academiae functus eſt; cuius & ipſius *Regimen Academicum* dicitur eſſe editum.

IO. PETRI AVCHTERI, Phorcenſis, Harangue Françoiſe de louange, fondation, & ſituation de la trés celebre Academie de Gieſſe, declamée & imprimée à Gieſſe 1611. 4.

In STEPH. RITTERI *Cosmographia proſometrica*, Marburgi 1619. 4. edita, (cui poſtea nouus tantum titulus nouaque Praefatio eſt praefixa ibidem 1636.) *p. 496. ſqq.* exhibetur *Series Profeſſorum Giſſenſium.* Idem fit in IO. IVSTI WINKELMANNI Beſchreibung der Fürſtenthümer Heſſen und Hersfeld *f. 455. ſqq.*

In CONRADI DIETERICI *Inſtitutionibus oratoriis* editionis Vltraiectinae 1688. 12. *p. 120.-128.* exſtat *Commendatio Giſſae*, & *p. 129.-135. Commendatio Collegii Ludouiciani Giſſenſis.*

LVDOVICI IVNGERMANNI, Medic. D. & Prof. (*poſtea Prof. Altorfini*,) Praeconia clariſſimorum Profeſſorum Giſſenſium, more Lycophronico anagrammatismis, quibus ſingulis ſingula emblemata accommodantur, amoris & honoris debiti ergo adumbrata. Giſſae 1621. 4. *pl.* 1.

CHRI-

CHRISTOPHORI SCHEIBLERI, Sermo panegyricus de vita vere philoſophica, vbi ediſſeritur maxime, quid deceat circa voluptates & varios caſus opum & honorum: vna cum actu promotionis (a) vltimae Magiſtrorum XII. in Academia Giſſena habitae a. 1624. d. 25. Maii. Giſſae 1624. 8.

* D. IO. TACKII, Med. & Phyſ. Prof. Academia Giſſena reſtaurata, id eſt, Solennia, quibus Academia Gisſenſis a. 1650. ſplendidiſſime reſtaurata fuit. Giſſae 1652. 4. *Alph. 1. pl. 1.*

M. IO. IVSTI PISTORII Propylaeum Athenaei Haſſiaci, exhibens Elenchum Profeſſorum in Academiis Marburgenſi & Giſſenſi. Giſſae 1665. 4. *pl. 3.*

In exitu huius libelli refertur, Giſſae vsque ad illud tempus in XIX. actibus XXVII. Theologiae Doctores, in XXV. actibus LX. Doctores Iuris, in XV. actibus XXVII. Doctores Medicinae, & in XXVII. actibus CCCLVII. Magiſtros Philoſophiae fuiſſe creatos.

M. IO. IVSTI VALENTINI (b) Parnaſſus Haſſiacus, duplici colle referens nomina Rectorum, Cancellariorum, Profeſſorum, Doctorum, Licentiatorum, atque Magiſtrorum. Editio ſecunda. Giſſae 1685. 4.

CHRISTOPH. DENSTADII Mnemoſynum Academicum, aeternum perennanti illuſtris Giſſenſium Athenaei celebritati dicatum, inſcriptisque illorum omnium nominibus, qui a fauſtiſſima eiusdem ſub annum huius ſaeculi quinquageſimum renaſcentia vsque ad annum praeſentem quartum ſupra nonageſimum vel ſceptra inibi tulere Recto-

rum,

(a) Tum ſcilicet Marburgum translata fuit Academia Giſſena.

(b) Fuit hic magni Giſſenſis & Philoſophi & Medici, *Mich. Bern. Valentini*, pater.

rum, vel Sparta fulſere Cancellariorum, vel munere cluere aut etiamnum cluunt Profeſſorum, vel titulis denique atque honoribus Doctorum, Licentiatorum, Magiſtrorumque in illo aucti ornatique fuere, erectum. Giſſae 1694. 4. *pl.* 4.

Eſt haec Valentiniani opuſculi continuatio.

* Profeſſores Gieſſenſes anni 1703. recenſentur in eius anni *Nouis literariis Germaniae p. 148. ſq.*

* De Iubilaeo Academiae Giſſenſis a. 1707. celebrato vid. *Noua literaria Hamb. 1707. p. 161. 165. 412.* & *a. 1708. p. 66. ſq.* itemque der Neubeſtellte *Agent* in der dritten *Function p. 67. ſqq.*

MICH. BERNHARDI VALENTINI, Med. Prof. Oratio a. 1708. habita de incrementis Academiae Giſenae per ciues Haſſiae indigenas.

Annexa eſt eius *Praxi Medicinae infallibili*, Francof. 1711. 4. editae, & in *Actis eruditorum* eiusdem anni recenſitae *p. 482. ſqq.*

Faſciculus relationum epiſtolicarum, quibus ſtatus Academiae Giſſenſis ſuccincte delineatur. 1711. 4.

Auctorem harum Relationum eſſe *Immanuelem Weberum*, Giſſ. Prof. apparet ex eius *Catalogo ſcriptorum ſuorum*, quem Giſſae 1722. 4. edidit. Ibi enim *p. 11.* libellum hunc ſcriptis ſuis annumerat.

* De ortu & incrementis Academiae Giſſenſis agit IO. IVSTVS WINKELMANNVS in der Beſchreibung der Fürſtenthümer Heſſen und Hersfeld, Bremae 1711. *fol.* edita, *P. IV. cap. 7. p. 466. ſqq.*

Hic & *p. 455. ſqq.* exhibetur Catalogus Profeſſorum Giſſenſium.

IM-

IMMAN. WEBERI Prodromus oder Vortrab dererjenigen Nachrichten und Solennitäten, so auf hohe Verordnung des Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn, Herrn Ernst Ludwigs, Landgrafen zu Hessen, ꝛc. bey dem im Jahr 1707. feyerlichst celebrirten Iubilaeo Academico bey der löblichen Universität zu Giessen fürgekommen, und zu publiciren bißhero unterblieben. Giessen 1719. 4. *pl. 3. & dim.*

* Des Durchl. Fürsten und Herrn, Herrn Ernst Ludwigs, Landgrafens zu Hessen, ꝛc. General- und Haupt-Verordnung auf die im Decembr. 1719. durch eigene Deputatos beschehene Visitation Dero Fürstl. Universität Giessen, und derselben, so wohl quoad studia & Professiones omnium Facultatum, als Sprachen, Exercitien, und alle übrige Erforderniße und Bequemlichkeiten, bessere und vollkommene Einrichtung, an erstgedachte Dero Universität alßo abgegangen, samt Beylagen von Num. I. biß XLII. Darmstadt 1720. *fol. pl. 17. & dim.*

Recensetur hoc scriptum in den Gelehrten Zeitungen a. 1721. *p. 242. sqq.*

Priuilegia Studiosorum Gissensium, sub anniuersaria Legum praelectione publice repetita, & Oratione panegyrica *de vsu & abusu priuilegiorum* ipsis Cal. Iulii a. 1720. fusius explicata a Rectore Academiae, MICH. BERNH. VALENTINI, Archiatro Hasso Darmstadino, Prof. Med. & Philos. experim. ord. Gissae 1720. 4. *pl. 4.*

* In der kurtzen Historie der vormahligen und gegenwärtigen Gelehrtheit derer Hessen Trimestri secundo, a. 1725. 8. edito, *p. 145. - 168.* historia Gissensis Academiae inde ab eius ortu vsque ad illud tempus descripta exhibetur.

M. FRID. BALTH. (c) GRANDHOMME Disser-

 tatio

(c) Hic nunc fungitur Pastoratu in Ecclesia Hassiaca, ac Dissertationes quas-

tatio epistolica ad *D. Io. Melch. Verdries*, Med. ac Philos. Prof. qua illustris Academiae Gissenae fundationem describit, atque simul de dignitate Rectorali, eidem Kal. Ian. 1728. collata, gratulatur. Gissae 1728. 4. *pl.* 2.

ERN. FRID. NEVBAVERI Commentatio de singulari Gissensium (*Theologorum*) studio conseruandae purioris doctrinae contra Socinianorum deprauationes, ad *D. Rambachium* scripta. Halae 1731. 4. *pl.* 3.

* Zwo Fürstliche Verordnungen wegen der Studiosorum Theologiae auf der Universität Giessen. 1732.

Exhibentur im Heßischen Heb-Opfer *T. I. p. 85. sqq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Giessensis, d. 20. Apr. 1732. publicatus, exstat in *Actis Academicis* anni 1733. p. 46. sqq.

* Recension der Theologischen, Philologischen, und Historischen Disputationum, so a. 1733. zu Giessen gehalten worden.

Exstat in Tomo I. des Heßischen Heb-Opfers. *p. 91.-104.*

* Ernst Friedrich Neubauers, Antiq. lingg. Graec. & Orient. P. P. O. Kurzes Verzeichniß aller Professorum Theologiae, so auf der Universität Giessen gelebet und gelehret haben. 1734. 1735.

Reperitur im Heßischen Heb-Opfer *T. I. p. 105. 125; p. 252.-255; p. 379.-383; p. 483.-494; p. 497.-525; p. 617.-631; p. 768.-783; p. 803.-818; p. 887.-912; 935.-959; p. 1121.-1131.*

* Catalogus Lectionum Academiae Ludouicianae 1735. mense Aprili publicatus.

Exstat

quasdam Theologicas inseruit *Tomo II.* des Heßischen Heb-Opfers p. 207. *sqq.* & 329. *sqq.*

Exstat im Heßischen Heb-Opfer *T. I. p. 819. sqq.* Ibid. *p. 1112. sqq.* exhibetur Catalogus lectionum mense Septembri eiusdem anni editus.

* Recension der von den Gießischen Professoribus a. 1735. edirten Theologischen und Philologischen Schriften, Vorreden, und Disputationum.

Exhibetur im Heßischen Heb-Opfer *T. I. p. 1079.-1112.*

* Catalogus Lectionum a. 1736. d. 2. Apr. publicatus reperitur im Heßischen Heb-Opfer *T. II. p. 79. sqq.*

* Ernst Friedrich Neubauers, P. P. O. Ausführliche Nachricht von dem Leben und Schriften aller Professorum Philologiae sacrae auf der Universität Giessen. 1737.

Exhibetur in *Tomo II.* des Heßischen Heb-Opfers *p. 368.-401.* prima huius Historiae pars: & altera *p. 664.-676.*: nec dubium est, quin ibidem celeberrimus auctor exhibiturus sit continuationem conclusionemque.

* Nomina Professorum Gissensium anni 1736. exhibet GABR. WILH. GOETTENIVS in Jeztlebenden Gelehrten Europa *T. II. p. 773. sqq.* qui ibidem vitas plurium exhibet vna cum scriptorum catalogis.

GOTTINGENSIS.

Programma, quo Musis Gottingensibus exilium indicit, simulque splendidissimum reditum praedicit C. A. HEVMANNVS, D. septendecennis Inspector eius & S. Theol. Prof. Gottingae 1734. d. 19. Apr. 4. *pl.* 1.

Recusum id est adiecta eius *Oratione exaugurali* Gottingae 1735. 4. *pl. 3.* Vtriusque noua editio reperitur in eius *Primitiis Gottingensibus Academicis*, a. 1738. editis, *p. 271. sqq.*

* Potentissimi Magnae Britanniae Regis, S. R. I. Principis Electoris, GEORGII II. institutum condendi novam in terris Brunsuicensibus Academiam literato orbi autoritate Superiorum exponit IO. DANIEL GRVBER, Sacrae Regiae Maiestatis ab Aulicis Consiliis.

Scriptum hoc publicae auctoritatis prodibat in *Actis eruditorum*, quae Lipsiae publicari solent, a. 1734. & quidem in *Mense Octobri*, *p. 484. 485.* & *486.*

* AENOPETRANI WESTPHALI Zufällige Gedancken von Academien, bey Aufrichtung einer neuen Academie zu Göttingen in einem Sendschreiben an Herrn Prof. Stollen eröfnet. Jena 1734. 4. *pl.* 3.

Latet sub hoc nomine Rector Gymnasii Osnabrugensis, IO. CHRISTOPH. KOECHERVS, qui a regione, in qua viuit, *Westphalum*, & ab oppido natali (est enim *Lobensteiniensis* Variscus,) *AEnopetranum* se appellauit.

* GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAVERVS, D. Magnae Brit. Regi a Consiliis aulicis, Antecessor Iuris primarius, & ad ea obeunda, quae Prorectoris sunt, in Acad. Gotting. delegatus Commissarius, nouae Vniuersitatis ciuibus primis S. P. D. Prid. Kal. Nou. 1734. 4. *pl.* 1. *& dim.*

Primum hoc est Gottingensis Academiae Programma publicum, quo noua haec schola aperiebatur, Studiosique inuitabantur ad profitenda nomina & frequentanda Professorum auditoria.

* De ortu Academiae Gottingensis differit GABR. WILH. GOETTENIVS, Pastor Hildesiensis, in *Tomo I.* (a. 1735. edito) des Jetztlebenden gelehrten Europa *p. 535.-538:* & *p. 539.-624.* vndecim Professorum Gottingensium vitam

&

& scripta exhibet. Eiusdem in Operis *Tomo II. p. 309. sqq. 407. sqq. 433. sqq.* trium aliorum Academiae Gottingensis Professorum vitae describuntur adiecto scriptorum cuiusque catalogo.

* Epistola, praesentem Academiae Gottingensis statum exhibens. Gottingae 1735. 4. *pl. 1.*

* De statu Academiae Georgiae Augustae, quae Gottingae est, breuis & vera narratio. Gottingae 1736. 4. *pl. 1.*

Vtriusque scripti auctor est Prof. Gotting. IO. MATTHIAS GESNERVS.

* Liber a. 1736. Gottingae editus, & quidem partitim pro numero hebdomadum, inscriptusque der Sammler, singulis paene foliis suis adiectam habet appendicem ad historiam nouae Academiae pertinentem.

Huius libri, in quo ingeniosam sapientiam cum Germanicae dictionis elegantia certare videas, auctor est Praetor ciuitatis Gottingensis Regius, FRID. CHRISTIANVS NEVBVRIVS, I. V. D.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Gottingensis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. *p. 83. sqq.*

* In der Neuen Europäischen *Fama P. XXIX. p. 375. sqq.* exhibetur *Relation* von der am *17. Sept. 1737.* vollzogenen feyerlichen Einweihung der Königlichen und Churfürstl. *Georg-Augusts-Vniuersitaet* zu Göttingen.

* In (IO. PETRI KOHLII) Hamburgischen Berichten von gelehrten Sachen auf das Jahr 1737. *p. 611. sqq.* & *p. 659. sqq.* exhibetur Narratio de inauguratione Academiae Gottingensis,

* Idea

* Idea Professorum Academiae Georgiae Augustae, quae Gottingae est. Edita a. 1737. ipsis inaugurationis festis diebus: nunc auctior & emendatior recusa. Gottingae 1738. 4. *pl. 1.*

Sunt tetrasticha singulorum Professorum memoriae & honori dicata a GEORGIO MATTHIAE, *Medicinae Cultore, Bibliothecae Acad. Custode:* qui nomen suum postremo loco exhibet. Hac altera in editione cuiusuis Professoris nomini subiicitur annus eius natalis & gesta antea munera.

* AVGVSTI GESENII, S. Theol. Stud. Oratio solemnis, comparationem inter Gymnasia & Academias sistens, qua Academiae Georgiae Augustae --- ipso inaugurationis die XVII. Sept. 1737. Helmaestadii in Iuleo maiori pia mente congratulatur. Helmst. 1737. *fol. pl. 9.*

* PETRI GERIKE (*Medic. D. & Prof. qui inaugurationi interfuit legatus Academiae Iuliae,*) Oratio in Iuleo maiori 1737. d. 15. Oct. habita de Academiarum Iuliae & Georgiae Augustae fortuna concordi. Helmst. 1737. 4. *pl. 8. & dim.*

* B. F. H. D. Der in Göttingen geweihete Parnassus, oder Ausführliche und gründliche Relation von der am 17. Sept. 1737. feyerlich vollzogenen Einweihung der Königl. und Churfürstl. Georg-August-Vniuersitaet zu Göttingen. Franckf. und Leipzig 1737. 8. *pl. 6. & dim.*

* Quatuor nummi in memoriam conditae & inauguratae Academiae Gottingensis publice cusi exhibentur in IO. DAV. KOELERI (Prof. Gotting.) Historischer Müntz-Belustigung ad a. 1737. *num. XXX. XXXVIII. XXXIX.* & *XL.* Tomi IX. *p. 233. - 240.* & *p. 297. - 315.*

Sculptura est elegantissima: cui adiuncta est *Descriptio historica,* qua historia Academiae anteinauguralis accurate exponitur, itemque Inaugurationis historia. Adiecta etiam est *p. 316. - 320. GEORGII MATTHIAE Idea Professorum Acad.*

cad. Georg. Aug. Cum autem in *Deſcriptione* illa *hiſtorica* quaedam correcta vellet nonnemo, huius monita ingenue exhibuit KOELERVS im Erſten Supplements-Bogen ad a. 1737. p. 423. ſq. adiectis nonnullis reſponſionibus. Illud quoque commemorandum, eam deſcriptionem, quam continet *Diſſertatio XXXVIII. & XXXIX*, antea tacito auctoris nomine editam fuiſſe ſeparatim ſub hoc titulo:

* Vorläufige Poſt-Relation von der am 17. Sept. jeztlaufenden Jahres glücklich vollbrachten Feyerlichen Einweihung der Königl. und Churfürſtl. Georg-Auguſt-Univerſität zu Göttingen. Gedruckt bey J. C. L. Schultzen, Univerſitäts-Buchdrucker. 4. *pl.* 2.

Ex quo fonte hauſta eſt *Relatio*, quam ſupra memorauimus, *Famae Europaeae*, itemque illa Deſcriptio, quae exhibetur in Kohlianis *Nouis literariis*. Habuit quoque ille, qui ſub literis *B. F. H. D.* latet, Koelerianam narrationem ob oculos: ſed ſimul apparet, ipſum interfuiſſe ſolennitatibus, multasque adieciſſe circumſtantias. Adiecit item Cantica in templo Academico accinentibus inſtrumentis muſicis decantata, & tria alia carmina Germanica huic ſolennitati dicata, poſtremo meditationem ſuam ipſius emblematicam.

* Im Zerſtreuer *p.* 293.-303. deſcribitur Academiae Gottingenſis Inauguratio.

Horum foliorum philoſophicorum, quorum ſingula ſingulis emittebantur a. 1737. hebdomadibus (*in* 8.) Gottingae, ſcriptorem eſſe SAM. CHRIST. HOLLMANNVM, Prof. Goting. conſtat.

* Acta coronationis d. 20. Sept. 1737. in Acad. Georgia Auguſta peractae, cum poëtica laurea a Magnif. Dn. Prorectore, IAC. WILH. FEVERLINO, conſuetis ceremoniis NICOLAVS CIANGVLO, Italicae linguae Lector, ornaretur. Gottingae 1737. 12. *pl.* 2.

* In *Actis Historico-Ecclesiasticis P. XI. p. 760.-780.* exhibetur Descriptio inaugurationis nouae Academiae Gottingensis.

Post IO. CHRISTOPH. COLERI, Concionatoris Aulae Vinariensis, excessum e vita edit haec *Acta* nunc successor eius in sacro illo munere, WILH. ERN. BARTHOLOMAEI.

* De Academia Georgia Augusta, quae Gottingae est, a Sereniss. Potentissimoque Principe ac Domino, Domino GEORGIO II. --- condita & a. d. 17. Sept. 1737. solenniter dedicata breuis narratio IO. MATTHIAE GESNERI. Adiecta Priuilegia Caesareum atque Regium, itemque Monumenta alia historiam Academiae continentia atque illustrantia. Gottingae 1738. *fol. Alph. 2. pl. 11.*

Adiunctae sunt tres nitidae figurae aeri incisae, quarum prima Sciagraphiam vrbis Gottingae, altera Arcum triumphalem IO. FRID. PENTHERI, Prof. Gotting. tertia nummos inaugurales repraesentat.

* *
*

Quae celeberrimi nominis vir, HERMANNVS von der Hardt, Academiae Iuliae Professor aetate maximus, hac occasione (a) emisit, ea minime decet praetermitti. Etsi enim is Academiae nostrae historiam non persequitur, illa tamen ipsa nonnulla pars est historiae, quod nouae Academiae tantum honoris tribuit vir non solum ob aetatem, sed etiam ob magna multaque in rem literariam merita venerabilis. En igitur scriptorum *Hardtianorum*, Georgiae Augustae consecratorum, titulos:

* HER-

(a) Recensio aliquot *Hardtii* scriptorum huius generis exhibetur in Hamburgischen Berichten von gelehrten Sachen anni 1737. *p. 635. sq.*

* HERMANNI von der Hardt Septem columnae (Prov. IX. 1.) Academiae Regiae Georgiae Auguſtae, quae Gottingae eſt. Helmſtadii (a) 1737. *fol. pl.* 72.

Eiusd. Septem ornamenta ſupra ſeptem columnas Academiae Regiae Georgiae Auguſtae, quae Gottingae eſt: *ſiue* In Academiae Regiae Georgiae Auguſtae, a. 1737. d. 17. Sept. ſancte inauguratae ſerenam lucem ex Academiae Iuliae votis *Noui Libri VII.* Helmſt. *fol. pl.* 7.

Initium tantum huius Operis hic exhibetur.

Eiusd. Septem Baſes ſub ſeptem columnis cum ſeptem ornamentis Georgiae Auguſtae. Helmſt. 1738. *fol. pl.* 5.

Eiusd. Coronis. Veritatis profeſſio in vtraque Academia, Regia Georgia Auguſta Gottingenſi & Iulia Helmſtadienſi, Muſarum Drama ſeptem ſcenis in ſeptem columnarum coronamenta ſeptem. *fol. pl.* 4.

Eiusdem Hiſtoria Heracleae Trachiniae in Academiae Regiae Georgiae Auguſtae natalem ſecundum a. 1738. d. 17. Sept. Helmſt. 1738. *fol. pl.* 8.

Eiusd. Viciſſitudo fortunae in Ceyce & Alcyone, in Georgiae Auguſtae natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl.* 6.

Eiusd. Hiſtoria Curetum in AEtolia, in Georgiae Auguſtae natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl.* 15.

Eiusd. Effigies aenigmatica Nicolai III. Pontificis ſeculo XIII. in Georgiae Auguſtae natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl.* 19.

(a) Conſtat opus hoc *ſeptem libris*, quorum tituli recenſentur in poſtremo folio *Monumentorum*, Hiſtoriae Inaugurationis Gesnerianae ſubnexorum.

Eiusd. Hiſtoria vrbium Gindari, Bambyces, & Nini in Syria & Aſſyria, in Georgiae Auguſtae natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl. 7.*

Eiusd. Hiſtoria Babylonis ex Gindarenis natae in Georgiae Aug. natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl. 7.*

Eiusd. Hiſtoria Imperii Romani, Romae & Byzantii, Arcadio & Honorio Caeſaribus, in Regis Boruſſorum gemma, in Georgiae Aug. natalem ſecundum. Helmſt. 1738. *fol. pl. 10.*

Eiusd. Tomi tertii Coronis. Geographia & Chronologia, regia ad antiquitatem reconditosque mythos via in vtraque Academia, Gottingenſi & Helmſtadienſi, ſororio vinculo iunctis: in honorem natalis ſecundi Georgiae Auguſtae. Helmſt. 1738. *fol. pl. 10.*

GRAECENSIS.

SIXTI V. Inſtitutio Studii generalis diuerſarum ſcientiarum & bonarum artium in Collegio Presbyterorum Soc. Ieſu, a CAROLO, Auſtriae Archiduce, in oppido Graecen. Salzburgenſis dioeceſis fundato, & a GREGORIO XIII. erecto, cum redituum aſſignatione & priuilegiorum elargitione, 1585.

Exſtat in *Bullario Romano* CHERVBINI *T. II. p. 523.*

PETRI XIMENII Diſputatio, habita cum Balthaſare Tiſchero, Lutherano, de fide iuſtificante in Academia Graecenſi anno 1592.

Memoratur a Nic. Antonio *Biblioth. Hiſp. T. II. p. 201. ſq.*

* *Iacobus Pontanus*, Soc. Ieſu, in *Bellariis Atticis* edit. Francof. 1644. 8. *p. 261. ſq.* exhibet *Hiſtoriam initiationis* ſiue inau-

inaugurationis *Academiae Graecensis* (a) *in Stiria*, e FRANCISCI BENCII *Annalibus Societatis Iesu* anni 86. & 87.

Apparet hinc, duas duntaxat illi Academiae esse Facultates, Philosophicam & Theologicam. Vid. & *Noua literaria Germaniae* anni 1707. *p*. 275. Ibidem *a*. 1709. *p*. 23. *sq*. recensentur acta huius Academiae anni 1707.

* De Professore Historiarum nuper ibi constituto vid. *Bibliotheque Germanique T. XVII. p*. 206.

GRONINGENSIS.

Orationes ad inaugurationem Academiae Groningensis habitae ab HERMANNO RAVENSBERGERO, Theol. D. & Prof. & IOANNE HVNINGA, I. V. D. Basil. 1615. 4.

* De ortu Academiae Groningensis differit VBBO EMMIVS, testis αὐτόπτης, in *Syntagmate de agro Frisiae inter Amasum & Lauicam fl. deque vrbe Groninga*, editionis secundae, Groningae 1646. factae, *p*. 257. 258. & 259. sub hoc titulo: *De Academia Groningae nuper instituta*.

Effigies & Vitae Professorum Academiae Groningae & Omlandiae, cum Historia fundationis. Groningae 1654. *fol*.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Groningensis anni 1736. insertus est *Actis* eius anni *Academicis p*. 310. *sqq*.

(a) Ad eiiciendam e Stiria Lutheranam religionem conditam esse hanc Academiam, cognosci potest e Ieremiae Hombergeri, Theologiae tum Doctoris Lutherani in vrbe Graecio, epistola, quae exstat inter *Marbachianas p*. 681.

GRYPHISWALDENSIS.

* BALTH. RHAW, S.S. Theol. Lic. & Prof. Biga Diſcurſuum Academicorum de imminente ruina Academiae Gryphiswaldenſis. Gryph. 1638. 4. *pl. 6.*

* In DAVIDIS MEVII Delineatione der Pommeriſchen Landes-Verfaſſung, a. 1650. ſcripta, & a *Wilh. Frid. Piſtorio* in Parte quarta *Amoenitatum Hiſtorico - Iuridicarum* a. 1734. edita, *Caput XIV. p. 989. ſq.* eſt *de Vniuerſitate Gryphiswaldenſi.*

HENRICI WENDLANDI Catalogus Procancellariorum, Rectorum, Brabeutarum & Promotorum Academiae Gryphiswaldenſis ab anno fundationis ad A. C. 1655. Gryphisw. 1655.

* In *Originibus Pomeranicis*, a MARTINO RANGONE Colbergae 1684. 4. editis, de Academia Gryphiswaldenſi memorabilia occurrunt *p.* 72. *92. 93. 117.* & *125.*

* D. IO. SAM. HERINGIVS in libro Germanico Stetini ſine mentione anni impreſſionis edito *de ERICO II. Duce Pomeraniae*, *p.* 1. & 2. agit de primo Academiae Gryphiswaldenſis Rectore.

IO. HEVNII Proſopographia metrica omnium Academiae Gryphiswaldenſis Profeſſorum. Gryphisw. 1668. 8.

Acta Feſti Iubilaei ab Academia Gryphiswaldenſi rite celebrati. Gryph. 1693. 4.

GEORGII CHRISTOPH. GEBHARDI, Math. Prof. Oratio de incunabulis Academiae Gryphiswaldenſis. Gryph. 1693. 4.

EIVSDEM Diſputatio Chronologica, qua probatur, annum reformatae Academiae Gryphiswaldenſis eſſe verum Iubilaeum. Ibidem 1693. 4.

* Profeſſores Gryphiswaldenſes anni 1699. nominatim commemorantur in eius anni *Nouis literariis Maris Balthici p. 37. ſq.*

* Profeſſores huius Academiae anni 1709. recenſentur in *Nouis literariis Germaniae 1709. p. 225. ſq.*

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Gryphicae anni 1726. exſtat in *Recenſionis Actorum erud. Roſtoch. Collectione II. p.* 242. *ſqq.*

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum huius Academiae anni 1728. exhibetur im andern Stück der Schwedischen Bibliotheck *p. 314. ſqq.* In eiusdem tertia Parte, a. 1729. edita, *p. 346. - 349.* & in quarta, a. 1730. edita, *p. 374. ſqq.* commemorantur acta huius Academiae nouiſſima.

Nomina Profeſſorum Gryphiswaldenſium anni 1729. proferuntur ab ANDR. IOACH. ab HENEL in dem *A.* 1729. florirenden Schweden, Lubecae 1629. 4. edito, *p. 264. ſq.*

* Königliches (Schwedisches) Edict wegen des Vergleiches zwischen denen Herren Theologis zu Greiffswalde. 1730.

Exhibetur in der Fortgesetzten Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen anni 1730. *p. 1162. - 1169.*

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum anni 1733. in Academia Gryphiswaldenſi exhibetur in huius anni *Actis Academicis p. 143. ſqq.*

Programma Rectoris de fatis Academiae Gryphicae ſub Ducibus ſuis & Regibus Sueciae. 1737. *fol. pl. 1. & dim.*

* No-

* Nomina Professorum Gryphiswaldensium anni 1737. proferuntur a G. W. GOETTENIO im Jetztlebenden gelehrten Europa *T. III. p.* 207. *sq.*

HAFNIENSIS.

WILLICHII WESTOVII Αὐτοσχεδίασμα in laudem Regiae Danorum Academiae. Hafn. 1604. 4.

D. IO. PAVLI RESENII (*Theol. Prof.*) liber de officiis Studiosorum Academiae Regiae Hafniensis. Hafniae 1611. 8.

CASP. BARTHOLINI (*Prof. Med.*) de ortu, progressu, & incrementis Regiae Academiae Hafniensis Oratio, dicta a. 1619. Ad calcem subiungitur Rectorum ab a. 1479. Professorum vero ab a. 1539. catalogus. Hafniae 1620. 4.

* Recusus est hic liber Wittebergae 1645. 4. *pl.* 6.

* IO. ISAACIVS PONTANVS *Chorographicae* suae *Descriptioni Daniae*, a. 1631. editae, & *Historiae* suae *rerum Danicarum* annexae, subiecit *p.* 788. - 792. Catalogum Rectorum Academiae Hafniensis ab a. 1497. vsque ad annum 1619.

* IO. SVANINGIVS *Chronologiae* suae *Danicae*, a. 1650. *fol.* emissae, inseruit *p.* 94. - 106. nomina Rectorum Academiae Hafniensis ab a. 1479. vsque ad a. 1650.

* THOMAE BARTHOLINI Cista Medica Hafniensis, variis consiliis, curationibus, casibus rarioribus, Vitis Medicorum Hafniensium, aliisque ad rem Medicam, Anatomicam, Botanicam, & Chymicam spectantibus referta. Accedit eiusdem DOMVS ANATOMICA, breuissime descripta. Hafniae 1662. 8. *Alph.* 1. *pl.* 18.

Ex

Ex *Praefatione* auctoris haec repetimus, ad Hafnienſis Academiae hiſtoriam pertinentia: *Enimuero cum penes Medicae Facultatis Decanum, qui in Academia perpetuus eſſe ſolet, exempla Actorum omnium ſeruentur, tutisque auribus & cuſtodiis in* Ciſta *Facultatis deponantur, magno publicae rei Medicae detrimento cum Bibliotheca in praedam pabulumque haec & alia Vulcano ceſſerunt, quorum* D. THOMAS FINCKIVS, *auus noſter, per LIII. annos Decanus, nunquam ſiccis oculis meminit. Illius diuini ſenis nepos ego & ſucceſſor, in* Ciſta Medica, *ex officio Decanatus mihi concredita, ſparſas ſchedas Medicorum, tanquam naufraga fruſta, curioſe collegi, in ordinem ſecundum annorum ſeriem nullius praeiudicio digeſſi, Latio reddidi, quae noſtra dialecto legebantur, & hinc inde defunctorum monumentis conquiſitis Vitas illorum interſerui, qui publicis Programmatibus a patria Academia, fideli arcanorum temporumque cuſtode, fuerunt laudati. Haec vno volumine contenta, excuſſis loculis, in publicam libertatem lucemque mitto, ne inuidiam clauſae diutius* Ciſtae *magnis detrimentis mortales expient, aut Medici noſtri, numero pauci, ſed meritis magni, gratis poſteris & digna immortalitate deſtituantur. Cuncta ſuis authoribus reddidi, praecipua, quae forte vtilia occurrerunt, complexus: geſtorum quoque documenta nonnunquam ſubtexui, certa ſpe fretus, bonis placitura & curioſis, quae pro temporum fama, patriae Academiae laude, & Medicinae incremento eſſe iudicaui. Alii, quos nobis Deus & fortuna eſſe voluerit ſuperſtites, tam noſtra, ſi merebuntur, quam aliorum Medicorum, quorum vel vitas omiſimus, vel lucubrationes, quia vel ad poſteritatem ſpectant, vel haberi non potuerunt, eo animo proſequantur, quo nos ea meliorum vtilitati dicauimus. Niſi grandior mole ſua liber concludendus fuiſſet, oculis publicis ſtitiſſem* Conſtitutiones nouellas, *quas Clariſſimi noſtrae Facultatis Doctores in commune conſulturi*

coeperunt, vt & nomen dignitatemque ſuam tuerentur & ſaluti aegrorum proſpicerent. Vere enim de Medicis dici poteſt, quod de ſapiente Seneca de otio eiusdem: Si quis bene de ſe meretur, hoc ipſo aliis prodeſt, quod illis profutura parat. *Sola vero Sereniſſimae Maieſtatis Regiae authoritas nobis ſupereſt, vt Empirici, monſtra hominum, apud nos debellentur. Hactenus enim vitia remediis fuere fortiora. Vale. Hafniae XXII. Decembris ANNO* cIↄ Iↄclxi.

ERASMI VINDINGII (*Prof.*) Academia Hafnienſis, in Regibus, Conſeruatoribus, Rectoribus, & Profeſſoribus ſuis repraeſentata. Haun. 1665. 4.

Huius libri continuationem ſuſcepiſſe *Petrum Ioannem Reſenium*, ſed morte intercedente non praeſtitiſſe, docet Nic. Petrus Sibbernius in *Bibliotheca hiſtorica Dano-Norwegica Cap. X. p. 309.* Nunc partes has ſuſcepiſſe *Andream Froelundium*, ling. Hebr. Prof. teſtis eſt *Thura* in Praef. ad *Ideam Hiſtoriae literariae Danorum p. 10.*

SEVERINI LINTRVPII Hiſtoria Academiae Hafnienſis.

Scriptor hic accuratiſſimus & indefeſſus haud dubie ſatisfacturus erat lectoribus. At, quam vidit lucem eius opus, eâ & periit, incendio videlicet Bergenſi: id quod ipſe docet in libello 1704. edito ſub hac inſcriptione: *Reliquiae incendii Bergenſis.*

* Nomina Profeſſorum Hafnienſium anni 1699. exhibentur in huius anni *Nouis literariis Maris Balthici p. 22. ſq.*

* ALBERTI THVRA Idea Hiſtoriae literariae Danorum. Hamb. 1723. 8. *Alph. 1. pl. 3. & dim.*

Ediderat hic ſcriptor a. 1721. Hafniae *Specimen Hiſtoriae literariae Danorum de Collegiis Cathedralibus & Academicis.* In quo libello quae tradit, poſtea *Ideae* modo laudatae intexuit omnia.

omnia. Huius *Ideae Cap. IV. §. 1.* de Academia Hafnienſi diſſerit, §. 2. de Academia Sorana; *Cap. V.* de Collegiis Academicis Hafniae; *Cap. VII. §. 1. & 2.* de Profeſſoribus Academiae Hafnienſis, §. 3. de Soranae Academiae Profeſſoribus.

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Hafnienſis anni 1733. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1734. *p. 152. ſqq.*

* Promotio Doctoralis, Hafniae in Iubilaeo religioſo a. 1736. facta, deſcribitur in der Däniſchen Bibliotheck, Hafniae & Lipſiae 1738. edita, *P. I. p. 272. - 281.*

* Lectiones publicae Profeſſorum in Vniuerſitate Hafnienſi a Cal. Sept. 1737. ad Cal. Aug. 1738. exhibentur ibidem *p. 441. ſqq.*

* Catalogus duplex Diſputationum Hafniae habitarum a. 1736. 1737. & 1738. exſtat ibid. *p. 444. ſqq.*

* Trium adhuc viuentium Profeſſorum Theologiae Hafnienſium, *Io. Steenbuchii*, *Marci Woeldikii*, & *Ieremiae Frid. Reuſſii*, Vitae, adiecto librorum a ſingulis editorum Catalogo, inſertae ſunt eidem *Bibliothecae P. II. p. 410. ſqq.*

HALENSIS.

FRID. MADEWEISII Inauguratio Academiae Fridericianae, hoc eſt, Sala-Salomoneae. Halae 1694. *fol.*

* W. E. TENZELIVS in Monatl. Unterredungen anni 1694. *p. 513. - 597.* exponit hiſtoriam inaugurationis Academiae Halenſis.

ANDR. LVPPII Beſchreibung der Inauguration der Univerſität zu Halle. 1694. 4. *pl.* 11.

Bericht von der ſolennen Inauguration der Univerſität zu Halle, 1694. 4. *pl.* 4.

 * Be-

* Beschreibung der Ceremonien, mit welchen die neue Universität zu Halle den 1. Iunii 1694. inauguriret worden. Halle 1694. *fol. pl. 6.*

* Priuilegia Imperialia Vniuersitatis Fridericianae. Halae Magd. sumtibus Io. Frid. Zeitleri. 1694. *fol. pl. 3.*

Inauguratio Academiae Fridericianae siue Halensis, conscripta a CHRISTOPH. CELLARIO. Halae Magdeburgicae 1698. *fol. Alph. 2. pl. 4.*

Vid. recensens hunc librum *Tenzelius* in Monatl. Unterredungen anni 1698. *p. 569. sqq.* Recensetur item hoc opus in *Actis eruditorum 1698. p. 369. sqq.*

* Halensis Academiae historiam inde ab a. 1531. vsque ad a. 1694. descripsit IO. PETRVS de LVDEWIG, & Tomo II. *Consiliorum Hallensium ICtorum* praefixit, implentem paginas 96.

Quae ibi minus vere scripsit vir alioqui magnus de ortu huius Academiae, quaeque inuidiam erga *Thomasium*, *Stryckium*, & *Baierum* spirantia protulit, acriter notauit Gottingensis Historicus, *Io. Dauid. Koelerus*, Collega meus coniunctissimus, in der 22. Müntz-Belustigung anni 1735. Vtinam prodiisset CHRIST. THOMASII Ausführlicher Bericht von dem Anfange und Fortgange der Hällischen Universität biß zu völliger Stiftung und *Introducir*ung derselben: quem promisit in *P. II.* der Philos. und Jurist. Händel *p. 72. & 117.*

* Bericht dessen, was wegen der zwischen den Evangelisch-Lutherischen Geistlichen von der Universität und dem Stadt-Ministerio in Halle eine Zeit hero geschwebten Differencien durch von Sr. Churfürstlichen Durchlaucht zu Brandenburg verordnete Commission abgehandelt worden. Cölln an der Spree 1700. 4. *pl. 4. & dim.*

Conf.

Conf. *Speneri* Epiſtolae ad *Fiſcherum* in illius *Conſiliis Theologicis Latinis* p.780. & 781. & 782.

* Nomina Profeſſorum Halenſium anni 1702. exhibentur in *Nouis literariis Germaniae* 1703. p. 28. ſq.

Kurze Nachricht von der Stadt Halle, und abſonderlich von der Univerſität daſelbſt. Halle 1709. 8. *pl.* 11.

* FRIDERICVS LVCAE im Europäiſchen Helicon, Francof. 1711. 4. edito, *P. IV. Cap. VI. p.* 475. - 504. deſcribit *Fundationem & Inaugurationem Academiae Halenſis*, exhibens ſimul *Caeſarea Priuilegia.*

* Nomina Profeſſorum Academiae Halenſis anni 1726. exhibentur in *Bibliotheque Germanique* T. XII. p. 225.

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Halenſis anni 1734. exhibetur in *Actis Academicis* illius anni *p.* 277. *ſqq.*

* CHRISTIANVS FRID. HEMPELIVS in annotationibus ad GVNDLINGII *Hiſtoriam literariam T. III. p.* 3139. - 3164. ortum, inaugurationem, & progreſſum Halenſis Academiae deſcribit, producens etiam Papale & Caeſareum Priuilegia.

* Nomina hodiernorum Profeſſorum Halenſium exhibet GABR. WILH. GOETTENIVS *T. I.* des Jetztlebenden gelehrten Europa *p.* 343. *ſqq.* vbi & *p.* 346. - 440. vitae ſex Profeſſorum & ſcripta commemorantur.

MART. SCHMEIZELII (*Prof. Hal.*) Rechtſchaffener Academicus, oder Gründliche Anleitung, wie ein Academiſcher Student ſeine Studien und Leben gehörig einzurichten habe: nebſt einem Vorbericht 1. von dem Schulweſen in Teutſchland überhaupt, 2. von den Univerſitäten überhaupt, 3. von der zu Halle inſonderheit. Halle 1738. 8.

HARDERVICENSIS.

* Inauguratio, Leges & Statuta illuſtris Academiae Ducatus Gelriae & Comitatus Zutphaniae, Harderuici conſtitutae. Harderouici 1727. 4. *pl.* 4.

* Harderuicum antiquum, ofte Beſchryvinge der Stadt Harderwyck, t'ſamen - geſteld by Mr. IOHAN SCHRASSERT, Raad en Secretaris derſelver Stadt. Harderwyck 1730. 4. *Alph.* 1. *pl.* 10. *& dim.*

In huius libri *Cap. XX. p.* 94. - 104. deſcribitur hiſtoria Academiae, commemoranturque omnes eius Profeſſores, adiectis plurium memorabilibus. Altera huius Operis pars prodiit 1732. *Alph.* 1. *pl.* 2. Exſtat etiam huius *Ioannis Schrasſert*, *I. V. D. Commentatio ad Reformationem Velauiae*, Harderuici 1719. 4. quo in libro deſcribuntur iura Velauiae ciuilia, & ab auctore illuſtrantur.

HEIDELBERGENSIS.

* Scriptores de Acad. Heidelbergenſi commemorat GEORG. CHRIST. IOANNIS in *Praef.* ad *Dan. Parei Hiſtoriam Bauarico-Palatinam p.* 127. *ſq.*

GEORGII IOANNIS, Comitis Palatini Rheni, (*tum Rectoris Acad. honorarii,*) Oratio de Scholae Heidelbergenſis inſtauratione. Heidelbergae 1558. 4.

Laudat hanc Orationem *Ioannes Fabricius* in *Hiſtoria bibliothecae ſuae T. V. p.* 287. docetque, in ea laudari OTTONEM HENRICVM, Electorem Palatinum, inſtauratorem & amplificatorem huius Academiae.

GEORGII SOHNII (*Theol. D. & Prof.*) Oratio historica de fundatione & conseruatione Academiae Heidelbergensis, habita a. 1587. d. 30. Nouembris. Hanouiae 1607. 4.

Recusa exstat in *Henrici Caroli van Byler Libellorum variorum Fasciculo I.* Groningae a. 1733. edito, *num. III.* Eadem *Oratio* in linguam Germanicam translata a *Balth. Paumbachio*, S. Theol. D. & Hebr. linguae Professore Heidelbergensi, excusa fuit Heidelbergae 1615. 8.

D. QVIRINI REVTERI Iubileus primus Collegii Sapientiae, quod est Heidelbergae. Heidelb. 1606. 4.

MELCHIORIS ADAMI Monumentorum Heidelbergensium Apographum. Accedit Oratio habita in funere (a) *Marsilii ab Inghen*, primi Academiae Heidelbergensis Rectoris a. 1396. Heidelbergae 1612. 4.

Iubilaeus Academicus, celebratus in Academia Heidelbergensi. Ibidem 1618. 4.

* De ortu Heidelbergensis Academiae agit DANIEL PAREVS in *Historia Bauarico-Palatina*, a. 1632. atque iterum 1717. edita, *lib. IV. sect. 2. p. 166. sq.* qui & ibidem commemorat *RVPERTI iunioris* beneficia erga hanc Academiam. Idem *lib. VI. sect. 2. p. 297.* narrat, quae mutatio acciderit huic Academiae post mortem Electoris, FRIDERICI III.

* PETRI DE SPINA, Med. D. Oratio, cum renascentis Academiae Heidelbergensis Archiuum bono omine exhiberetur, habita Heidelbergae d. 19. Iulii. Francof. 1651. 4. *pl. 3. & dim.*

Fuit

(a) De huius viri *Quaestionibus super quatuor libros Sententiarum* vid. *Acta erudita Franconiae T. I. p. 193. sqq.*

Fuit hic cognominis filius *Petri de Spina*, Archiatri Palatini, & in Acad. Heidelb. Prof. Medicinae, a. 1622. exſtincti, cuius *Vitam* a *Balth. Venatore* ſcriptam edidit Biponti a. 1732. 4. *Georgius Chriſtianus Ioannis*: qui de filii *Petri de Spina*, Phyſici Francofurtani, a. 1656. ibi mortui, vita meritisque diſſertationem ſuam adiecit, in cuius *ſ. XVIII. p. 43.* exponit occaſionem laudatae *Orationis de Archiuo Heidelbergenſi*.

IO. HENR. HOTTINGERI Collegium Sapientiae reſtitutum, ſiue Oratio ſecularis de Collegio Sapientiae, quod Heidelbergae eſt. Acceſſerunt Notae eiusdem de Heidelbergenſis Academiae origine, progreſſu, priuilegiis. Heidelbergae 1656. 4.

Parnaſſus Heidelbergenſis, ſeu Icones omnium huius Academiae Profeſſorum, cum elogiis. Heidelb. 1660. *fol.*

* FRID. SPANHEMIVS in *Introductione ad Hiſtoriam ſacram*, editionis Francof. 1698. 4. *p. 474. ſq.* e tabulario publico deſcribit originem Academiae (a) Heidelbergenſis.

* De celebratione Feſti ſaecularis tertii a. 1686. d. 25. 26. & 27. Nouembris paucis agit IO. HENR. HEIDEGGERVS in *Vita Io. Ludouici Fabricii*, *Theologi ArchiPalatini*, huius *Operibus*, Tiguri 1698. 4. editis, annexa, *p. 103. ſq.*

Praeſagium de hoc Iubilaeo commemoratur in *Bibliotheca Hiſt. Philol. Theologica Bremenſi T. II. p. 597.*

* Catalogus Rectorum Vniuerſitatis Heidelbergenſis ab a. 1386. ad annum 1624. inſertus eſt TOLNERI *Codici diplomatico Palatino* 1700. *fol*, edito *p. 129.-132.*

DAVIDIS PAREI Hiſtoria Academiae Heidelbergenſis MSta.

Fuiſſe

(a) Hanc *primam Germaniae Academiam* appellat *Lehmannus Chron. Spir. lib. VII. cap. 38.*

Fuiſſe hanc in manibus *Caroli Lud. Tolneri* ac *Frid. Lucae*, apparet ex huius Europäiſchen Helicon *P. IV. cap. 6. p. 363.* & ex illius *Codice diplom. Palat. p. 123. 125. 127. 132.*

GEORGII FRANCI DE FRANCKENAV Oratio 1686. habita de ortu & progreſſu Vniuerſitatis antiquiſſimae in Germania, Heidelbergenſis. Heidelbergae 1687. 4.

* Profeſſores huius Academiae anni 1708. recenſentur in *Nouis literariis Germaniae 1708. p. 437. ſq.*

* Profeſſores huius Academiae anni 1736. recenſentur in *Actis Academicis 1737. p. 344. ſqq.*

HELMSTADIENSIS.

* Paedagogii illuſtris (a) Gandershemii Inauguratio, Conſtitutio, Claſſes, Leges. Accedunt tres Orationes tum habitae a *D. Nic. Selneccero*, *M. Adamo Byſſandro*, Rectore, & *M. Eſaia Preiſero*, Profeſſore. Henricopoli ad Wolferbytum 1571. 8. *pl. 14.*

* Programma, quo IVLIVS, Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, a. 1576. publicauit ſuum conſilium condendae Helmſtadii Academiae, inſeruit *Saxoniae* ſuae DAVID CHYTRAEVS *p. 639. 640. 641.* edit. Lipſ. 1599. *fol.*

Profeſſorum Vniuerſitatis Iuliae Hiſtorica narratio de illius introductione. Helmſt. 1579. 4.

Quae hoc volumine continentur, recenſet Io. Fabricius in *Hiſtoria bibliothecae* ſuae *T. V. p. 280. ſq.* Altera huius *Narrationis* editio debetur *D. Corn. Diet. Kochio*, tum Prorectori, qui hunc ei praefixit titulum: *Hiſtorica narratio de inauguratio-*

(a) Hoc translatum in vrbem Helmſtadium paulo poſt euaſit Academia Iulia.

ne Academiae Iuliae & promulgatione priuilegiorum a Maximiliano II. Imp. collatorum. Editio ſecunda. Helmſt. 1713. fol. pl. 3. & dim.

Fürſtliche Braunſchw. Lüneb. endliche Verordnung wegen abgeſchafften gänzlichen hochſchädlichen Pennal-Weſens auf der Fürſtl. Julius-Univerſität zu Helmſtädt. 1601. 4. *pl. 1.*

* HENR. MEIBOMII Oratio a. 1607. habita de Academiae Iuliae primordiis & incrementis.

Inſerta eſt Tomo tertio *Rerum Germanicarum* a *Meibomiis* collectarum, & Helmſt. 1688. editarum *p. 215.-223;* itemque *Variis Meibomii* (ſenioris) *opuſculis p. 520. ſqq.* Digna ſunt, quae hic inſerantur verba D. IOSIAE MARCI, Profeſſoris Iuris in Academia Ienenſi, poſtea Procancellarii Ducis Brunſuicenſis, IVLII, ad Ioan. Marbachium, Theologum Argentinenſem, a. 1580. ſcripta: quae epiſtola exſtat inter *Marbachianas*, a *Fechtio* editas, *p. 608. ſq.* Ibi *p. 609: His ex procellis*, inquit, (ex Academia Ienenſi) *in aulam ad officium Procancellariatus vocor a Duce Brunſuicenſi, IVLIO: vbi aliquantulum licuit reſpirare. Auctor ipſi fui, quod ſcholam Helmſtadii aperuit. Veſtrum* Erythraeum *magno ſane ſtipendio ad Profeſſionem Oratoriae conduxit. Quingenti enim thaleri annui ei fuerunt promiſſi cum penu locuplete, & donaticii nomine millia duo.*

M. CHRISTOPH. HEIDMANNI Orationes duae, quarum altera de Iuleo nouo ſiue illuſtri Muſarum aede in Academia Iulia ſplendide nuper dedicata, altera de beneficiis Ducum Brunſuicenſium in Academiam Iuliam & officio Academicorum. Helmſt. 1659. 4. *pl. 9.*

Prior habita & primum edita fuit a. 1612. poſterior 1613.

ANDREAE CLVDII, Prof. Iuris, Inauguratio ſplendidiſſimi noui Muſarum theatri in illuſtri Academia Iulia Helmſtadii, quam ex mandato Principis peregit. Francof. 1618. 4.

* Crypto-Papismus nouae Theologiae Helmstadiensis, das heimlich Pabstumb, in der neuen Helmstädtischen Theologen Schrifften ---- hin und wieder versteckt. ---- durch M. STATIVM BVSCHERVM, Pastorn zu S. AEgidien in Hannover. Hamburg. *pl. 11. in 4.*

* Idem duo similia Germanica scripta a. 1640. & 1641. edidit: quorum in vltimo etiam fata primi sui scripti exponit.

* Gründliche Widerlegung eines unwahrhafften Gedichts unterm Titul, Crypto-Papismus, &c. Erster Theil. Lüneburg 1641. 4. *pl. 19.* Ander Theil. Ibidem 1641. 4. *Alph. 2. pl. 6. & dim.*

CHRISTOPH. SCHRADERI Oratio ad Serenissimorum Ducum Br. & Lun. Illustres Legatos, visendae ordinandaeque Academiae Iuliae missos, qua aduentum gratulatur Cal. Nouemb. 1650.

HENR. IVLII SCHEVRLII Oratio ad eosdem Illustres Legatos, qua de negotio feliciter peracto & gratulatur & gratias agit d. XX. Nouembris 1650.

CHRISTOPH. SCHRADERI Oratio in solemni studiorum Academiae Iuliae instauratione habita ad Serenissi. Ducum --- Illustres Legatos a. 1652. 6. Id. Sextil.

EIVSDEM Oratio ad Serenissimorum Ducum Br. ac Luneb. --- Legatos, visendae ordinandaeque Academiae Iuliae tertium missos, habita XXI. Dec. a. 1654.

* IOACHIMI HILDEBRANDI, S. Theol. D. & Prof. ord. Enchiridion controuersiarum Helmstadiensium.

Possideo libellum hunc MS. quem a. 1653. dictante auctore calamo exceperunt auditores sui. Constat quadraginta sex paginis. Pertractantur singulares Theologorum Helmstadiensium, quas oppugnarunt Wittebergenses, doctrinae defenduntur que. Annexa est octo implens paginas Σκιαγραφία *sen-*

tentiarum & opinionum Theologorum Helmstadiensium, in quibus a reliquis nostris Theologis dissentiunt. Sunt istae sententiae numero septem & quinquaginta. Commemoratur Collegium, quod vocant, Hildebrandianum hoc etiam a Weismanno *Hist. Eccl. T. II. p. 1195.* vbi vsque ad *p. 1203.* potiora inde excerpta exhibet.

* D. IOACH. HILDEBRANDI Oratio de fundatione Academiae Iuliae, habita in eiusdem Academiae natali octogesimo secundo. Accessit HENR. MEIBOMII, olim Hist. Prof. Oratio de fundatione vrbis Helmstadiensis. Helmst. 1658. 4. *pl. 12.*

Haec *Meibomii* Oratio plane alia facie exhibetur in Tomo tertio Meibomiano *Rerum Germanicarum p. 224.* Prout enim Hildebrandus eam edidit, excepta fuerat ex ore dicentis. Quare illam, editioni quippe haud paratam, se non agnoscere pro aui sui foetu, testatur nepos Meibomius in Praefatione *p. 216.* laudati Tomi.

Pietas Academiae Iuliae, programmate publico Prorectoris & Senatus Academici aduersus calumnias tum aliorum, tum *D. AEgidii Strauchii.* Helmst. 1668. 4.

* Responsa duarum inclytarum Facultatum Iuridicarum, & vnius primarii Iurisconsulti, de Programmate *Laurentii Laurentini*, quod is vindicandae famae ac innocentiae *D. Georgii Calixti & D. Ioach. Hildebrandi* maledico & iniurioso *D. Abrahami Calouii* Programmati opposuit. Helmst. 1678. 4. *pl. 6. & dim.*

* Historia festi secularis solenniter celebrati Idibus Octobris 1676. ab Academia Iulia. Helmst. 1678. *fol. Alph. 2. pl. 22.*

CHRISTOPH. SCHRADERVM esse huius Historiae scriptorem, docet Io. Fabricius in *Hist. bibliothecae suae T. II. p. 517.*

517. vbi & recenſet adiecta ei monumenta. Inter haec *p. 256. ſqq.* proferuntur *Nomina Profeſſorum Academiae Iuliae, qui intra primos centum annos fuerunt.*

* GEBHARDI THEODORI MEIERI (*Prof. Theol.*) Monumenta Iulia, memorias Profeſſorum Helmſtadienſium, qui diem ſuum obierunt, exhibentia. Helmſt. 1680. 4. *Alph. 1. pl. 3.*

Exhibentur hic tantummodo Vitae Profeſſorum ordinis Theologici & Iuridici.

* CASP. COERBERI (*Prof.*) Oratio ad -- Illuſtres Legatos, Academiae Iuliae viſitatione feliciter perfunctos, habita XXI. Martii 1690.

Inſerta eſt *Clariſſimorum virorum ſelectis Orationibus*, Lipſiae a *Ioh. Erh. Kappio* editis, *p. 615. ſqq.*

* IO. FABRICII (*Prof. Theol. Helmſt.*) Oratio, a. 1698. d. 8. Dec. habita, de pietate & prudentia D. IVLII in condendis Statutis Theologicis Academiae ſuae.

Edita eſt ab auctore in *Amoenitatibus Theologicis* Helmſt. 1699. 4. *p. 772. - 795.* Hic etiam *p. 784. - 788.* commemorantur omnes, qui vsque ad annum 1697. in Acad. Iulia creati fuere *Doctores Theologiae.*

HERMANNI von der HARDT Oratio de nouis Academiae Iuliae dotibus, cum Prorectoris munus ſucceſſori traderet, d. XX. Iulii 1702. in publica panegyri dicta.

* Nomina Profeſſorum Helmſtadienſium anni 1703. exhibentur in *Nouis literariis Germaniae* 1703. *p. 73. ſq.*

Deſcriptio ordinationum, ſecundum quas cultus diuini in templo Academico, quod *Porta coeli* dicitur, ſunt peragendi. Helmſt. 1704.

* Tota inſerta eſt *Nouis literariis Germaniae* anni 1705. *p. 115. ſqq.*

* De ortu Academiae Iuliae agit PHIL. IVL. REHT. MEIERVS in *parte tertia* (a. 1710. edita) der Braunſchweigiſchen Kirchen Hiſtorie *Cap. VIII. Sect. VII. §. 1. - 5. p. 416. - 423.*

* IVSTI CHRISTOPH. BOEHMERI (*Prof.*) Memoriae Profeſſorum Helmſtadienſium in Medicorum ordine, qui diem ſuum obierunt. Guelferb. 1719. 4. *pl. 8.*

* Annales Academiae Iuliae, ex editis & MSS. monumentis compoſiti. Semeſtre primum. Brunsuici & Helmſt. 1722. 8. *pl. 13.* Semeſtre II. 1722. *pl. 12.* Semeſtre III. 1722. *pl. 13. & dim.* Semeſtre IV. 1713. *pl. 15. & dim.* Semeſtria V. VI. VII. & VIII. Helmſt. 1725. *pl. 13. & dim.* Semeſtre IX. 1725. *pl. 12.* Semeſtre X. 1726. *pl. 12.* Semeſtre XI. 1726. *pl. 12.* Semeſtre XII. 1727. *pl. 9.* Semeſtre XIII. 1727. *pl. 11.* Semeſtre XIV. 1728. *pl. 11.* Semeſtre XV. 1728. *pl. 13.*

Continentur haec *Semeſtria* tribus voluminibus, quorum ſingulis ſuus *Index* eſt adiectus. Initium huius operis fecit D. CORN. DIET. KOCHIVS, Philoſ. ac Theol. Prof. & quatuor abſoluit *Semeſtria.* Tum Spartam hanc nactus (deceſſerat enim *Kochius* a. 1724. d. 25. Octobris,) GOTTLIEB SAMVEL TREVERVS, Profeſſor tum Helmſtadienſis, nunc ICtus & Philoſophus Academiae Gottingenſis, impigre perrexit in hoc ſtadio per plures annos: qui & ſingulis *Semeſtribus* ab ſe confectis *Dedicationem* praepoſuit, eique nomen ſuum ſubſcripſit. Caeterum ne fallat titulus huius operis, credanturque hi eſſe annales Academiae Iuliae inde ab eius exordio, ſcias, hic tantum enarrari, quae geſta ibi ſunt illis annis, quibus hi *Annales* conſcribebantur.

CORN. DIET. KOCHII (*Prof.*) Oratio de Academia

mia Iulia disciplinarum emendatrice, dicta XV. Oct. natali Academiae CXLVIII. Helmst. 1723. 4. *pl.* 2.

* CHRISTIANI GOTTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programma, in quo Norimbergenses quosdam de Academia Iulia bene meritos recenset. Altorfii 1727. 4. *pl.* 1. *& dim.*

* ERHARDI REVSCHII, Eloq. & Poës. Prof. Historica narratio de sacris saecularibus, quae ob capita purioris doctrinae Augustae Vindelicorum a. 1530. reparata solemni festoque ritu iterum celebrabat Academia Iulia, subiunctis Programmatibus & Orationibus. Helmst. 1730. 4. *Alph.* 1. *pl.* 6.

* IVSTI CHRISTOPHORI BOEHMERI Memoriae Professorum Eloquentiae, quos habuit Academia Helmstadiensis, nunc primum editae a *Christophoro Augusto Heumanno*, D. Gottingae 1733. 4. *pl.* 3. *& dim.*

Compertum habeo, Boehmerum illum etiam caeterorum Philosophici ordinis Professorum vitas elaborasse: quas spero suis e tenebris aliquando prodituras esse in apricum publicum.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Helmstadiensis anni 1733. exhibetur in *Actis Academicis* eius anni *p.* 176. *sqq.*

* Nomina Professorum Helmstadiensium anni 1727. proferuntur in *Bibliotheque Germanique* T. XIII. *p.* 219. *sq.*

* Nomina hodiernorum Professorum Helmstadiensium recitat GABR. WILH. GOETTENIVS im Jetztlebenden gelehrten Europa *T. I.* (a. 1735. edito) *p.* 669. *sqq.* vbi & *p.* 672. - 750. aliquot Iuliae Professorum hodiernorum vitas enarrat.

HVE-

HVESCANA.

Vid. OSCENSIS.

IENENSIS.

* Scriptores de Academia Ienensi exhibent GEORGIVS CHRISTOPH. KREYSIGIVS in der Historischen Bibliothec von Ober-Sachsen *p.570. sqq.* & BVRC. GOTTH. STRVVIVS in *Bibliothecae Saxonicae P. III. Sect. I. §. 20.*

* IOANNIS STIGELII (*Professoris Ienensis,*) Oratio de causis, quare constituantur Academiae, habita Ienae in celeberrimo consessu Illustrissimorum Ducum Saxoniae, Principum, Comitum, Nobilitatis, & coetus Scholastici, cum publice recitarentur Priuilegia & Statuta Academiae Ienensis 2. die Februarii anno salutis M. D. LVIII. Eiusdem Stigelii Epistola, continens narrationem celebratae in hoc conventu pompae & spectaculorum. Ienae 1558. 4. *pl. 12.*

Recusa fuit sola *Epistola* a. 1590. & adiecta *Nic. Reusneri Panegyri*, quae mox nominabitur. Eadem *Epistola* vna cum subiectis carminibus exstat in B. G. Struuii *Bibliotheca librorum rariorum*, & quidem in *Theca prima p. 1.-32.:* in cuius *Bibliotheca antiqua* a. 1706. *p. 315. sqq.* etiam epitome exhibetur huius Epistolae. In eiusdem *Stigelii Poëmatum libro III.* (edito Ienae 1567. 8.) eiusque secundo libro, (est enim tertius liber rursus dissectus in tres libros,) *elegia secunda* est Programma *initio Academiae propositum*, *cum praelecturus esset* Oratorem Ciceronis & Virgilii Georgica. Ac plura sequuntur ibi metrica programmata Academica. *Elegia XV.* est ad *Ioannem* (a) *Schroeterum*, *Medicum*, *iturum ad Imp. Ferdinandum*, & *petiturum Priuilegia Academiae Ienensis.*

(a) Hic primus fuit Academiae Ienensis Rector.

* Frey-

* Freyheiten, Ordnungen, und Statuten der Löblichen Universität Jena, durch den Durchl. Hochgeb. Fürsten und Herrn, Herrn Johans Wilhelm, Herzogen zu Sachsen, rc. erneuert und publiciret a. 1569. am Tage Concordiae den 18. Febr. *pl. 5. in 4.*

* Fürhaltung des Durchl. Hochgeb. Fürsten und Herrn, Herrn Johans Wilhelm, H. z. S. so Ihre F. G. in deren Hof- und Land-Räthe Beywesen vor Verlesung und publicirung der Priuilegien, Statuten, und Ordnungen der Universität Ihena persönlich gethan haben am Tage Concordiae. 1569. *pl. 1. in 4.*

NIC. REVSNERI Panegyris Actus Doctorei Iurisconsultorum, celebrata solenniter in Academia Salana. Accessit IO. STIGELII Epistola de inauguratione Academiae Salanae. Ienae 1590. 4. *pl. 12.*

Recensetur haec Oratio panegyrica in Struuii *Bibliothecae antiqua anni 1706. p. 314. sq.* doceturque, hic Professores Academiae Ienensis inde ab initio commemorari, ac potissimum Iuris Professores laudari.

D. AMBROSII REVDENII (*Prof. Theol.*) Oratio de disciplina in Academia Ienensi. Ienae 1587. 4. *pl. 4.*

* ELIAE REVSNERI (*Prof. Hist.*) *Isagogae Historicae*, Ienae iterum a. 1609. 4. editae, annexus est *p. 631. - 635. Catalogus Rectorum Academiae Salanae.*

M. SAM. GVALTERI Historia breuis & Catalogus omnium a fundatione Professorum Academiae Ienensis, vna cum Gratulatione de Rectoratu ad *D. Salom. Glassium.* Ienae 1639. 4. *pl. 3.*

ADRIANI BEIERI (*Archidiaconi Ienensis,*) Nomenclator Rectorum & Professorum, quotquot in Academia Ienensi docuerunt. Ienae 1631. 12.

Recuſus fuit libellus hic a. 1652. & 1659. *in 12.* & ſemper auctus ad annum nouae editionis vsque.

EIVSDEM Syllabus Theologiae Doctorum & Licentiatorum in Salana promotorum. Ienae 1641. 12.

EIVSDEM Syllabus Doctorum & Licentiatorum, Ienae ab anno 1568. vsque ad annum 1652. promotorum. Ienae 1652. 12. *pl.* 2.

Gründlicher Bericht des bey der Univerſität Jena a. 1660. im Auguſto entſtandenen Tumults. Jena 1660. 4. *pl.* 4.

Exſtat etiam in *Diario Europaeo T. V. p. 205. ſq.*

Pennalismus proſcriptus profligatusque ab Academia Ienenſi. Ienae 1661. *fol. pl.* 5.

M. MICH. SCHWIMMERI (*poſtea Rectoris Scholae Rudolphopolitanae*,) Diſſ. de Academicis omnium Facultatum Profeſſoribus in Athenaeo Salano. Ienae 1671. 4.

* D. IO. MVSAEI Ableinung der ausgeſprengten abſcheulichen Verleumdung, ob ſey in Jena eine neue Secte, der Gewiſſener genannt, entſtanden. Jena 1674. 4. *pl.* 8.

Statim anno ſubſecuto recuſum ibidem fuit hoc ſcriptum, adiectis *Vindiciis ſacri codicis contra empaectam hunc, Matthiam* videlicet *Knuzenium*, qui ſe conditorem nouae *Conſcientiariorum* ſectae profeſſus fuerat. Vid. de illo Academiae Ienenſis dedecore Sagittarius *Introd. in Hiſt. eccl. cap. XXXIII. Sect. XIV. p. 879. ſq.* Mollerus *Iſag. in Hiſt. Cimbricam P. II. cap. 6. p. 166;* Baelius *Diction. Hiſt. Crit.* v. *Knutzen;* M. V. la Croze in ἀνωνύμως a. 1711. editis *Entretiens ſur divers ſujets d'Hiſtoire, de Litterature, de Religion, & de la Critique p. 400. - 417;* Unſchuldige Nachrichten a. 1703. *p. 570. ſqq.* Monatliche Auszüge zu Hannover a. 1702. *menſe Aprili p. 17.* Habeo MS. *Knuzenii* illius, appellantis ſe Hanß Friedrich von Vernunft, Colloquium (vix vnam plagulam, ſi excuderetur, impleturum,) ita

ita inſcriptum: Ein Geſpräch zwiſchen einem Lateiniſchen Gaſtgeber, und drey ungleichen Religions-Gäſten, gehalten zu Altenau, nicht weit von Hamburg.

CASP. SAGITTARII Clypeus veritatis & innocentiae, oſoribus & calumniatoribus Academiae Ienenſis oppoſitus. Ienae 1676. 4.

* M. Adrian Beiers Architectus Ienenſis, Abbildung der Jeniſchen Gebäude. Jena 1681. 8. *Alph. 2. pl. 6.*

Hic agitur *Cap. 43. 44.* & *45.* von der Univerſitäts-Kirche, *Cap. 52.* von dem Collegio der Univerſität, *Cap. 53.* von dem Univerſitäts-Conſiſtorio, *Cap. 54.* von den Auditoriis, *Cap. 55.* von der Bibliotheck, *Cap. 56.* von der Communität, *Cap. 57.* von dem Mediciniſchen Garten.

Erzehlung des Verlaufs, welchergeſtalt dem Durchlauchtigſten Johann Wilhelm, Herzog zu Sachſen, als Magnificentiſſimo das Regiment der Univerſität Jena a. 1688. übergeben worden. Jena 1688. *fol.* mit Kupfern.

* CASP. SAGITTARII Hiſtoria templi Ienenſis Academici. Accedunt Epitaphia & Inſcriptiones ſepulchrales huius templi: item Oratio de Ducibus Saxoniae, Academiae Ienenſis Rectoribus, & nonnulla alia. Ienae 1690. 4. *pl. 5.*

Prima huius opuſculi editio a. 1685. facta erat: eaque recenſetur in Jenaiſchen Monatlichen Nachrichten a. 1729. *p. 144.-154.* Tertia editio a. 1720. prodiit.

IDEM de Ienenſis Academiae ortu agit in *Hiſtoria IOANNIS FRIDERICI, Electoris Saxoniae,* a. 1678. edita, *§. XXIII.*

Jetztlebendes Jena. 1701. 12.

* IO. CHRISTOPH. OLEARIVS in *Syntagmate rerum Thuringicarum*, ſcripto Germanico, Francof. & Lipſ.

 1704.

1704. 4. edito, *p.* 209.-220. deſcribit ortum Ienenſis Academiae, ſimulque nomina recitat ſingulorum omnis aetatis Profeſſorum.

* Nomina Profeſſorum Ienenſium anni 1704. exhibentur in huius anni *Nouis literariis Germaniae p.* 228. *ſq.*

* BVRC. GOTTH. STRVVII Hiſtoria & Memorabilia Bibliothecae (*Academicae*) Ienenſis.

Inſerta eſt a D. Io. Andr. Schmidio *Collectioni* tertiae librorum *de bibliothecis*, Helmſt. 1705. 4. editae, *p.* 279.-292. Erat Struuius illo tempore, quo haec ſcribebat, bibliothecae illi praefectus. Quare melius nemo ſcribere de ea poterat.

* IO. CASP. ZEVMERI Vitae Profeſſorum Theologiae omnium, qui in Academia Ienenſi ab ipſius fundatione ad noſtra vsque tempora vixerunt, vna cum ſcriptis ab ipſis editis recenſitae. Ienae 1704. 8. *pl.* 17.

* EIVSDEM Vitae Profeſſorum Iurium omnium, qui in Academia Ienenſi, *caetera.* Ienae 1705. 8. *pl.* 18.

Omiſſus eſt in vtriusque libri titulo annus impreſſionis. Mihi autem, qui tum Ienae degebam, annus iſte haud eſt incognitus. Ac ipſe auctor Dedicationi *Vitis ICtorum* praemiſſae ſubſcripſit *Prid. Cal. Aug. MDCCV.* Poſtea etiam Medicae & Philoſophicae Facultatis Profeſſorum Vitas ſcriptorumque catalogos confecit *Zeumerus* hic: quas poſt eius mortem vna cum prioribus Vitis coniuncte edidit *Weiſenbornius.* En titulum:

M. IO. CASP. ZEVMERI (*Paſtoris Eccleſiae cuiusdam paganae in vicinia Ienae,*) Vitae Profeſſorum Ienenſium, cum Praefatione M. CHRISTOPH. WEISENBORNII. Ienae 1711. 8. *Alph.* 2. *pl.* 12.

Recensetur haec editio in *Act. erud. Suppl. T. V. p. 272. sqq.* Naeui autem huius operis indicantur in Jenaischen Monatlichen Nachrichten anni 1727. *p. 443. sq.*

* IO. FRANC. BVDDEI Oratio de prouidentiae diuinae circa Academiae Ienensis conseruationem documentis, Ienae d. 6. Aug. 1708. habita.

Inserta est eius *Miscellaneorum sacrorum* Parti primae *p. 453. sqq.* Conf. Unschuldige Nachrichten a. 1725. *p. 422.*

*BARTHOL. CHRISTIANI RICHARDI (*Bibliothecarii Ienensis,*) Commentatio de vita & scriptis Professorum hodie in Academia Ienensi publice docentium. Ienae 1710. 8. *pl. 8.*

Naeui huius libelli indicantur in Jenaischen Monatlichen Nachrichten anni 1727. *p. 439.*

Jenaisches Ehren-Gedächtniß, wobey die berühmtesten Lehrer bey allen Facultäten dieser Universität, von Anfang ihrer Fundation biß auf jetzige Zeit, aufgerichtet und an das Licht gestellet worden von einem, welcher In Geneigtem Andencken Schutz und Ruhe suchet. Jena 1710. 4. *pl. 2. & dim.*

Est liber metricus, auctorem habens M. IO. GEORGIVM ANSORGIVM. Recensetur libellus hic in Jenaischen Monatlichen Nachrichten anni 1727. *p. 434. sqq.*

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programmata (*separatim edita*) tria, in quibus recenset Norimbergenses quosdam de Academia Ienensi bene meritos. Altorfii 1717. & 1718. 4. *pl. 5. & dim.*

* M. NIC. GRINSII Iena bis iubilans, siue Iubilaeum duplex a. 1617. & 1717. celebratum. Ienae 1717. 8. *pl. 4.*

* IO. ANTONII STRVBBERGII Diarium Salanum, ſeu Acta literaria Academiae Ienenſis anni MDCCXX. Ienae 1720. 8. Tomi II. *Alph.* 1. *pl.* 4.

Hic *p.* 193. - 238. exhibetur *Catalogus & Biographia omnium Theologiae Profeſſorum Ienenſium*: & *p.* 364. -- 411. *omnium Ienenſium Iurisprudentiae Profeſſorum* inde ab ortu Academiae. Ac prior Catalogus eodem anno ibidem ſeparatim eſt editus (*in* 8. *pl.* 3.) hoc praeſcripto titulo: *Io. Anthonii Strubbergii Series Profeſſorum Theologiae, qui in illuſtri Academia Ienenſi ab illius fundatione ad noſtra vsque tempora vixerunt & adhuc viuunt.*

* M. DAN. GODOFR. WERNERI, Ordini Philoſophorum in Acad. Ienenſi adſcripti, Epiſtola de Societate Exquirentium (a) ad elegantes Scripturarum explicationes, per Academicas Exercitationes aliosque minutiores libellos diſperſas, apte colligendas in vnum corpus & ab interitu vindicandas inſtituta. Ienae 1725. 4. *pl.* 2.

De hac Societate vid. etiam Jenaiſche Monatliche Nachrichten anni 1726. *p.* 76. *ſqq.* & anni 1729. *p.* 260. *ſqq.* quo poſteriore loco & cauſa affertur, cur conſilium hoc euanuerit.

* Monatliche Nachrichten von gelehrten Leuten und Schriften, beſonders dem gegenwärtigen Zuſtande der Univerſität Jena. *Ianuarius --- December*, 1726. Jena 8. *Alph.* 3.

Auctores

(a) Ad Hiſtoriam Academiae Ienenſis etiam aliae tres Societates literariae pertinent. Nata enim eſt a. 1672. patre IO. ANDR. BOSIO *Societas Disquirentium*: quam poſtea praeſides habuiſſe *Schilterum & I. A. Schmidium*, teſtis eſt Struuius *Introd. in notit. rei lit. Cap. X.* §. 31. Agit de eadem Voekerodius *Introd. in notit. Societ. lit. P. I, cap.* 2. § 3. *p.* 31. docens, eam nomen geſſiſſe *Societatis Inquirentium.* Idem §. 4. *p.* 32. & Struuius §. 30. mentionem faciunt inſtitutae in eadem Academia a. 1672 ab ERH. WEIGELIO *Societatis Pythagoricae.* Ac ipſe hic STRVVIVS auctor fuit Societatis alicuius literariae, de qua vid. *Noua literaria* Hamburgi 1703. edita *p.* 60. qui & a. 1707. inſtituit *Conuerſationem literariam*, cuius ſocios iudicauit in Programmate illo anno edito *de doctis Atheis.*

Auctores huius Diarii DAN. GOTTFR. WERNERVS, nunc Gymn. Stargard. Rector ac Prof. & IO. CHRISTOPH. KOECHERVS, Rector nunc Gymnasii Osnabrugensis, & S. Theol. Doctor: quibus subinde auxiliatrices manus praebebant MART. SCHMEIZELIVS, Ienensis tum Professor, & IO. ANDR. FABRICIVS, Adiunctus Facultatis Philosophicae. In singulis huius anni mensibus vnum Caput est ita inscriptum: Nachricht von dem Zustande und den Neuigkeiten der Universität Jena.

* Monatliche Nachrichten rc. Jena 1727. 8. *Alph. 1. pl. 14.*

* Monatliche Nachrichten rc. Jena 1729. 8. Menses sex. *pl.* 19.

Duobus his in fasciculis praeter *Noua Academiae Ienensis literaria* exhibetur singulare per singulos menses Caput (cuius auctor est SCHMEIZELIVS,) veterem eius historiam illustrans. Et, quia hic labor anno 1728. cessauerat, anni 1729. *pagg. 247.-257.* tituli proferuntur Disputationum & Programmatum Ienae anno illo 1728. editorum.

* In *Bibliotheque Germanique* (quod opus partitim a Berolinensibus viris quibusdam doctissimis editur,) T. *XVII. p.* 221. *sq.* nominantur Professores Ienenses anni 1728.

* Der gesamten Theologischen Facultät zu Jena Gründliche und Protocollmäßige Ablehnung der wider die Universität Jena, und insonderheit besagte Facultät, bißhero ausgesprengte Verleumdungen. Jena 1729. 4. *pl. 8.*

In der Fortgesetzten Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen anni 1729. *p. 999.* indicatur, ante hanc Apologiam editum fuisse carmen vnius plagulae ita inscriptum: Klage, Ach und Wehe über die Pietistische Unruhe zu Jena.

* Er.

* Erneuerte Jenaische Jubel-Freude, in einer ausführlichen Erzehlung alles dessen, was bey der Jenaischen Kirche und Universität zu Feierung des andern Augspurgischen Confeßions Jubel-Festes vorgenommen worden, beschrieben --- von *M.* Friedrich Andreas Hallbauer, der Philos. Facultät Adiuncto. Jena 1730. 8. *Alph. 1. pl. 3.*

* Das in dem Jahr 1733. blühende Jena, darinnen von dem Ursprung der Stadt, Stiftung der Universität, und was sonsten zu dieser gehörig, besonders das Leben der Gelehrten, erzehlet wird. Jena in 8. *pl. 5.*

* Thüringische Nachrichten von gelehrten Sachen, sonderlich der Universität Jena. Jena 1734. 1735. 1736. 8.

Auctor est IO. ANDR. FABRICIVS, Professor Ienensis adiunctus, recensens subindeque censura seueriori excipiens nouissimos libros, Dissertationes, Orationes, siue Ienae sive alibi Thuringiae editas. Fuerunt tamen & alii, qui symbolas adiicerent suas. Initio singulis hebdomadibus dimidia plagula, deinceps singulae plagulae, tertio anno singulis mensibus binae plagulae emittebantur. Cum autem laborem hunc plus odii sequeretur, quam fauoris, auctor vltra triennium illud non est progressus.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Ienensis anni 1734. exhibetur in *Actis Academicis* (Lipsiae editis) eius anni *p. 51. sqq.*

* Nomina hodiernorum Professorum Ienensium exhibet GABR. WILH. GOETTENIVS im Jetztlebenden Gelehrten Europa *T. II. p. 775. sqq.* qui & vitas singulorum, addito scriptorum cuiusque catalogo, describit partim in illo, partim in primo Tomo.

* Inauguratio Ienensis Academiae describitur a CHRISTIANO SCHLEGELIO in *Vita Casparis Aquilae*, a. 1737. edita, *Cap. 68. p. 489.-493.*

INGOL-

INGOLSTADIENSIS.

* Academia Ingolſtadienſis, carmine illuſtrata a VITO IACOBAEO, P. L. Poëtices in eadem Prof. Ord. Ingolſt. 1562. 4. *pl. 6.*

Complectitur hic libellus genere elegiaco non inconcinne ſcripta epigrammata & elogia in Academiae Patronos & Profeſſores omnes eo tempore florentes, nec non XIII. tetraſticha in Profeſſores defunctos.

Ordo ſtudiorum & Lectionum in quatuor Facultatibus apud Academiam Ingolſtadienſem, auctoritate ALBERTI, Ducis Bauariae, renouatus. Ingolſt. 1571. 4.

MARTINI EISENGREIN Oratio, qua nomine ALBERTI, Ducis Bauariae, Curſus philoſophici ac Paedagogii in Academia Ingolſtadienſi inſtauratio eiusque rationes ac cauſae proponuntur. Ingolſt. 1571. 4.

Huius *Eiſengreinii*, Theol. Prof. & Procancellarii Ingolſtadienſis, *Vita* nuper copioſe expoſita eſt in *Parnaſſo Boico Cap. 136. 145.* & *151.* Ibidem vberrime deſcripta exſtat *Ioannis Eccii*, Goliathi illius Ingolſtadienſis, Vita *Cap. 74. 81. 87. 109. 118. 122.* & *131.*

Orationum Ingolſtadienſium Tomus primus. Ingolſt. 1571. 8.

Tria Orationum Volumina edidiſſe *Albertum Hungerum*, Theologum Ingolſtadienſem, teſtis eſt *Wittenius* in *Diario biographico* ad a. 1604. d. 11. Febr. Inter has hiſtoriam Acad. Ingolſtadienſis potiſſimum illuſtrant Tomi primi ſeptima, & Tomi ſecundi trigeſima nona. An hae *Orationes* differant ab *Orationibus Ingolſtadienſibus*, quas a *Val. Rotmaro* editas fuisſe, docetur in Arbeiten der Gelehrten im Reiche *p. 503*, non ſatis ſcio. Puto tamen, non differre.

VALENTINI ROTMARI Annales Academiae Ingolſtadienſis, in duas diuiſi partes, quarum prior Acclamationes ad Illuſtriſſimos Principes, & Scholae tum Patronos, tum Profeſſores; poſterior Rectorum ſeriem, celebriores perſonas, & acta memorabilia complectitur. Ingolſt. 1580. 4. *Alph.*2.

In Arbeiten der Gelehrten im Reiche *P. VI. p. 504.* hic titulus profertur, ſed ſimul *p. 505.* indicatur, Rotmarum luculentius poſtea & copioſius deſcribere aggreſſum eſſe hiſtoriam Academiae Ingolſtadienſis, ac ſubſecuto anno hoc edidiſſe opus:

* Almae Ingolſtadienſis Academiae Tomus primus, in ſeptem diuiſus partes, quarum I. acclamationes poëticas, II. Cancellarios & Procancellarios Ampliſſimos, III. Principes Illuſtriſſimos, IV. Comites Illuſtres, V. Barones Generoſos, VI. Archiepiſcopos & Epiſcopos Reuerendiſſimos, VII. Profeſſores SS. Theologiae Venerandos complectitur: inchoatus primum a M. VALENTINO ROTMARO, P. L. & Eloq. Prof. ord. iam vero poſt immaturum ipſius obitum accurate fideliterque abſolutus a M. IOANNE ENGERDO, SS. Theol. Bacc. P. L. ac Poëſios Prof. ord. Ingolſtadii 1581. 4.

Conſtat hic liber, qui nuper meas incidit in manus, ipſis duobus alphabetis, exceptis Prolegomenis. Optat, hoc opus continuari, *Franc. Ioſ. Grienwaldtius* in Praef. ad *Bauariam* ſuam *Iatricam p. 3.* Idem (id quod certo cognoui,) Rotmariani huius operis recenſionem inſeruit den Arbeiten der Gelehrten im Reiche *P. VI. p. 501. ſq.* & *p. 508.-520.* Hic & *p. 502.* docet, tam rarum eſſe librum hunc in Bauaria, vt ne in Academiae quidem Ingolſtadienſis bibliotheca reperiatur. Obſeruat idem, adiectum huic operi eſſe Indicem locupletiſſimum, cum alter Rotmari liber, a. 1580. editus, Indice careat.

CHRI-

CHRISTOPHORI FERS Catalogus librorum Bibliothecae Academiae Ingolſtadienſis. Ingolſt. 1605. fol.

* WIGVLEVS HVNDIVS in *Metropolis Salisburgenſis* Tomo ſecundo editionis Gewoldianae *p. 289. - 301.* hiſtoriam deſcribit Vniuerſitatis Ingolſtadienſis, ſimul exhibens plurium Paparum Bullas huc pertinentes: quibus anneƈtenda Bulla Papae *Pauli V.* quae in tertio Tomo reperitur *p. 197. ſqq.*

Hiſtoria horti Botanici & Exercitiorum publicorum Philoſophico-Medicorum, quae in Alma Eleƈtorali Vniuerſitate Ingolſtadienſi recens ereƈta ſunt a Facultate Academico-Medica. Ingolſt. 1723. 4.

*Recenſetur hic liber in *Parnaſſo Boico*, oder Neu-eröffneten Muſen-Berge (edito Monachii a. 1722. & ſequentibus *in 8.*) *Cap. 68. P. II. p. 247. ſqq.*

* Album Bauariae Iatricae, ſeu Catalogus Medicorum, qui ſuis in Bauaria ſcriptis Medicinam exornarunt, in hodiernam vsque lucem continuatus, ſtudio & labore FRANC. IOS. GRIENWALDT, AA. LL. & Med. Doƈt. Monachii 1733. 8. *pl. 10. & dim.*

In hoc libro (quem in *Aƈtis eruditorum* anni 1734. recenſui *p. 332. ſq.*) etiam Ingolſtadienſis Academiae Profeſſores commemorantur eorumque ſcripta. In concluſione *p. 148.* pollicetur auƈtor, ſe cum notis editurum, qui adhuc in ſcriniis delitescat, libellum *Francisci Ignatii Thiermairii*, Med. Prof. Ingolſt. *de ortu & progreſſu inclytae Facultatis Medicae Ingolſtadianae;* eumque continuaturum eſſe vsque ad hanc noſtram aetatem. Addit tamen, *Thiermairium* pleraque hauſiſſe e *Rotmaro* & *Iacobaeo.*

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof. Altorf.*) Schediasma, quo Norimbergenſes quosdam,

qui olim in incluta Academia Ingolſtadienſi inclaruerunt, commemorat. Altorfii 1723. 4. *pl.* 2.

KILONIENSIS.

* Eigentlicher Bericht von den Proceßionen, ſo bey Inauguration der neuen Holſteiniſchen Academie zu Kiel A. 1665. gehalten worden. Kiel 1665. 4. *pl. 1.*

Recuſus eſt hic libellulus in *Tenzelii* Monatlichen Unterredungen anni 1694. *p. 956. - 968.*

Inaugurationis huius Academiae ſolennia deſcribuntur in *Theatro Europaeo T. IX. p. 1493. ſqq.*

* CAESONIS GRAMMII, Med. D. & in Acad. Kil. Phyſiologiae & Graec. lit. Profeſſoris, Chilonium, nouus Holſatiae Parnaſſus. Slesuici 1665. 4. *pl. 12.*

Io. Mollerus Iſag. ad Hiſt. Cherſoneſi Cimbricae P. III. p. 365. docet, *deſcriptionem hanc mere topographicam eſſe, non hiſtoricam.*

DAN. GEORGII MORHOFII Oratio Panegyrica, in laudem CHRISTIANI ALBERTI, Ducis Holſatiae, Kilonienſis Academiae fundatoris, in huius Inauguratione d. 6. Oct. anni 1665. recitata. Kil. 1666. fol.

Recuſa eſt inter eius *Orationes*, Hamburgi 1698. 8. editas, *p. 1. - 33.*

* EIVSDEM Deſcriptio Actorum Promotionis in omnibus Facultatibus Academiae Kilonienſis, d. 22. Ian. 1666. inſtitutae. Kilonii 1666. fol.

Recuſa reperitur in eius *Diſſertationibus Academicis*, Hamburgi 1699. 4. editis, *p. 161. - 234.*

Ver-

Veranlassungs-Entwurf, warum S. Hochf. Durchl. Hertzog Christian Albrecht aus der Bordesholmischen Triuial-Schule eine Academie gestiftet, und selbe nach der Stadt Kiel verleget, auch woher die dazu erfoderten Kosten dero Zeit genommen worden, und fürbaß hergenommen werden können. 1667.

Memoratur hoc scriptum in *Henr. Muhlii*, Theologi Kiloniensis, *Dissertationibus Historico-Theologicis*, Kiliae 1715. 4. editis, *p. 539.* Ac haec occasio fuit *Muhlio*, *Historiam* scribendi *Coenobii Bordesholmensis*, quae ibidem reperitur *p. 473. sqq.*

* Academiae in Cimbrica Chersoneso a FRIDERICO, Duce Holsatiae, meditatae, & a CHRISTIANO ALBERTO, filio eius, Kiloniae fundatae, Inaugurationis Panegyrica Descriptio. Authore ALEXANDRO IVLIO TORQVATO *a Frang.* Barone & Colonello. Kil. 1666. *fol. Alph. 6. pl. 18.*

Volumen hoc, tredecim constans Partibus, & plurimis figuris aeneis ornatum, recenset *Mollerus Isag. in Hist. Chersonesi Cimbricae P. III. p. 372. sqq.* auctorem eius nominans *Baronem in Noui, Chiliarcham Suedicum.* Eum natione Illyricum, & Suecorum ad Cossacos legatum fuisse, scripsisse item *Vitam Koenigsmarckii* & *Mercurium fatidicum*, docet Spenerus *Consil. Lat. P. I. p. 151.*

* D. IO. DAN. MAIORIS (*Anat. & Botan. Prof.*) Historia Anatomes Kiloniensis primae. Kil. 1666. *fol. pl. 6. & dim.*

• Professores Kilonienses anni 1699. recensentur in eius anni *Nouis literariis Maris Balthici p. 61. sq.*

* SEBASTIANI KORTHOLTI (*Prof.*) Dissertatio de bibliotheca Academiae Kiloniensis. Kil. 1705. 4. *pl. 2.*

Laudat ibi *librum MS. in quo omnes ac ſingulae cauſae explicate indicantur, quarum impulſu Sereniſſ. Princeps*, Chriſtianus Albertus, *abrogato ludo Bordesholmenſi fundamenta huius Academiae iecerit.*

* REGLEMENT und Verordnung, welche im Nahmen und auf gnädigſten Befehl Jhro Königl. Hoheit und Hochf. Durchl. die von Deroſelben bey der Univerſität Kiel gnädigſt beſtellte Perpetui Viſitatores & Inſpectores, Geheimder Raths-Praeſident *Magnus* von Wedderkop, und General-Superintendens *D. Henricus Muhlius*, publiciren laſſen.

Reperitur ſcriptum hoc inter *Muhlii Diſſertationes Hiſtorico-Theologicas p. 257. -- 272.* Quia, in eo iuſto maiorem ſentiendi libertatem indultam eſſe Profeſſoribus Kilonienſibus, nonnulli criminabantur, ad iuſtitiam indulgentiae illius defendendam Oratio a. 1713. d. 5. Oct. fuit habita a *Muhlio*, quae ibidem occurrit *p. 209. -- 255.*

* SEBAST. KORTHOLTI, Prof. ac Bibliothecae Curatoris, Programma, in quo eos, quorum beneficio & nata & aucta eſt Bibliotheca Academiae Kilonienſis, nominatim laudat. Kil. 1709. 4. *pl.* 1.

* D. HENR. MVHLII Oratio de dignitate & officio Procancellarii in Academia Kilienſi, d. 5. Apr. a. 1714. habita.

Exſtat in eius *Diſſert. Hiſt. Theol. p. 313. - 357.*

* Profeſſores Kilonienſes anni 1728. recenſentur in *Bibliotheque Germanique T. XVII. p. 228. ſq.*

GOTTFR. HENR. ELENDII, I. V. Lic. Programma, in quo Vitae ICtorum, qui in Chriſtiano - Albertina floruerunt, breuiter delineantur. Kil. 1734. 4. *pl.* 2.

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Kilo-

Kilonienfis anni 1734. exhibetur in *Actis Academicis* eius anni *p.* 21. *fqq.*

* Nomina hodiernorum Profefforum Kilonienfium repraefentat G. W. GOETTENIVS im Jetztlebenden Europa *T.* *I.* *p.* 201. *fq.*

LAVSANNENSIS.

* Academiae Laufannenfis ftatus a. 1720.

Exftat in *Biblioth. Hift. Philol. Theol. Bremenfi T. IV. p.* 675. -- 682. Ab ipfius illius Academiae Profefforibus contextus eft hic libellus, continens breuem cuiusque biographiam, ac notitiam librorum a fingulis editorum.

* Eiusdem Profeffores anni 1730. recenfentur in *Bibliotheque Germanique T. XXI. p.* 220.

In eiusdem *Bibliothecae T. XX. p.* 221. ABR. RVCHATVS promittit librum huius tituli:

Hiftoire litteraire de l' Academie de Laufanne depuis fa fondation jusqu' à nôtre temps.

LIMENSIS.

Iefuitica haec Academia a. 1621. condita eft in Americae regione Peruana.

Hypomnema Apologeticum pro Academia Limenfi. Limae 1648. 4.

Franciscum a Cruce, Dominicanum, (qui a. 1665. mortuus eft,) fuiffe *Profefforem Theologiae S. Thomae* in Gymnafio Limenfi, & *Collegii S. Thomae* eiusdem vrbis fundatorem, docet NIC. ANTONIVS *Biblioth. Hifp. T. I. p.* 319.

LIPSI-

LIPSIENSIS.

CONRADI de WIMPINA libri duo Carminum de Vniuersitate & Ciuitate Lipzensi.

Huius scripti notitiam debeo scriptori συγχρόνῳ, cuius *Centuriam Scriptorum in Acad. Lips. Witteb. & Francof. vsque ad a. 1515. florentium* Maderus edidit, §. 75. Alia quoque carmina, cum adhuc Lipsiae degeret, edidisse Wimpinam, factum postea Francofurtanae Academiae Theologum, ibique a. 1531. mortuum, cognosces ex Latinis *Nouis literariis*, Lipsiae a. 1723. vulgatis, & quidem e *p. 123*.

* HERMANNI BVSCHII Lipsica, siue de laude cultuque vrbis Lipsiensis Sylua. Lipsae 1504.

Iterum editum fuit carmen hoc ibidem a. 1521. cum scholiis *Philippi Noueniani* in 4. Vtriusque editionis mentionem facit *Burckhardus* in *Vita Buschii p. 171.* qui & *p. 177. sqq.* eam exhibet huius carminis partem, quae laudes continet Lipsiensis Academiae. Tertium separatim edidit hoc carmen a. 1727. *Io. Burc. Menckenius*, cum Decanus Facultatis Philosophicae inuitaret ad audiendam Orationem anniuersariam, memoriae Io. Christiani Geieri, D. Martini filii, dicatam. Verum omisit scholia Noueniani, sibi, vt apparet, incognita.

RICHARDI CROCI Encomium Academiae Lipsiensis.

Memoratur hoc a *Iac. Thomasio* in epistola quadam, cuius fragmentum producitur a *Struuio* in *Actis literariis fascic. VII. p. 42.* Ibidem Thomasius commemorat

D. IO. MAIORIS Carmen de Lipsia, &

M. VIRGILII WELLENDORFFERI, Salisburgensis, Eleutherologium, siue Libertates Studentum Lipsiensium, Lipsiae 1516. editum:

docet-

docetque, ibi etiam agi de priuilegiis Magiſtrorum & Do-ctorum, deque Legibus & Statutis Academiae Lipſienſis.

* Centuria (*anonymi*) Scriptorum inſignium, qui in celeberrimis, praeſertim Lipſienſi, Wittebergenſi, & Francofordiana, Academiis floruerunt vsque ad annum 1515: edita a *Io. Ioach. Madero.* Helmſt. 1660. 4. *pl. 9. & dim.*

* PHIL. MELANCHTHONIS Hiſtoria breuis Academiae Lipſienſis.

Exſtat in Tomo quinto *Declamationum* eius, edit. Witteb. 1572. *p. 375. ſqq.*

* Orationes a IO. PFEFFINGERO & HENR. SALMVTHO, Theologis in Acad. Lipſ. annis diuerſis pronuntiatae, cum ab iis pro antiquo more Rectores ex Bauarica, quam vocant, natione, ſolenni conuentu indicto, ſubditis commendarentur viri clariſſimi, *Ioach. Camerarius*, Papebergenſis, *Henr. Salmuth*, Suinfurtenſis, *Io. Homilius*, Memmingenſis, *Leonh. Lycius*, Hippolſteinenſis, *Vict. Strigelius*, Kaufbeierenſis, *Io. Stromerus*, Aurbachius, *Ge. Musbachius*, Suinfurtenſis: collectae & editae a IO. SALMVTHO, S. Theol. Lic. Serueſtae 1588. 4. *pl. 10.*

* IO. FRIDERICI, Franci, Hiſt. Prof. de origine, incrementis, atque fortuna Academiae Lipſicae Panegyricus ſaecularis, dictus in aede Paulina in natali die ducenteſimo eiusdem Academiae, qui incidit in diem IV. Decembris. Lipſiae 1610. 4. *pl. 6.*

Orationem hanc recudendam, ac *Dauidis Peiferi Lipſiae*, a. 1689. editae, annectendam curauit *Adamus Rechenbergius.*

* D. IO. HEINTZII Oratio Iubilaea de ſingularum Profeſſionum Medicarum in Academia Lipſienſi initiis ac

incrementis, vt & gemina Decanorum, qui vltra CC. annos in eadem floruerunt, Enneade. Lipſiae 1631. 4. *pl. 6.*

* IEREMIAE WEBERI Lipſia Paradiſus, hoc eſt, Collatio Academiae Lipſienſis cum Paradiſo. Lipſ. 1639. 12.

Hic libellus poſtea annexus eſt *Weberi* illius Evangeliſchem Leipzig, edito Lipſ. 1698. 12.

ZACH. SCHNEIDERI Chronicon Lipſienſe. Lipſ. 1655. 4.

Hic acta Academiae ſatis diligenter enarrantur: & *p. 322. ſq.* ſeries exhibetur Rectorum Academiae Lipſienſis. Caeterum ad Academicas *Schneideri* hiſtorias animaduerſiones exhibentur in *Chriſt. Thomaſii* Hiſtorie der Weißheit und Thorheit *P. II. p. 55.--62.* & *p. 83.--129.*

* Chur- und Fürſtliches Sächſiſches Viſitation-Decret die Univerſität Leipzig betreffend, de anno 1658.

Exhibetur a Thomaſio in der Hiſtorie der Weißheit und Thorheit *P. III. p. 46.-- 113.*

* DAVID PEIFERVS in *Lipſiae* ſuae, a. 1689. a *Rechenbergio* editae, *libro tertio* §. *XI. ſqq.* Academiae originem, iura, collegia, & leges recenſet.

* HENRICVS PIPPINGIVS in Diſſertatione primum a. 1701. edita, deinde *Exercitationibus* ſuis *Academicis*, Lipſiae 1708. 8. editis, annexa, *p. 426.*--488. recenſet ordine Rectores Lipſienſis Academiae vsque ad annum 1700.

M. IO. HENR. ERNESTI Oratio de Profeſſoribus Poëticis per ſaeculum XVII. in Acad. Lipſ. docentibus. Lipſiae 1702.

Eiusdem Programma de Profeſſoribus Acad. Lipſ. Ethicis.

Eius-

Eiusdem Programma de Professoribus Acad. Lipſ. Oratoriis.

* Professores Lipsienses anni 1703. recensentur in eius anni *Nouis literariis Germaniae p. 257. sq. & 343. sq.*

Kurze Nachricht von der Stadt Leipzig, und absonderlich von der Universität daselbst. Halle 1709. 8. *pl. 10.*

HIERONYMI DICELII (*Prof. Lipſ.*) Academia Lipsiensis rediuiua, siue Monumenta Iubilaei secularia. Lipſ. 1709. 8. *Alph. 1. pl. 4.*

M. IO. GOTTL. HOFFMANNI, Past. Tauch. Schediasma de IO. HOFFMANNO, primo Academiae Lipsiensis auctore & Professore. Lipſ. 1710. 4. *pl.* 3.

Historische Beschreibung der Universität Leipzig. Lipſ. 1710. 8.

Autor in *Praef.* nominatur G. C. LEHMIVS.

Das dritte Jubel-Fest der Universität Leipzig, mit Historischer Feder entworfen. Leipz. 1710. *pl. 13. in 4.*

* Confectum esse hoc scriptum a V. C. *Io. Gottl. Krausio*, docet *Kreysigius* in der Historischen Bibliotheck von Ober-Sachsen *p. 554.* vbi *p. 553.--558.* exhibet *Scriptores Academiae Lipsiensis*, vti scribit, hoc est, scriptores de illa Academia. Minor autem futurus erat catalogus hic, si omisisset Vitas plurium Professorum separatim expositas, e. g. *Ittigii*, *Camerarii*. Recte igitur omisit hos Vitarum singularium scriptores *Struuius* in sua recensione Scriptorum de Acad. Lipsiensi, quae reperitur in ipsius *Bibliotheca Saxonica P. I. Sect. III. §. 4. p. 84. sqq.*

* Beschreibung des Leipziger dritten Academici Iubilaei, nebst allen seinen Solennitäten, wie es den 4. Dec. 1709. gehalten worden. Jena 1710. 4. *pl. 5.*

Bericht von der Universität Leipzig, und ihrem d. 4. Dec. 1709. dritten Iubilaeo, nebst D. Gottfr. Olearii Jubel-Predigt. Leipz. 1709. 4. *pl. 8.*

* Das jetztlebende Leipzig. 1713. 12. *pl. 3. & dim.*

* Das Anno 1713. florirende Leipzig. 1713. 8. *pl. 5. & dim.*

In IO. IAC. VOGELII Leipzigischen *Annalibus*, Lipsiae 1714. editis, multa occurrunt ad Academiae historiam pertinentia. Vid. ibi *p. 48. 63. 93. 152. 188. 243.*

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programma, in quo Norimbergenses nonnullos de Academia Lipsiensi bene meritos recenset. Altorfii 1714. 4. *pl.* 1.

* CHRISTOPH. ERN. Siculs Leipziger Jahr-Buch über die Jahre 1715.--1721. Lipf. 1716.--1722. 12.

* De Academiae Lipsiensis Iubilaeo Reformationis a. 1717. celebrato vid. *Hilaria Euangelica*, ab *E. S. Cypriano edita*, *P. I. p.* 115.--139.

* CHRIST. THOMASII Versuch von Annalibus von a. 1409. biß 1629. von Ursprung und Fortgang der Universitäten in Teutschland, sonderlich zu Leipzig und Wittenberg. Halle 1717. 4. *Alph.* 1. *pl.* 10.

Annexum est hoc scriptum edito a. 1717. a Thomasio *Testamento* (Germanice scripto) *Melchioris Ossii.*

* D. ANDR. QVIRINI RIVINI Programma, in quo exhibentur omnes Facultatis Medicae Decani in Academia Lipsiensi. Lipf. 1719. 4. *pl.* 2.

Eundem induxisse in animum componere Historiam Academiae Lipsiensis, Vitasque Professorum eius omnium, docetur in Gelehrten Zeitungen anni 1720. *p. 40.*

* Acta Lipsiensium Academica, oder Leipziger Universitäts-Geschichte, welche den gegenwärtigen Zustand der Academischen Gelehrsamkeit auf der Universität Leipzig sorgfältig eröfnen. Leipzig 1723. 8. *Alph. 2. pl. 5.*

Septem Partibus constat Opus hoc, quarum septima, quae postrema est, annexosque habet *Indices*, a. 1724. prodiit.

* Das frolockende Leipzig, oder Solennia, so bey Sr. Königl. Majestät in Pohlen und Churfürstl. Durchl. zu Sachsen hohem Anwesen und höchstvergnügt gefeyerten Geburts-Tage auf der Universität daselbst ergangen; gesammlet und beschrieben von Christoph Ernst Siculn. Leipzig 1727. 4. *pl.* 10.

* EIVSDEM das thränende Leipzig, oder Solennia Lipsiensia, womit Jhro Königl. Maj. --- Frauen Christianen Eberhardinen, Königin in Polen, --- höchstseliges Ableben auf der Universität daselbst öffentlich bejammert worden. Leipzig 1727. 4. *pl. 4. & dim.*

* In *Bibliotheque Germaniquè T. XV. p. 205. sq.* nominatim proferuntur omnes Professores Lipsienses anni 1727.

MICH. HENR. GRIBNERI Programma de primo Academiae Lipsiensis Cancellario. Lips. 1731. 4. *pl. 3.*

* Elenchus Professorum Lipsiensium anni 1733. exhibetur in *Actis Academicis* anni eius *p. 22. sq.* & *p. 269. sqq.*

* Nomina Professorum Lipsiensium anni 1736. exhibet GABR. WILH. GOETTENIVS im Jetztlebenden Gelehrten Europa *T. II. p. 777. sqq.* quo eodem in Tomo Vitae exponuntur plurium, adiecto librorum cuiusque Catalogo.

LOVANIENSIS.

* MARTINI V. Papae, & IOANNIS IV. Brabantiae Ducis, diplomata, quibus a. 1426. instituta est haec Academia, exhibet MIRAEVS in *Operum diplomaticorum* Tomo primo *p.* 223. *sq.* & 225. *sqq.*

MARTINI DORPII (a) Oratio de laudibus omnium disciplinarum & amoenissimi Louanii Academiaeque Louaniensis. Louanii 1514. 4.

* NICOLAI CVRTII Elegiarum liber primus, de Academia & vrbe Louaniensi, ad D. Viglium Zwichemum ab Aytta, Belgii Consilii Praesidem. Louanii 1574. 8. *pl.* 4.

Vltimo in folio exhibetur *Hadr. Barlandi Carmen de laudibus amoenissimi Louanii. Curtii* versus (b) sunt elegantissimi. Ad proprium libri argumentum quod attinet, *p. 12.* incipit canere de Musis Louaniensibus; *p. 13.* laudat Collegium Lovanii a *Viglio* conditum; *p. 15.* aliud a *Petro van Dale* exstructum; *p. 37. 38. 39.* aliquot clariores huius Academiae Theologos laudat; *p. 40. 41. 42.* Professores Iuris; *p.* 44. & 45. Professores Medicinae; *p. 46.* & *47.* Professores aliquot Collegii Philosophici. Caeterae paginae implentur digressiunculis iure poetico.

* IVSTI LIPSII Louanium, id est, oppidi & Academiae eius descriptio. Libri tres. Antuerpiae 1605. 4.

Inser-

(a) Erat hic Academiae Louaniensis Theologus, de quo vberiorem petas notitiam ex *Hardtii Historia literaria Reformationis P. I. p. 74. sqq.* & e *Fabricii Biblioth. Latina mediae & infimae aetatis lib. IV. p. 185. sqq.* Erasmi & Thomae Mori ad eum Epistolae annexae sunt *Erasmi Moriae p. 352. -- 475.* edit. Amstelod. 1629. 16.

(b) Eiusdem *Curtii* exstant Carmina *de infinitis Ecclesiae Catholicae malis* ad Marcardum, Episcopum Augustanum, edita Bambergae 1576. 8. *pl. 3. & dim.*

Infertum eft hoc opus *Operibus omnibus Lipfii* Vefaliae 1675. editis, & quidem Tomo tertio.

ANDR. CATVLLII Prometheus, fiue Vrbis & Academiae Louanienfis Encomium. Louanii 1613. 4.

NIC. VERNVLAEI de Academia Louanienfi libri tres, in quibus eius origo, incrementum, forma, magiftratus, Facultates, priuilegia, fcholae, Collegia, viri illuftres, res geftae, defcribuntur. Louanii 1627. 4.

Idem de hac Academia differit in *Orationum* fuarum *quarta.*

Fafti Doctorales Iuris vtriusque, hoc eft, Doctores & Profeffores Facultatis Iuris vtriusque, quotquot in Academia Louanienfi fupremum hunc titulum adepti funt aut aliunde attulerunt. Louanii 1629. 4.

* De hac Academia agit ABR. GOELNIZIVS in *Itinerario Gallico-Belgico*, Lugd. Bat. 1631. edito, *p. 105. -- 110.*

VALERII ANDREAE Fafti Academici Studii generalis Louanienfis, id eft, origo & inftitutio, Rectores, Cancellarius, Conferuatores, Doctores & Profeffores, Fundatores & Benefactores, resque aliquot memorabiles eiusdem Vniuerfitatis. Editio aucta. Louanii 1650.

Prior editio ibidem prodierat a. 1635. 4. De vtraque editione vid. Io. Chriftoph. Coleri *Anthologia p. 237. fqq.* & *402.* ac *Poecile* mea *T. II. p. 392.* & *T. III. p. 41.* & *46.*

IO. BAPT. GRAMMAYE, Antuerpienfis, liber de Academia Louanienfi.

Nomina Profefforum, quos a. 1697. habuit Louanienfis Academia, proferuntur in (Hamburgifchen) Hiftorifchen *Remarques* ad iftum annum *p. 110.*

CLE-

CLEMENTIS XI. Papae Epiſtola ad Academiam Lovanienſem, in qua ei praecipit, vt, quia Sedi Apoſtolicae ſubiecta ſit immediate, non aliam, quam quae ab illa Sede proficiſcatur, viſitationem admittat.

Exſtat inter huius Pontificis *Epiſtolas & Breuia*, Romae 1724. *fol.* edita, *T. I. p. 91. ſq.*

Celebrauit haec Academia Iubilaeum ſuum a. 1726. qua occaſione quae ſcripta ſunt edita, eorum nullum meos venit ſub oculos.

LVGDVNENSIS Batauorum.

IO. KVCHLINI Erectio, Inauguratio, Legesque Collegii Theologici, nuper in Academia Lugdunenſi Batauorum inſtituti, vna cum Oratione in eiusdem Seminarii inauguratione. Lugd. Bat. 1593. 4.

Huius Collegii primus *Regens*, vt vocant, fuit ille *Kuchlinus*, cuius inter ſucceſſores fuit magnus ille *Voſſius*, qui hac occaſione vſus eſt ad tot ſcripta Theologica concinnanda emittendaque. Plura de Collegio ſeu Seminario hoc lege ſis in *Franc. Fabricii Notis* ad *Orationem* ſuam in *natalem* huius Academiae *CL. p. 8.*

Hortus publicus Academiae Lugduno-Batauae, eius ichnographia, deſcriptio, vſus: opera PETRI PAAW, horti praeſidis. Lugd. B. 1601. 8.

Icones virorum clarorum, qui Academiam Lugduno-Batauam illuſtrarunt. Lugd. Bat. 1609. *fol.*

* Alma Academia Leidenſis, id eſt, icones atque vitae Principum Aurangiae, Academiae fundatorum, Curatorum, & Profeſſorum, cum Horti Academici, Bibliothe-

cae,

cae, & Theatri Anatomici deſcriptione. Lugd. Bat. 1614. 4. *Alph.* 1. *pl.* 13.

Plenus eſt hic liber effigierum aeri venuſtiſſime inciſarum.

* PETRVS CVNAEVS in *Orationum* ſuarum *prima* ortum deſcribit Leidenſis Academiae.

Etiam in Germania noſtra ſemel iterumque editae ſunt terſiſſimae hae *Orationes*.

* IO. MEVRSII Athenae Batauae, ſiue de vrbe Leidenſi, Academia, & viris claris, qui in ea floruerunt. Lugd. Bat. 1625. 4.

Recuſus hic liber eſt a. 1633.

Priuilegia & Statuta Academiae Leidenſis. 1654. 4. Ex officina Elzeuiriana.

MART. SCHOOCKIVS in *Belgio foederato lib. XVI. cap.* 2. agit de Academia Lugdunenſi.

FLORENTII SCHVYLII Catalogus plantarum horti Academici Lugduno-Bataui. 1672. 12.

IANI GROENENDICII Carmen elegiacum, conſecratum ſempiterno honori praeſtantiſſimorum virorum, qui ſtrenue nec ſine gloria, pro conſeruanda patria, vrbe, Academia, Studioſi Lugd. Bat. bonorum gaudio militauerunt. Leidae 1672.

Adducit *Carmen* hoc *Franc. Fabricius in Oratione in natalem Academiae CL. a. 1725. habita p. 32.* Nummus etiam cuſus fuit in hanc Studioſorum fortitudinem, quem *Benthemius* aeri inciſum exhibet in *P. II.* des Holländiſchen Kirchen-und Schulen-Staats inter *p. 36.* & *37.* In altera eius facie ſcopum nummi haec verba patefaciunt: SEMPITERNO HONORI STVDIOSI MILITIS.

MARTINI SOERMANNI Index Profeſſorum Academiarum Leidenſis & Vltraiectinae. Belgice. 1704. 8.

* Profeſſores Acad. Lugd. Bat. anni 1706. recenſentur in *Nouis literariis Germaniae 1706. p. 189. ſq.*

* FRANCISCI FABRICII (Theol. Prof.) Oratio in natalem centeſimum & quinquageſimum, ſiue annum Iubilaeum tertium Academiae Batauae, quae eſt Lugduni Batauorum, habita d. 8. Febr. 1725. Lugd. B. 1725. *pl. 10.*

In hac *Oratione* concinno compendio exponitur hiſtoria & ſtatus iſtius Academiae. Etiam in ſubiectis *Notis* pulchre illuſtratur huius Athenaei hiſtoria. Vide, quaeſo, recenſionem meam in *Actis eruditorum Suppl. T. IX. p. 129. ſqq.*

* PETRI BVRMANNI Carmen elegiacum, in celeberrima panegyri, quae ad decorandum Academiae centeſimum & quinquageſimum natalem die VIII. Febr. clↄ Iↄ ccxxv. conuenerat, dictum. Leidae 1725. 4. *pl. 2. & dim.*

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Lugduno-Batauae anni 1732. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1733. *p. 83. ſqq.*

LVGDVNENSIS Galliae.

Hiſtoire de l' Vniverſité de Lyon, & du College de Medicine, faiſant vne partie d' icelle, avec les privileges des Profeſſeurs: Harangue de LAZARE MEYSSONIER, Profeſſeur en Medicine, Lyon 1644. 4.

LVN-

LVNDINENSIS.

Beschreibung, wie die Universität zu Lunden in Schonen d. 28. Ianuarii 1668. fundiret und introduciret worden.

Exstat in *Relationibus historicis Francofurtensibus* anni 1668. *p. 46. sqq.*

D. PETRI WINSTRVPII Oratio de Academiis in genere, & praecipue de Academia Carolina Londinensi. Londini Scanorum 1668. 4.

De ea quoque agit D. NIC. BECKMANNVS (*Iuris in ea Prof. & famosus Pufendorfii antagonista,*) in *Doctrina Iuris p. 35. sq.*

* In *Actis literariis Sueciae* a. 1721. 1722. & 1723. editis simul describuntur acta nouissima Academiae Lundinensis.

* Professores Academiae Londinensis in Scania anni 1698. recensentur in *Nouis literariis Maris Balthici* eo anno editis *p. 160. sq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Lundinensis anni 1728. exstat im andern Stück der Schwedischen Bibliotheck edit. 1728. 4. *p. 305. sqq.* In eiusdem prima Parte *p. 235. sq.* & quarta Parte, a. 1730. edita, *p. 363. sqq.* acta huius Academiae exhibentur nouissima.

In ANDR. IOACH. AB HENEL dem *A.* 1729. florirenden Schweden, Lubecae 1729. 4. edito, *p. 235. sq.* catalogus exhibetur Professorum huius anni Lundinensium.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Lundinensis in Scania anni 1736. insertus est *Actis Academicis* illius anni *p. 346. sq.*

MACERATENSIS.

PAVLI III. Inſtitutio Studii generalis in ciuitate Maceratenſi prouinciae Piceni Status eccleſiaſtici.

Exhibetur haec a. 1540. Kal. Iun. data Bulla in CHERVBINI *Bullario Romano T. I. p. 534.*

MARBVRGENSIS.

M. REINHARDI LORICHII, Hadamarii, Encomium Academiae Marpurgenſis.

Exſtat primo loco inter *Panegyricos huius Academiae*, Marp. 1590. 8. editos.

* PETRI NIGIDII (*Prof.*) Elenchus Profeſſorum Academiae Marpurgenſis. Marpurgi 1591. 8. *pl. 6. & dim.*

Sunt carmina elegiaca, quibus ſingulorum Profeſſorum vitae laudesque deſcribuntur.

HIERONYMI SIVERTI Encomium Marpurgi. Marp. 1645. 4.

* IO. HARTMANNI KORNMANNI, I. V. D. & moralis ciuilisque philoſophiae in Acad. Marp. Prof. Hypotypoſis Paliliorum Academiae Marpurgenſis, hoc eſt, Solennia, quibus inauguratio Academiae Marpurgenſis, a PHILIPPO Magnanimo, Haſſiae Landgrauio, fundatae, ſed non ita pridem, fatali illa ſtatus publici in Haſſia cataſtrophe, exſtinctae, & nunc GVILIELMI VI. Haſſiae Landgrauii, auſpiciis nouiter rurſum erectae, delineatur. Caſſellis 1653. 4.

Habet hic liber 458. paginas. Fuit noua illa inauguratio peracta d. 16. Iulii 1653.

IO. IVSTI PISTORII Propylaeum Athenaei Hassiaci, exhibens Elenchum Professorum in Marpurgensi & Giessensi Academiis. Giessae 1665. 4. *pl. 3.*

* Rectoratus Academici Marpurgensis Ephemeris historica, in qua anni 1670. obseruata fere singulorum dierum ratione, memoriae causa summa breuitate exhibentur capita & summae rerum publice gestarum ab ARNOLDO MAVRICIO HOLTERMANNO, I. V. D. & Prof. Rectore tum temporis Magnifico. Marpurgi 1671. 8. *pl. 13.*

* Professores Marpurgenses anni 1703. recensentur in eius anni *Nouis literariis Germaniae p. 149. sq.*

* De ortu atque incrementis, variisque fatis Academiae Marpurgensis agit IO IVSTVS WINKELMANNVS in der Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld, Bremae 1711. *fol.* edita, *P. IV. cap. 7. p. 440. sqq.*

Ibidem *p. 455. sqq.* exhibetur Catalogus Professorum Marpurgensium.

IO. HENR. SCHMINCKII (*Prof.*) Dissertatio de origine & fatis Academiae Marpurgensis. Marp. 1717. 4.

* Kurtze Historie der vormahligen und gegenwärtigen Gelehrtheit derer Hessen. Trimestre primum. 1725. 8.

Hic initio describitur historia Academiae Marpurgensis. De auctoribus huius operis vid. Gelehrte Zeitungen 1726. *p. 222.*

* IO. TILEMANNI, dicti SCHENCK, Prof. Philos. practicae, Vitae Professorum Theologiae, qui in Academia Marpurgensi ad nostra vsque tempora docuerunt. Marpurgi 1727. 4. *Alph. 1. pl. 13.*

* D. IO. STEVBERI (*Theol. Prof.*) Oratio saecularis, omnes Academiae Marburgensis Theologiae Professores ab a. 1527. ad a. 1627. exhibens.

Inseruit eam D. *Io. Georgius Estor* seinen Kleinen Schriften *P. III. n. VII. p. 601. -- 641.* Idem ESTOR componere constituerat *Vitas Marburgensium Professorum omnium*, ac iam tres euulgarat. Vid. Gelehrte Zeitungen anni *1726. p. 222. & 554.* Verum semel egressus hoc stadio, nunquam videtur ad telam illam pertexendam se rursus accincturus esse.

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Marburgensis anni 1733. exhibetur in eius anni *Actis Academicis p. 237. sqq.*

* Nomina Professorum Marburgensium anni 1736. profert G. W. GOETTENIVS im Jetztlebenden gelehrten Europa *T. II. p. 797. sqq.* qui ibidem *p. 692. sqq.* copiosissime exponit vitam & scripta *Christiani Wolfii*, Professoris Marburgensis quam laudati ab his, tam culpati ab illis, & ab vtrisque quidem enormiter.

* Documentirte Geschichts-Erzehlung, und daraus fliessende Rechtliche Demonstration, daß die vom Land-Grafen Philippo Magnanimo -- fundirte -- Universität zu Marburg -- A. 1650. gäntzlich aufgehoben, dahergegen von dem Fürstlichen Hause Hessen-Cassel A. 1653. die jetzige neue Universität daselbst einseitig aufgerichtet worden, *&c.* Darmstatt 1738. *fol. pl. 10.*

MESSANENSIS.

De Academiae Messanensis ortu agit NICOLAVS ORLANDINVS in *libro VIII. Historiae Societatis Iesu*, Romae editae 1615. & Antuerpiae 1620. *fol.*

MEXI-

MEXICANA.

Huius praesentem statum describit IO. FRANC. GEMELLVS CARERVS in *Itinerarii* sui *vniuersalis* T. VI.

Conf. *Acta erud. Suppl. T. VIII. p. 302.*

MOGVNTINA.

* NICOLAVS SERARIVS in libri primi *Rerum Moguntinarum* Capite XXXIV. agit de Academia Moguntina.

Iuxta Capitis huius finem nouus editor, GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS, *p. 109.* pollicebatur, se in singulari Dissertatione pluribus acturum de Moguntina Academia eiusque Rectoribus. Verum id, quod sciam, haud praestitit: quo tamen nemo melius exsequi poterat hocce consilium. Prodiit ista editio Francofurti 1722. *fol.*

MOLSHEIMENSIS.

Patrum Iesuitarum Panegyricus Molsheimensis, quatuor libris constans, quorum primus extollit Academias ab vtilitate; secundus LEOPOLDI Austriaci, Molsheimensem Academiam fundantis, siue amplificantis potius & ditantis, familiam; tertius Alsatiam inferiorem, in qua erecta; quartus Societatem Iesuiticam, cui gubernanda est tradita. Molshemii 1618. 4.

ADAMI CONTZENII, Soc. Iesu, Oratio de noua Academia tuenda & augenda. Ibidem 1618. 4.

Inauguralia Collegii Soc. Iesu Molshemensis, solennibus

nibus feriis encaeniorum templi Deo consecrati, Academiae recens publicatae, & Doctoralium honorum collatione celebrata. Molshemii 1619. 4.

Academiam hanc eo consilio esse conditam, vt eradicaretur Lutherana religio, docet *Andr. Carolus Memorab. eccles. saeculi XVII. lib. II. cap. 44. p. 451. sq.* & *Heideggerus* in *Historia Papatus* §. 225.

THEOPHILI ELLYCHNII Relatio ex Parnasso, darinnen 1. ein Proceß zwischen der neuen Academie zu Molßheim und denen alten Academien am Rhein-Strohm, 2. ein Gespräch über dem Programmate zur Promotion sechs Doctorum allda, *&c.* Straßburg 1619. 4.

Hoc sub nomine quis lateat, docet Placcius in *Theatro Pseudonymorum n. 916. p. 250.* Vid. & *Berneggeri* Epistola *Richterianis* adiuncta *p. 756.*

* De Academiae Molshemensis translatione a. 1702. facta in vrbem Argentoratum vid. *Noua literaria Germaniae 1703. p. 108. & 325.*

MONTEPESSVLANA.

IO. STEPHANVS STROBELBERGERVS *Historiae* suae *Monspeliensi*, Noribergae 1625. *in 12.* editae, adiecit *Descriptionem breuem Scholae Monspeliensis*, *Vitas Professorum eius*, *Ritus & Priuilegia.*

IAC. PRIMEROSII Academia Monspeliensis, & Laurus Monspeliaca. Oxonii 1631. 4.

* De hac Academia agit ABR. GOELNIZIVS in *Itinerario Gallico-Belgico*, Lugd. Bat. 1631. edito, *p. 566. -- 570.*

S. CVR-

S. CVRTADI Oratio de Monſpelienſi Medicorum Vniuerſitate. Simul Priuilegia Apoſtolica & Regia, & Encomia de eadem Vniuerſitate. Monſpelii 1645. 4.

Centonis κακογραφίας Diffibulatio, in qua pleraque Diplomata Pontificia & Regia Academiae Monſpelienſis falſi conuincuntur. Pariſiis 1646. 4.

Recherches curieuſes ſur les ecoles en Medicine de Montpellier, par IEAN RIOLAN. Pariſ. 1651. 8.

* De origine huius Academiae agit BVLAEVS *Hiſt. Vniuerſ. Pariſ. T. III. p. 488. ſq.*

MVSSIPONTANA.

GREGORII XIII. Papae Bulla fundationis huius Academiae a. 1572. data exſtat in *Bullario magno Romano T. II. p. 365.*

Erectio & Fundatio Generalis Studii ſeu Academiae priuilegiatae Pontismuſſani in Lotharingia. Pontismuſſi 1583. *in 12.*

Erectio & Statuta Vniuerſitatis Muſſipontanae Societatis Ieſu. Muſſiponti 1612. 8.

* Nouum Profeſſorem Chirurgiae in hac Academia fuiſſe a. 1708. conſtitutum, docetur in *Nouis literariis Germaniae 1708. p. 305.*

NANNETENSIS.

Creation, Inſtitution, Fondation, & Privileges de l' Vniverſité de Nantes par le Pape Pie II. & par Francois II. dernier Duc de Bretagne, avec les Lettres des Rois de

France pour la confirmation des dits Privileges. Nantes 1650. 4.

Les Privileges Apoſtoliques & Roiaux de la Faculté des Arts de l'Vniverſité de Nantes. Nantes 1657. 4.

NEAPOLITANA.

IVLII CAESARIS CAPACCII Antiquitates & Hiſtoriae Neapolitanae, in quibus Reip. Ducum, religionis, Gymnaſii, ---- notitia continetur. Neapoli 1607. 4.

* Recuſus eſt hic liber in Burmanniano *Theſauro Scriptorum Italiae T. IX. P. II.*

ANELLI de RVGERIO, Salernitani, Soc. Ieſu, Theatrum Neapolitanae literaturae, quae eſt Oratio in inſtauratione ſtudiorum. Neapoli 1617.

PIETRO LA SENA dell' antico Ginnaſio Napoletano. Roma 1641. 4.

* Recuſum eſt hoc opus Neapoli 1688. 4. *Alph. 1. pl. 6.* Quae editio recenſetur in *Actis eruditorum 1689. p. 251. ſqq.* Caeterum falletur, quisquis hoc in libro quaerit Academiae Neapolitanae hiſtoriam. Deſcribit enim auctor vetuſtiſſimam certaminum gymnicorum hac in vrbe conditionem ſub Imp. Auguſto & eius ad Diocletianum vsque ſucceſſoribus: imo ad Vlyſſis vsque tempora regreditur, quem Neapolitano fuisſe in Gymnaſio, ſibi perſuadet. De hodierna huius vrbis Academia ne γρῦ quidem hic.

* C. E. BVLAEVS in *Hiſtoriae Vniuerſitatis Pariſienſis* Tomo tertio *p. 115. ſqq.* agit de inſtitutione Academiae Neapolitanae.

* NI-

* NICOLAI TOPPII & LEONARDI NICODEMI Biblioteca Napoletana. *Italice.* Napoli 1678. *fol.*

* De hodierno Neapolitanae Academiae ſtatu quaedam profert IO. BAPT. CAPASSVS, Medicus Neapolitanus, in *Hiſtoriae Philoſophiae*, Neapoli a. 1728. 4. editae, *lib. IV. cap. 14. p. 452.*

NEMAVSENSIS.

CLAVDII BADVELLI Opuſculum de Collegio & Vniuerſitate Nemauſenſi. Lugduni 1540. 8. & Lugd. Bat. 1552.

Academiae Nemauſenſis Leges, a. 1582. inſtauratae & emendatae. Nemauſi 1582. 4.

OENIPONTANA.

* Acta quaedam Academiae Oenipontanae deſcribuntur in *Nouis literariis Germaniae 1707. p. 275. ſqq.*

OSCENSIS.

MARTINI MONTER DE CVEVA Propugnaculum pro Gymnaſio vrbis Oſcenſis.

Scilicet (ita pergit producto hoc titulo Nic. Antonius *Bibl. Hiſp. T. II. p. 86.*) *euitando praeiudicio, quod huic ſcholae, noua ſi erigeretur Caeſaraugustae ſchola, creabatur, hoc opus ad eos, quorum curae res erat, direxit. Sed repoſuit pro Caeſaraugustanis IOANNES GASPAR ORIGAS.* Poſterioris huius operis titulum ſupra vide ſub CAESARAVGVSTANA.

OSNABRVGENSIS.

Academia Carolina Osnabrugensis, siue Athenaeum Christianum virtutis & eruditionis encyclopaediae acquirendae a CAROLO M. Imp. in vrbe Osnabrugensi ante octingentos annos institutum, nunc recenter ab Illustriss. & Reuerendiss. Principe ac Domino, D. FRANCISCO GVILIELMO, Episcopo Osnabrugensi, Mindensi, & Verdensi, &c. restitutum ac dotatum, nec non a S. D. N. VRBANO Papa VIII. approbatum, atque ab Inuictiss. Imp. FERDINANDO II. confirmatum a. MDCXXX. Osnabrugae 1630. *fol.*

* De hac breuissimi temporis Academia agit AENOPETRANVS WESTPHALVS, cuius **Zufällige Gedancken von Academien, bey Aufrichtung einer neuen Academie zu Göttingen in einem Send-Schreiben an den hochberühmten Jenischen Professor und Polyhistor, Herrn Gottlieb Stollen, eröfnet,** Ienae prodierunt 1734. 4. *pl. 3.*

Hoc nomen adsciuerat clarissimus Gymnasii Osnabrugensis Rector, & nunc S. Theol. Doctor, IO. CHRISTOPH. KOECHERVS, *AEnopetranus*, hoc est, *Lobensteiniensis:* cuius nuper elaboratum de Osnabrugensi Academia libellum tuis nunc, LECTOR, oculis subiicio.

IOANNIS CHRISTOPHORI KOECHERI

S. THEOL. D. ET GYMN. OSNABR. RECT.

HISTORIA ACADEMIAE OSNABRVGENSIS,

nunc primum edita.

I.

Quantum hiſtoriae Academicae praeſidii afferat, quantum tenebrarum in illa diſpellat notio Academiae, verbis accurate definita, vel OSNABRVGENSIS ACADEMIAE, multorum ſermonibus celebratae partim, partim obſcurae paucisque orbis eruditi ciuibus cognitae, exemplo cognoſci clariſſime & comprobari poteſt.

II.

Diu eſt, quod Osnabrugum inter vrbes Academiis exſplendeſcentes nonnulli retulerunt. Agmen in his ducit *Hermannus Hamelmannus*, ſaepe multumque de Academia quadam Osnabrugenſi verba (a) faciens. *Chriſtianus Iunckerus*, Academias ſaeculo nono conditas enumerans, in harum numero

(a) In *Dedicationibus* Tract. *de antiqua Weſtphalia, Libro V. virorum Weſtphaliae ſcriptis & doctrina illuſtrium*, item *duobus Chronici Osnabrugenſis libris* praemiſſis, *pag. 22. 214. 565. 574. Opp. Hiſtor.*

mero & Osnabrugenſem (b) adſcribit. In aliis praeterea monumentis publicis, alio huius hiſtoriae loco producendis, mox *Academiae Carolinae*, mox *veteris Academiae Carolinae*, quae Osnabrugi quondam floruerit, ſemel iterumque fit mentio.

III.

Quaenam vero & qualis fuit iſta Academia, qua vrbem Osnabrugum ornaſſe Carolus Magnus dicitur? En *Albertum Crantzium* id edocturum nos his (c) verbis: *Cumque hanc inſignem eccleſiam Osnabrugenſem moliretur, vſu venit Carolo M. vt multo mercaretur, habuiſſe tum ſe viros linguae Graecae gnaros, quos opponeret legationi, quae ei tum venerat ex Conſtantinopoli ab Irene regina & Nicephoro patricio, qui tum Orientis imperium occupabat. Admonitus autem ea re Carolus, dedit priuilegium nouae eccleſiae, vt vtriusque ibi linguae ſcholae haberentur, praeeſſentque doctores viri inſignes. Sed nouitas Chriſtianismi in populo necdum bene firmato, & crebrae Saxonum ac diuturnae rebelliones hoc inſtitutum interceperunt.* Accedit *David Chytraeus*, easdem ſcholas Carolinas hunc in modum (d) deſcribens: *Inſtituit autem Carolus Osnabrugae, vt in collegio aſſidui lectores Graecae & Latinae linguae eſſent. Vidi enim exemplum litterarum fundationis, vt vocant, quas eccleſiae Osnabrugenſi Carolus dedit. --- Ac eodem tempore, quo Osnabrugae eccleſiam Carolus condidit, ſcribunt, veniſſe ad eum legationem ab Imperatore Graecorum, vbi magno redemiſſet, facultatem Graece docti ſibi praeberi, qui legatis Graece reſpondere, & cum iis ſine interprete ſermonem conferre potuiſſet. Ipſe enim Carolus, etſi ab Alcuino, praeceptore ſuo, Graecas literas dice-*

(b) Vid. eius Einleitung zur Kirchen-Hiſtorie *Sec. IX. pag. 347.*
(c) *Metropolis Lib. I. Cap. 2.*
(d) *Lib. II. Chron. Saxon. pag. 109. ſq.* edit. Roſtoch. MDXC.

dicerat, & mediocriter intelligebat, tamen loqui non ſolebat. Hac occaſione ſcribunt commonefactum Carolum, quantopere etiam in Repub. & Principum negotiis huius linguae cognitione opus ſit, curam colendi & conſeruandi Graecae linguae ſtudia tunc collegio Osnabrugenſi ſimul commendaſſe. Sed quid riuulos conſectamur, atque ex his faciem Academiae Osnabrugenſis longis ambagibus eruimus, cum fontes nobis pateant? Habemus enim ipſum (e) Caroli M. diploma, quo Wihonem, primum Osnabrugi Epiſcopum, variis auxiſſe beneficiis, ſcholamque ibi illuſtrem inſtituiſſe, fertur, in cuius fine, quae ad rem praeſentem pertinent, haec occurrunt: *Inſuper vero eidem Epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali ſeruitio confirmamus abſolutionem, niſi forte contingat, vt Imperator Romanorum vel Rex Grecorum coniugalia federa inter filios eorum contrahere diſponant: tunc Eccleſiae illius Epiſcopus omni ſumptu a Rege vel Imperatore adhibito laborem ſimul & honorem illius legationis aſſumat, & hoc ea de cauſa ſtatuimus, quia in eodem loco Grecas & Latinas ſcholas in perpetuum manere ordinauimus, & nunquam Clericos vtriusque linguae gnaros ibidem deeſſe in Dei miſericordia confidimus.*

IV.

Equidem non ignoramus, diploma illud pariter ac Athenaeum Osnabrugenſe Carolinum ſuſpectum multis, vehemen-

(e) Exhibet illud *Crantzius* loc. cit. & *Aubertus Miraeus* in *Codice Donation. piarum.* Conf. *Conringius Antiquit. Academ. Supplem. XXXVI. p. 306.* Ex ipſo vero tabulario Eccleſiae Cathedralis Osnabrug. typis deſcriptum *Monumentis Paderbornenſibus* adiecit Episcopus *Ferdinandus.* Inſertum quoque eſt *Capitulationi perpetuae Osnabrugenſi,* Neuhuſiae editae, itemque libellis litigioſis pro auctoritate illius in lucem emiſſis: e quorum vno, Gründliche Unterſuchung eines alten Caroliniſchen Schenck-Briefs, in welchem der Griechiſchen und Lateiniſchen Schule zu Oßnabrück gedacht iſt, inſcripto, nos particulam diplomatis allatam hauſimus.

menterque diſputatum eſſe (f) inter viros doctos, verusne vtriusque auctor dicendus ſit Carolus Magnus, an non? Satis dubitanter, vt e multis vnum ſaltem laudemus, de ſchola Carolina *Ioannes Launoius* (g) loquitur: *Quanquam non valde repugnarem ei, qui, quae de hac ſchola* (Osnabrugenſi) *tradit* Crantzius, *in dubium vocaret. Is enim eſt hiſtoricus paulo recentior, qui de rebus antiquis ſine antiquioris teſtimonio ſcribit. Si tamen germanum eſt Caroli priuilegium, quod laudat, ſicut, germanum eſſe, apparet, illud vetuſtioris teſtis loco haberi*

&

(f) Diſceptarunt inprimis hanc cauſam duo ſine nomine ſcriptores, quorum alter edidit libellum, qui inſcribitur: *Diploma Caroli M. Imperatoris de ſcholis Osnabrugenſis eccleſiae Graecis & Latinis, critice expenſum ab A. I.* anno MDCCXVII. & auctior Germanice prodiit hoc titulo: **Gründliche Unterſuchung eines alten Caroliniſchen Schenck-Briefs, in welchem der Griechiſchen und Lateiniſchen Schule zu Oßnabrück gedacht iſt,** etc. **Durch einen Liebhaber der Wahrheit.** 1719. 4to. Alter oppoſuit *Diſſertationem Critico-Hiſtoricam de Diplomate Caroli M. dato eccleſiae Osnabrugenſi pro ſcholis Graecis & Latinis, qua diploma iſtud authenticum & genuinum eſſe oſtenditur, atque contra obiectiones recentioris cuiusdam Critici A. I. defenditur a C. H. Accedunt varia Imperatorum ac Regum diplomata eccleſiae Osnabrug. conceſſa, & nunquam hactenus edita: omnia ex ipſis originalibus autographis ſumma accuratione & optima fide deſcripta.* Monaſterii MDCCXXI. Plures alii vero, qui dictum Caroli diploma partim pro vero habent, partim pro falſo ac fictitio, ab eo nominantur, qui ſub literis *A. I.* latens *critice illud expendit, pag. 4. ſq.* Add. *Hermannus Adolphus Meinders*, qui in libro *de ſtatu relig. & reip. ſub Carolo M. & Ludouico Pio Diſſert. III. Cap. V. VI. VII. p. 243.-274.* & *Diſſert. IV. Cap. V. pag. 326. ſeqq.* non ſolum aliquot in medium profert viros doctiſſimos, fidem monumenti illius Carolini in dubitationem & controuerſiam adducentes, ſed ipſe quoque in horum ſententiam diſcedit. Contra ea *Io. Launoius* loco mox indicando (g) obſeruat, *Sebaſtianum Munſterum erectae a Carolo Scholae fautorem & approbatorem accedere in libro III. Coſmogr. cap. 457.* quae allegatio fortaſſe ita emendanda *pag. 457.*

(g) In libro *de ſcholis celebribus a Carolo M. & poſt Carolum M. in occidente inſtauratis Cap. IX. pag. 45.* edit. *I. A. Fabricii.*

& debet & poteſt. Noſtra vero iam parum refert, quemcunque quis praedicet ciuitatis huius Academicae conditorem, ſiue Carolum M. ſiue ex Imperatoribus alium, cum non tam in originem, quam formam eius, inquiramus. Fac itaque, ad Carolum, primum Germanorum Imperatorem, referenda eſſe Academiae, Carolinae vulgo dictae, primordia; qualem hanc depingunt, quae illius nomen prae ſe ferunt, tabulae publicae? Talem, in qua praeter linguam Graecam & Latinam nihil liberalium artium tradebatur. Egregia vero ac illuſtris Academia, quae non aliud literarum genus exponit & colit, quam quo in omnibus ſcholis, etiam triuialibus, quas vocant, impertiri aetas puerilis ſolet. Neque ſilentio praetermittendum, quod idem *Launoius*, de ſchola Osnabrugenſi verba facturus, praefatur: *Hanc vero ſcholam, quia ſplendorem nullum, vel pene nullum, aeui progreſſione conſecuta eſt, praetermiſiſſem, niſi Carolum habuiſſet auctorem, cuius gloriae detrahendum nihil eſſe puto.* Eiusmodi praeconium in ſcholam, quae Academiae titulo & dignitate ſe iactat, quis conuenire exiſtimabit?

V.

Sunt tamen, ne quid diſſimulemus, FERDINANDVS Caeſar & VRBANVS, Pontifex Romanus, qui in literis publicis, quibus ciuitatem ſcholaſticam Osnabrugi recens conſtitutam, de qua mox dicemus, confirmarunt, ex aliorum narratione perhibent, Carolinam illam Academiam literis quoque Hebraicis atque ſanctiori diſciplinae docendis deſtinatam fuiſſe, tantaque progreſſu temporis cepiſſe incrementa, vt ab hominum memoria ad duo millia Studioſorum ad eam confluxerint. Imo longe amplior auguſtiorque fuit illius facies, ſi *Hamelmannum* audimus, eam ita (h) re-

(h) Vid. *Dedicat. libri ſecundi Chronic. Osnabrug.* Opp. *Hiſtor. pag.* 574.

praesentantem: *Etsi omnium primo per totam prouinciam Carolus Magnus Academiam & celeberrimam scholam, in qua non solum linguae diligenter traditae sunt, sed etiam facultates, praecipue Theologica & Iuridica, (de Medica nihil dicam,) tum quoque artium exercitia egregie sine vllo dubio mox post primam illam ordinationem D. Imperatoris floruerunt, constitueret in vestro collegio, viri Reuerendi, nobiles & eximii*, cet. Facile tantae dignitatis auctoritatisque, quanta pollent Romanorum Imperator & Pontifex, testibus credimus, quicquid de schola illustri, cuius parentem & architectum Carolum Magnum esse volunt, affirmant. Ast ne hoc quidem pacto Academiae nomen honoremque tueri illa potest, cum vix vlla inferioris gradus schola reperiatur, in qua diuinae religionis praeceptis linguaeque Hebraicae rudimentis iuuentus literarum studiis dedita non imbuatur. Ad *Hamelmannum* autem quod attinet, is ipse, quae narrat, inspersis voculis *sine vllo dubio* facit dubia, veritatemque eorum valde imminuit & labefactat. Fingamus vero, quod nullo tamen certo indicio compertum exploratumque habemus, in illa Musarum sede Osnabrugi nata & alta singulari instituto ac solertia & Theologiam & Iurisprudentiam explicatam, harumque disciplinarum seu facultatum, vt hodie loqui amant, Professorem vnum atque alterum constitutum fuisse; tantum tamen a vera perfectaque Academiarum forma abest, vt Academiis *improprie* saltem dictis (i) annumeranda sit.

VI.

E numero itaque Academiarum, quales nostra aetate habemus, expungenda in posterum erit Carolina Osnabrugensis

(i) Recte igitur hanc scholam *Iacobus Middendorpius*, qui alias in historia Academiarum saepius hallucinatus est, in inferiorum ordine collocauit *lib. V. de Academ. celebribus vniu. terrarum orbis p. 323.*

genſis. Osnabrugi autem nomen in indice vrbium, quas nobilitarunt Academiae, ne tollas deleasque. In veteris enim illius locum recipi debet alia recentior, cuius fata, obliuione fere obſcurata, nec a quopiam literis prodita, nunc, quantum ob monumentorum huc ſpectantium penuriam fieri poteſt, diligenter enarrabimus.

VII.

Originem illa debet ſuam FRANCISCO GVILIELMO, ex Comitibus de Wartenberg, Eccleſiae Romanae Cardinali, atque Epiſcopo Osnabrugenſi, Mindenſi & Verdenſi, qui, poſtquam anno MDCXXVIII. incolis Osnabrugi, emendatam a Luthero religionem profeſſis, eccleſias ſcholasque minis, vi ac metu (k) eripuiſſet, opportuniſſimum hoc tempus putabat, Academiam, in qua elegantiores literae, inprimis humana atque diuina ſapientia, ſecundum Romanenſis Eccleſiae decreta publice docerentur, in vrbe iſta condendi; vel, quod ex eius mente diplomata Pontificia ac Caeſarea volunt, ſcholas illas Carolinas illuſtriori auguſtiorique ratione inſtaurandi.

VIII.

Conſilii huius, quod animo voluebat, exſequendi veniam ac facultatem mox a Romano Pontifice & Germanorum Caeſare, vt par erat, expetebat. Nec precum ſuarum repulſam tulit, ſed ab vtroque inſignes tabulas publicas (l) accepit,

(k) Conf. Wahrhaftiger Bericht und gründliche Beſchaffenheit der beider uralten Pfarr-Kirchen unſer L. Frauen und St. Catharinen binnen der Biſchöffl. Fürſtl. Stadt Oßnabrück. Oßnabrück 1628. 4to.

(l) In medium illas infra afferemus, Caeſareas, *die XX. Febr. MDCXXX.* datas, integras, e Pontificiis autem, *XI. Cal, Sept. MDCXXIX.* exaratis, tantum, quantum inueſtigare potuimus; cum multa contineant, quae

cepit, quibus ſapientiae officinam, Osnabrugi exſtruendam, tum approbabant, tum iuribus beneficiisque ampliſſimis ornabant. Nactus haec priuilegia Epiſcopus Osnabrugenſis omni opere in id enitebatur, vt quamprimum noua Academia inauguraretur. Factum id magna pompa ſacrisque ſolemnioribus anno MDCXXX. praeſentibus hancque feſtam diem illuſtriorem ac celebriorem reddentibus innumeris ſacrorum ordinum omnium ex Epiſcopatibus Osnabrugenſi, Monaſterienſi, Paderbornenſi, Mindenſi, Verdenſi, Hildeſienſi viris, proceribus item aularum & ciuitatum, Equitibus, Doctoribusque aliarum Academiarum (m) quamplurimis. Vtque nihil huic dedicationi ſolemni deeſſet ſplendoris, ſummi quoque in philoſophia, theologia & iure Canonico honores diſtribuebantur, atque in digniſſimum quemque (n) conferebantur.

IX.

quae repetere ac commemorare in hac Academiarum Osnabrugenſium hiſtoria, ſuperuacaneum duximus.

(m) Memoria huius rei conſeruata poſterisque tradita eſt hoc nitide impreſſo ac multis figuris condecorato monumento: *Academia Carolina Osnabrugenſis ſiue Athenaeum Chriſtianum virtutis & eruditionis encyclopaediae acquirendae a Carolo M. Imperatore in vrbe Osnabrugenſi ante octingentos annos inſtitutum, nunc recenter ab Illmo & Revſſmo Principe ac Domino, D. Francisco Guilielmo, Episcopo Osnabrugenſi, Mindenſi, & Verdenſi, &c reſtitutum ac dotatum, nec non a Sanctiſſimo Domino noſtro, Vrbano Papa VIII. approbatum, atque ab Inuictiſſimo imperatore ac Domino noſtro, Ferdinando II. confirmatum* A. Dom. MDCXXX. Caue vero, in illo quaeras narrationem de Academia Osnabrugi recens dedicata. Praeter Orationes enim, carmina, emblemata, mirosque ingenii luſus alios in eorum laudem honoremque dicta, ficta, & picta, qui aut operam ſuam ad condendam nouam ciuitatem Academicam contulerunt, aut natales eius praeſentia ſua cohoneſtarunt, nihil exhibet refertque aliud.

(n) *Theodorus Roelingius*, verbi diuini olim in hac vrbe miniſter, in *Hiſtoria ecclеſ. & ſcholaſt. Osnabrugenſi MS.*

IX.

Euocati fuerant ad colendam hanc nouam Mufarum fedem erudiendamque in ea iuuentutem viri e familia S. Francifci de Obferuantia, S. Dominici, & Societatis Iefu doctisfimi; praecipuam tamen illius curationem & adminiftrationem ordini, quem vltimo loco memorauimus, FRANCISCVS GVILIELMVS commifit, eidemque hunc in finem aedes Auguftino facras, quarum rudera adhuc fuperfunt, (o) attribuit. Deftinauit quoque fcholae illuftri fplendidiffimam domum, eo loco conftruendam, vbi HENRICVS III. anno MDLXXXII. fedem Epifcopalem fibi fuisque fuccefforibus aedificauerat: doctoribus interea, dum haec folo aequatur, fubftructionesque operis maximae apparantur, in aediculis Ecclefiae Cathedralis, ad locum S. Nicolai & plateam a fluuio Hafa dictam fitis, fcholas publicas aperientibus habentibusque. Verum enimuero neque templo huic, quod Mufis Osnabrugenfibus parabat Epifcopus liberaliffimus munificentiffimusque, faftigium vnquam impofitum; neque illud ipfum bonarum artium literarumque domicilium, quod iam conftitutum erat atque dedicatum, diu ftetit floruitque. Viciffitudines rerum, quibus Germania noftra teterrimo illo ac longe lateque difperfo tricennali bello mirum in modum perturbabatur, mox omnia confilia & incepta Francifci Guilielmi intercipiebant. Nam, cum Osnabrugum anno MDCXXXIII. obfiderent Suedi expugnarentque, Epifcopo fugam capeffere, vrbemque & ditionem Osnabrugenfem relinquere, neceffitas ipfa praefcribebat. Fugien-

(o) Patet id ex fcripto §. praecedenti laudato *not.* (*m*) cuius *Hypotypofis VI.* hanc praefixam habet infcriptionem: *Ob reftauratam & exornatam veterem Carolinam Academiam Osnabrugenfem, Collegioque Societatis Iefu ibidem traditam, ob templum quoque reftauratum & illuftratum, nouaque Panegyri ac caeremonia S. Ignatio de Loiola, autori Societatis Iefu, dicatum & confecratum.*

gientem hunc literarum literatorumque Maecenatem caternatim ſequebantur Academiae & ciues & Profeſſores: templum Auguſtinianum, quod hucusque poſſederant, a Guſtauo, Guſtaui filio, occupabatur: aedificia denique, in ornamentum & incrementum nouae ſcholae ſuſcepta, breui ab opificibus derelicta concidebant (p) corruebantque. Ita in primo flore extincta Academia Osnabrugenſis, nec e puluere ac ruinis poſtea ſuſcitata, inque lucem vllo tempore reſtituta eſt. Etenim Suedis ciuitatem & agrum Osnabrugenſem ad pacem vsque Weſtphalicam tenentibus, hac ipſa autem Germaniae rebus pacatis diſſidiisque religionis compoſitis, nihil contra vetera inſtituta innouari deinceps Osnabrugi potuit.

X.

Quo ſcopo atque conſilio in inſtauranda amplificandaque Academia, quam Carolinam frequenter appellant, tantos labores ſuſceperit, tot ſumtus fecerit Cardinalis FRANCISCVS GVILIELMVS, ex literis, quas eius gratia Caeſar publicauit, facili coniectura intelligi poteſt. Manifeſtiora vero huius rei indicia liber in memoriam inſtitutae Academiae Osnabrugenſis conſcriptus, cuius titulum alibi dedimus, praebet. Illius enim auctores temperare ſibi haudquaquam potuerunt, quin acerbiſſimis conuiciis & maledictis eos, qui prima repurgatae religionis ſemina in his terris ſparſerunt, nominatim *Hermannum Bonnum*, inſectarentur, apertiſſimeque proderent, hanc maxime ob cauſam exſtruendae Osnabrugi Academiae opus ſuſceptum fuiſſe, vt in hac vrbe vicinisque regionibus purioris doctrinae curſus inhi-

(p) *Roelingius* in *Hiſtoria MS.* Conf. ipſius Cardinalis FRANCISCI GVILIELMI *Relatio ad Pontificem Romanum*, quae inter *Documenta*, *Io. Pauli Kreſſii* Rechts-begründeter vollſtändigen Erläuterung des *Archidiaconal*-Weſens ſubiuncta, *num. PP.* occurrit, *fol. 105.*

inhiberetur, Pontificiorum contra reuocaretur floreretque religio.

XI.

Supereſt, vt formam Academiae Osnabrugenſis, de qua hactenus expoſuimus, paulo acrius contemplemur. Quod ſi igitur, ex quibus vnice aeſtimari debet, tabulas publicas, a Caeſare aeque ac Pontifice Romano in eius commodum conceſſas, inſpicimus, &, quae in dedicatione eiusdem geſta ſunt, expendimus; mox manifeſtum nobis fit, ad naturam recentiſſimarum vniuerſitatum literatarum quamproxime illam accedere. Hoc vno ſaltem ab iſtis diſtat, quod non ſingularum omnis eruditionis partium doctores publicos habuit. Neque enim, qui iura in illa interpretentur, nec, qui artem morbis medendi profiteantur, Caeſareo Pontificioque diplomate deſignati ſunt. Sed forte tam anguſtis ſcientiarum terminis non ſemper concluſa fuit noſtra Academia, quales in principio ipſi poſiti. Ex eo ſane, quod *Roelingio* teſte ſupra retulimus, Iuris quoque Canonici doctores in primo illius feſto die creatos fuiſſe, non ſine probabili ratione colligimus, iſthanc Iuris partem diſciplinis reliquis, ſuprema magiſtratuum auctoritate in illa docendis, poſtea acceſſiſſe. Quicquid huius rei ſit, cum, vniuerſae Iurisprudentiae itemque medicae artis Profeſſores Academiam hanc Osnabrugenſem ornaſſe, nullis teſtimoniis ſignisque luceat; conſequens eſt, eam non perfectiſſimarum Academiarum numero habendam, ſed illarum generi adſcribendam eſſe, quas *propriae tales* alibi (q) diximus.

XII.

Subiiciamus nunc monumenta illa publica, quorum aucto-

(q) Vid. Obſeruatio noſtra *de vera Academiae notione*, in *Parergis Gottingenſibus T. I. lib. I. p. 206.*

auctoritate Academia Osnabrugensis maxime nititur, id est, literas Imperatoris atque Pontificis, ad quas lectores nostros saepius ablegauimus. Damus vero tales, quales nobis illi dederunt, in quorum manibus prima earum exempla, quae autographa vocant, fuerunt.

Particula *Bullae VRBANI Papae VIII.* quae exstat in *Dissert. Critico-Histor. de Diplomate Caroli M. dato ecclesiae Osnabrug. pro scholis Graecis & Latinis*, Monasterii MDCCXXI. *§. XVIII. num. LXII. p.94.*

Sane pro parte Venerabilis fratris nostri, FRANCISCI GVLIELMI, Episcopi Osnabrugensis & sacri Romani Imperii Principis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod civitas Osnabrugensis, in qua olim clarae memoriae Carolus Magnus, Romanorum Rex & Imperator Augustus, post fundatam & institutam in ea, quam Saxoniae Metropolim esse cupiebat, sedem Episcopalem, Scholas publicas, in quibus sacra Theologia & liberales artes ac lingua potissimum Graeca & Hebraica publice docerentur, & quas quasi seminarium, e quo viri eruditi in totam Saxoniam prodirent, esse voluerat, fundauerat & instituerat. Cuius etiam fundatoris mens fuerat, vt Scholae huiusmodi publicae ac totius quasi Saxoniae primariae essent, prout ex ipsis historiis & antiquis illorum temporum monumentis facile colligi potest, celebris admodum & populosa, ac situ ad fluuium Hasam iucunda, atque ad studia tum propter illius ac locorum vicinorum incolarum bonam indolem ac felicia aptaque ad capessendas disciplinas ingenia, tum propter annonae & commeatus opportunitatem aliasque commoditates non parum commoda existit.

Eiusdem *Bullae* particulae aliae e libro §. *VIII. not.* (m) fusius descripto, cui titulus est *Academia Carolina Osnabrugensis*, eiusque *Hypotyp. II. Schem. XX. fol. 49.* excerptae.

Inge-

Ingenti desiderio ducimur, & cura propensioris solicitudinis excitamur, vt Academiae aliaque literarum studia, per quae tenebrosa ignorantiae caligo expellitur, scientiarum thesaurus acquiritur, veritas agnoscitur, pestifera haeresis extirpatur funditusque tollitur, fides Catholica & diuinus cultus augetur, atque ad spiritualis & temporalis gaudii gloriam peruenitur, laudabilibus incrementis dirigantur.

Pro parte Venerabilis fratris nostri, FERDINANDI GVILIELMI, Ferdinandi nuper p. m. e Serenissimorum Bauariae Ducum familia filii, Osnabrugensis Episcopi, exhibita supplicatione, vt in approbanda confirmandaque Academia ciuitatis Osnabrugensis decori ac venustati, ac illius ciuium & Dioecesanorum animarum saluti & commoditatibus prouidere de Apostolica benignitate dignaremur; Nos attendentes, quod ex literarum studio animarum salus maxime procuratur, in ipsa ciuitate Osnabrugensi vnam publicam Academiam, in qua Philosophia & Theologia scholastica publice doceantur, ad instar aliarum Academiarum tam in transalpinis prouinciis & regnis, quam aliarum vbilibet institutarum, ex nunc Apostolica autoritate tenore praesentium perpetuo erigimus & instituimus.

Insuper eiusdem Academiae Rectori, Doctoribus, ac Magistris, ministris etiam & officialibus, nec non membris & subditis, quod omnibus & singulis priuilegiis, facultatibus, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, antelationibus, praerogatiuis, fauoribus & gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus quibusuis, tam superioris, quam inferioris Germaniae Academiis, illarumque Rectoribus, Doctoribus, ac Magistris, aliisque ministris & officialibus, illorumque membris & subditis, in genere vel specie aut alias quomodolibet autoritate Apostolica concessis, & impposterum concedendis, ac quibus illi & illae de iure, vsu, priuilegio vel consuetudine aut alias quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, vti, frui, potiri & gaudere possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad instar, sed pariter & pariformiter ac aequipollenter & sine vlla prorsus differentia, etiam per viam communicationis seu nouae concessionis, &c.

Statuimus praeterea, quod eiusdem Academiae ſcholares tam ſeculares, quam quorumuis ordinum & militiarum regulares, illuc vndecunque aduenientes, qui inibi Philoſophiae & Theologiae ſtudebunt, vel aliunde ex aliis ſimilibus Academiis & Vniuerſitatibus quibuscunque Catholicis aduenerunt, poſt curſum ſtudiorum abſolutum ſeruatis ſeruandis, prout moris eſt, ad Baccalaureatus, Licentiaturae, Magiſterii, & Doctoratus gradum promoueri, &, poſtquam promoti ſuerint, diſciplinas & artes, in quibus graduati fuerint, tam in praefata, quam in aliis quibuscunque Academiis ſeu Vniuerſitatibus quibuslibet voluerint, docere, legere & interpretari, ac in iis diſputare, nec non quoscunque actus, gradibus per eos ſuſceptis conuenientes, exercere poſſint.

DIPLOMA FERDINANDI II. IMPERATORIS, QVO ACADEMIAM OSNABRVGENSEM A CAROLO M. PRIMVM INSTITVTAM CONFIRMAT, typorum formis expresſum in *Diſſert. Crit. Hiſtor. de Diplomate Caroli M.* ſaepius laudata *Append. lit. R pag. 143. ſqq.* vnde illud transſcripſimus.

FERDINANDVS SECVNDVS, diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, &c. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, &c. Marchio Morauiae, &c. Dux Lucemburgiae, ac ſuperioris & inferioris Sileſiae, Wirtembergiae & Teckae, Princeps Sueuiae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviae, ac ſuperioris & inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis & Salinarum, &c. Ad perpetuam rei memoriam agnoſcimus & notum facimus tenore praeſentium, quod nobis Venerabilis FRANCISCVS GVILIELMVS, Epiſcopus Osnabrugenſis, Princeps deuotus Nobis dilectus, demiſſe expoſuerit, qualiter Praedeceſſor noſter ſanctae memoriae, CAROLVS MAGNVS IMPERATOR, poſt toties deuictos Saxones, terram illam Deo & Eccleſiae conſecrarit, pluresque inſtituerit Epiſcopatus, & primum quidem eſſe voluerit Osnabrugum, cui etiam Sanctum Vihonem praefecerit, virum a ſanctitate & doctrina commendatiſſimum;

Cum

Cum vero viderit, sine literis ac scholis fidem a se plantatam diu conseruari haud posse in populo tam barbaro ac feroci, postquam in Italia Papiensem ac Ticinensem Academias fundasset, Bononiensem, a Theodosio, similiter Praedecessore nostro, institutam, renouasset, etiam aliam & in Germania primam Academiam ordinatasque scholas, praesertim Graecae & Hebraicae linguae, celebres Osnabrugi circa annum Dominicae Incarnationis septingentesimum nonagesimum octauum instituerit, ex quibus prodierint plures viri sanctitate & doctrina venerandi, veraeque fidei assertores gloriosi, prout historiae vicinarum Ecclesiarum, quae vna cum scholis suum inde sumpserint exordium, testentur; quodque floruerint hae scholae vsque ad initium praeteriti saeculi & vltra, adeo, vt ab hominum memoria ad duo millia Studiosorum numerare fuerit: Sed ex quo variae haereses suum erexerint caput, & non solum ciuitatem illam, sed totam quasi patriam veneno suo consperserint, adeo, vt etiam illi, quorum officio prohiberi debuissent, inficerentur, quae incuria etiam caussa fuerit ruinae antiquissimae huius Academiae, quam antiquo suo splendori reddere volens dictus Episcopus Osnabrugensis, post restitutam a se religionem profligataque exercitia haeretica, ad exemplum fundatoris, Praedecessoris nostri, dicti Caroli Imperatoris, solidandae religionis, & regendarum Ecclesiarum, animarumque salutis promouendae, verum medium reducere intenderit, scholas illas Carolinas denuo suscitarit, atque ad instruendam iuuentutem docendamque praeter humaniora Philosophiam ac Theologiam viros ex familia Sancti Francisci de obseruantia, Sancti Dominici, atque Societatis Iesu, religione conspicuos, doctrinaque insignes euocarit, domicilia respectiue de nouo illis aut assignarit, aut, quae haeresis rapuit, restituerit, aut collapsa renouarit, atque magnos sumptus impenderit, cogitetque vlterius proficere ac fundare copiosius, ac proinde pia vota & intentionem suam secundis auspiciis communi subditorum suorum commodo firmari & stabiliri desiderans, humiliter Nobis supplicarit, vt recuperato iam feliciter ex hostium manibus armis & auxiliis nostris Episcopatu nostro praedicto nec non ciuitate sua memorata in potestatem suam redacta, praedictam adeo prospero successu restitutam Academiam & perantiquas scholas Carolinas, suprema quoque autoritate nostra Imperiali non tantum approbare, ratificare & confirmare, &

in Augustalem nostram protectionem suscipere, sed etiam in Academiam pro liberalibus disciplinis & facultatibus Philosophiae & Theologiae ad instar aliarum, tam Italiae & Galliae, quam Germaniae, Academiarum denuo erigere, & iisdem priuilegiis, honoribus, atque immunitatibus ornare gratiose dignaremur.

Nos itaque zelum dicti Episcopi Osnabrugensis & opus illud, non minus ad Dei gloriam, quam communis Reipublicae vtilitatem, & perpetuam animarum salutem pertinere, cum vt olim, sic imposterum plurimi cum Ecclesiarum, tum vero etiam saecularium & ad gubernationem politicam spectantium rerum vsu doctrinaque periti viri prodire, & vtramque Rempublicam magno cum subditorum bono, suaque laude egregia administrare possint, merito attendentes pro benigno nostro erga deuotionem suam affectu eiusdem petitioni clementer annuendum duximus, prout annuimus per praesentes.

Proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, & de Caesareae potestatis nostrae plenitudine, memoratas in vrbe Osnabrugensi scholas restitutas benigne approbauimus, Caesareaque nostra auctoritate in perpetuum communiuimus, quemadmodum non solum ea, quae dictus Episcopus laudabiliter coepit, auctoritate nostra Imperatoria approbamus, ratificamus ac confirmamus; verum etiam scholas illas, Academiamque renouamus, denuo erigimus atque honori & antiquitati suae pristinae restituentes in Augustalem nostram protectionem, vna cum Professoribus, Studiosis, ministris, aliisque omnibus ac singulis, qui ab illa pendent quomodolibet, particulariter recipimus. Decernimus praeterea, scholas illas Academiae nomine perpetuis futuris temporibus ab omnibus appellari debere, & iisdem priuilegiis & immunitatibus, quibus aliae quaecunque per Germaniam & Imperium Romanum Academiae seu Vniversitates vti, frui, atque potiri solent, gaudere volumus, ita vt omnes & singuli Studiosi ac scholares, qui in albo eiusdem Academiae inscripti fuerint, vel in praefata Academia lectiones audiuerint & studuerint, omnibus ac singulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus & indultis, quibus Studiosi aliarum quarumcunque Academiarum seu Vniuersitatum gaudere, frui, & potiri solent, re & nomine gaudeant, fruantur, ac potiantur. Insuper motu, scientia & autoritate, vt supra, concedimus & indulgemus, vt Philosophiae & Theologiae Professores eiusdem Academiae Studiosis, qui eiusdem

Aca-

Academiae albo inſcripti fuerint, vel in dicta ſeu alia quauis approbata Academia ſeu Vniuerſitate ſtuduerint, lectiones audierint, & digni habilesque rigoroſo examine praeuio (in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari volumus,) reperti fuerint, iuxta aliarum Vniuerſitatum ſeu Academiarum priuilegia eis per praeſentes a Nobis, & aliis, cum ſummis Pontificibus, tum Imperatoribus, conceſſa ſeu concedenda, ad quoscunque gradus Baccalaureatus, Licentiae, Magiſterii, Doctoratus, in artibus & Philoſophia, nec non Sacroſancta Theologia, ab iisdem, ſiue Rectore Academiae, ſiue Cancellario, ſiue Profeſſoribus promoueri & ſolenniter creari modo & ſolennitate in aliis Academiis & Vniuerſitatibus conſuetis poſſint ac debeant, atque tandem taliter promoti, ſiue promouendi, in omnibus locis & bonis Sacri Romani Imperii & vbique terrarum omnibus & ſingulis priuilegiis, praerogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, fauoribus, gratiis & indultis, quibus alii Pariſienſis, Bononienſis, Louanienſis, Colonienſis, Heidelbergenſis, & aliarum Academiarum & Vniuerſitatum Italiae, Galliae, Germaniae, iuxta illarum ordinationes, ritus, vſus, conſuetudines & mores pro tempore promoti, de iure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet, vtuntur, fruuntur, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter & aeque principaliter, absque vlla differentia, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus huiusmodi in Vniuerſitatibus, nec non Collegiis, Gymnaſiis, Academiis quibuscunque accepiſſent, vti, potiri, & gaudere re & nomine poſſint, debeant ac valeant, non obſtantibus in praedictis omnibus aliquibus Legibus, Conſtitutionibus, ordinationibus, praerogatiuis, decretis, ſtatutis, conſuetudinibus, & aliis quibuscunque in contrarium quoquo tempore & modo facientibus. Quibus omnibus & ſingulis, in quantum praeſenti noſtrae conſtitutioni obſtant, ſeu obſtare in futurum poſſunt, ex plenitudine poteſtatis noſtrae Caeſareae derogamus, & derogatum eſſe volumus: ſupplentes omnes & quoscunque defectus, tam iuris, quam facti, ſi qui in praemiſſis omnibus & ſingulis interueniſſent, ſeu interueniſſe dici aut allegari poſſent, quouis modo, aut iure, vel conſuetudine.

Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut praeeminentiae extiterit, liceat hanc noſtrae approbationis, confirmationis, reſtitutionis, erectionis, derogationis, ſuppletionis, decreti, voluntatis & gratiae paginam infringere,

gere, vel ei quouis ausu temerario contraire, quatenus grauissimam nostram & Sacri Romani Imperii indignationem, ac poenam quadraginta Marcarum auri puri, toties, quoties contra factum fuerit, omni spe veniae sublata, pendendam, pro semisse quidem fisco seu aerario nostro Imperiali, pro residuo vero eiusdem Academiae vsibus applicandam, euitare voluerit. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & Bullae nostrae aureae typario roboratarum. Datum in ciuitate nostra Viennae, die vigesima mensis Februarii, Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, Regnorum nostrorum Romani vndecimo, Hungariae duodecimo, & Bohemiae XIII.

FERDINANDVS.

Ad mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium.

Vt
P. H, Stralendorff, mpp.

Ioa. Walderode, mpp.

OXONIENSIS.

NICOLAI FIERBERTI Descriptio Academiae Oxoniensis. Romae 1602. 8.

Twynus in opere paulo post laudando *p. 178.* hunc *libellum* vocat *rarissimum.*

ALBERICI GENTILIS Laudes Academiae Perusinae & Oxoniensis. Hanouiae 1605. 8.

IO. PITSEI liber de Oxoniensis Academiae antiquitate.

Laudatur a Conringio *Suppl. ad Antiq. Acad. p. 380.* & a Madero ibidem *p. 408.*

IOANNIS SANDSBVRY Insignia singulorum Collegiorum in Oxonia. Oxoniae 1608. 8.

* BRIANI TWYNI Antiquitatis Academiae Oxoniensis Apologia. Libri III. Oxoniae 1608. 4. *Alph.* 2. *pl.* 12.

Subiuncta ſunt huic operi primo *Miſcellanea quaedam de antiquis Aulis & Studentium Collegiis quondam & hodie in Academia Oxonienſi, autore eodem*; deinde *Catalogus Cancellariorum, Commiſſariorum, Vicecancellariorum, & Procuratorum, quotquot ex Academiae Archiuis ac monumentis aliorum authorum colligi poſſunt.*

Idem *Twynus p.* 2. docet, quendam ſub nomine *Antiquarii* edidiſſe Epiſtolam de antiquitate Academiae Cantabrigienſis prae Oxonienſi; huic (*p.* 3.) *Ioannem Caium*, publicum Academiae Oxonienſis Oratorem, oppoſuiſſe *Aſſertionem antiquitatis Academiae Oxonienſis*; tum ſub nomine *Londinenſis* alium *Ioannem Caium* (quem *p.* 23. ait eundem eſſe, qui antea nomen *Antiquarii* adſciuerit,) edidiſſe a. 1568. *duos libros de antiquitate Cantabrigienſis Academiae.* Vid. ibidem *p.* 4.

* Rex (a) Platonicus, ſiue de Potentiſſimi Principis, IACOBI, Britanniarum Regis, ad illuſtriſſimam Academiam Oxonienſem aduentu d. 27. Aug. a. 1605. narratio, ab ISAACO WAKE, publico Academiae eiusdem Oratore, tunc temporis conſcripta, nunc iterum in lucem edita, multis in locis auctior & emendatior. Editio tertia. Oxoniae 1615. 12. *pl.* 10. *&* dim.

Annexa eſt eiusdem Oratio funebris, d. 25. Maii A. 1607. habita in obitum Io. Rainoldi. Haec Oratio tantum ſex implet foliola. In ipſo libro deſcribitur copioſe quatriduum, quod Rex ille vna cum vxore & filio primogenito transegit Oxoniae. Hac occaſione deſcribuntur Collegia, & ſtatus Academiae, habitaeque praeſente & verba faciente Rege Diſputationes in quatuor Facultatibus.

THO-

(a) Hic liber *Wakii* laudatur a *Bulaeo* in *Hiſt. Vniuerſ. Pariſ. T. I. p.* 224.

THOMAE CAII Vindiciae antiquitatis Academiae Oxonienſis, editae a *Thoma Hearnio.* Oxon. 1732.

Videtur nomen hoc eſſe fictitium, & ideo ab auctore adſcitum, quod refellebat *Ioannem Caium*, ſingulari libro contendentem, Cantabrigienſem Academiam eſſe Oxonienſi vetuſtiorem.

* Statuta ſelecta e Corpore Statutorum Vniuerſitatis Oxonienſis. Oxonii 1638. 8.

* Alia editio prodiit ibidem 1661. 12. *pl. 8. & dim.*

* ANTONII a WOOD Hiſtoria & Antiquitates Vniverſitatis Oxonienſis. Libri duo. Oxon. 1674. *fol. Alph. 5. pl. 16.*

Prior editio prodierat ibidem 1668. 4. Sed altera locupletior eſt.

* Parecbolae, ſeu Excerpta e Corpore Statutorum Vniuerſitatis Oxonienſis. Oxon. 1674. 8. *pl. 16.*

* Altera editio 1705. 8. *Alph. 1. pl. 6.*

* Oxonia illuſtrata, ſiue omnium celeberrimae iſtius Vniuerſitatis Collegiorum, Aularum, Bibliothecae Bodleianae, Scholarum publicarum, Theatri Scheldoniani, nec non totius vrbis, Scenographia. Delineauit & ſculpſit DAVID LOGGAN, Vniuerſitatis Oxonienſis Chalcographus. Oxoniae 1675. *fol.*

Sunt XL. figurae aeneae, quarum ſingulis ſubiecta eſt breuis explicatio hiſtorica.

* Notitia Oxonienſis Academiae. Londini 1675. 4. *pl. 15.*

Hic *p. 3. ſqq.* de priuilegiis Academiae, *p. 13. ſqq.* de Statutis eius, *p. 17. ſqq.* de eius Officiariis, Cancellario, Vicecancellario, Procuratoribus, Oratore publico, Cuſtode Archiui, &

& Bedellis, *p. 23. ſqq.* de Academiae templo, ſenaculo, & theatro, *p. 27. ſqq.* de Scholis publicis & Lectoribus, *p. 44. ſqq.* de bibliotheca, *p. 48. ſqq.* de Collegiis & viris illuſtribus. Appendix *p. 102.--112.* exhibet ex antiquiori potiſſimum aeuo viros clariores, qui vixerunt Oxoniae.

* Athenae Oxonienſes. An exact Hiſtory of all the Writters and Bishops, &c. hoc eſt, Hiſtoria accurata Scriptorum atque Epiſcoporum, qui prodierunt ex Oxonienſi Academia ab A. 1500. ad a. 1690. Accedunt Faſti Oxonienſes. Volumen I. pertingens ad annum 1640. Londini 1691. *fol. pl.* 217. Volumen II. prodiit ibidem 1692. *pl.* 122.

In *Actis eruditorum* anni 1692. *p. 35.* & in *Suppl. T. II. p. 569.* docetur, auctorem huius operis eſſe ANTONIVM WOODVM.

* THOMAE NELI Dialogus de Academiae Oxonienſis aedificiis. Edidit Thomas Hearne. Oxonii 1713. 8.

Hunc Dialogum ſaeculo XVI. ſcriptum, in quo Eliſabetha Regina & Dudleius, Academiae Cancellarius, inducuntur Latinis verſibus colloquentes de Collegiis & ſcholis publicis huius Academiae, nunc primum vulgauit e Bodleiana bibliotheca *Hearnius*, adiectis figuris illorum Collegiorum & ſcholarum aeri inciſis. Teſtatur autem in Praefatione *Hearnius*, aedificia illa hodie longe elegantiora eſſe pariter & magnificentiora. Ita iam olim ſcripſi in *Actis eruditorum* anni 1715. *p. 15.*

IO. AYLIFFE liber de veteri & praeſenti ſtatu Oxonii. Anglice. Volumina duo. Oxon. 1714. 8.

Caſe of D. AYLIFFE of Oxfort, perſecuted for his Writings, and publishing the ſtate of the Vniuerſity. 1716. 8.

LEONHARDI HVTTENI Diſſertatio (*Anglice con-*

scripta) de antiquitatibus Oxonienſibus, edita a Thoma Hearnio. Oxon. 1720. 8.

Recenſetur in *Bibliotheque Angloiſe T. VIII. p. 322. & 342.--350.*

* Nomina Profeſſorum Oxonienſium anni 1723. exhibentur in *Biblioth. hiſt. philol. theol.* Bremenſi *T. VII. p. 364. ſq.*

R. NEWTON Terrae filius, or the ſecret Hiſtory of the Vniuerſity of Oxfort. Londini 1726. 8.

* CAESAR EGASSIVS BVLAEVS in *Hiſtoria Vniverſitatis Pariſienſis* ſparſim deſcribit veterem Academiae Oxonienſis hiſtoriam.

PADERBORNENSIS.

* Paderbornenſis Studii & Collegii Soc. Ieſu Inſtitutio, a Paulo V. edita 1615. exſtat in *Bullario magno Romano T. III. p. 234. ſqq.* & in *Lunigii Spicilegio Eccleſiaſtico P. II. p. 748.*

* Panegyricus die natali Academiae Theodorianae Paderbornenſis THEODORO, Epiſcopo Paderbornenſi, fundatori, a Collegio Academiae Soc. Ieſu oblatus, & in tres libros diuiſus. Editio altera. Amſtelod. 1672. 4.

Subnexus eſt grandis hic *Panegyricus Monumentis Paderbornenſibus* editionis venuſtiſſimae eo anno ab Elzeuirio factae. Multa hic ediſſeruntur de Weſtphalia & vrbe Paderborna, maxime de vtriusque antiquitatibus: de ſtatu ac doctoribus Academiae prope nihil inde cognoſcimus, niſi quod, eam regimini ſubeſſe Ieſuitarum, & Facultate carere Iuridica, docetur. Caeterum, auctorem huius *Panegyrici* eſſe IOANNEM HORRIONEM, aliunde didicimus.

PANO-

PANORMITANA.

HIERONYMI MATRANGAE, Panormitani, Clerici Regularis Theatini, Syntagmata ſeptem de Academia. Panormi 1637. 4.

PARISIENSIS.

* Antiqua Statuta Academiae Pariſienſis.

Exhibentur in Lucae Dacherii *Spicilegio T. VI. p. 381. ſq.* noua autem in eius editione *T. III. p. 735. ſqq.*

* Conſtitutionum Facultatis Artium Pariſienſis, Profeſſoribus & Magiſtris obſeruandarum, Capita a. 1344. edita.

Exhibentur in Lugdunenſi *Bibliotheca Patrum Maxima T. XXVI. p. 482.* Sunt ea longe diuerſa ab iis, quae produxit Dacherius loco modo indicato.

ROBERTI GOVLETI (*Theologi Pariſienſis,*) libellus de Academiae Pariſienſis magnificentia. Pariſ. 1517.

Laudatur hic liber a Launoio in libri *de fortuna Ariſtotelis in Acad. Pariſ. cap. 12.* Antonius Woodus in *Hiſt. Acad. Oxon.* librum hunc ſaepius adducit ſub hoc titulo: *Compendium de multiplicitate Vniuerſitatis Pariſienſis. Pariſ.* 1517.

Series Quaeſtionum a centum annis in Pariſienſi Schola diſputatarum: cum Catalogo creatorum Doctorum ab a. 1472. vsque ad a. 1550. Paris. 1549. 4.

PETRI GALLANDI Oratio pro Schola Pariſienſi contra nouam Academiam Petri Rami. Lutetiae 1581. 8.

THEODORI MARCILII (*Profeſſoris Eloquentiae Pariſienſis,*) Orationes IV. de laudibus Academiae Pariſienſis. 1596. 8.

EMVNDI RICHERII libri II. de optimo Academiae ſtatu. Paris. 1603. 8.

Memoires pour le reglement de l'Vniverſité. Par. 1610. 4.

* Le Theatre des Antiquitéz de Paris, ou eſt traiɑ̃té de la fondation des Egliſes & Chapelles de la Cité, Vniverſité, Ville & Dioceſe de Paris, comme auſſi de l' inſtitution du Parlement, fondation de l' Vniverſité & Colleges, & autres choſes remarquables, diviſé en quatre livres. Par le R. P. F. IACQVES DV BREVL, Pariſien, Religieux de S. Germain des Prez. A Paris 1612. 4. *Alph. 7. pl. 3.*

Huius operis eximii & multis monumentis, diplomatibus, epitaphiis referti in *libro ſecundo* tractatur hiſtoria Academiae Pariſienſis. Menckenius in additamentis ſuis ad Langleti du Fresnoy *Catalogum Hiſtoricorum p. 271. bonum* ait *hunc eſſe librum.* Addit, eum Lutetiae a. 1618. recuſum eſſe; ſed priorem editionem eſſe meliorem. Docet item, tertiam editionem ibidem prodiiſſe *in folio* a. 1640. vna cum ſupplementis Claudii Malingrei. Verum quod ad ſecundam editionem attinet, errat Menckenius. Habeo enim eam (a) nunc in manibus, Lutetiae excuſam 1639. 4. Eius in titulo poſt nomen auctoris haec verba lego: *Augmenté en cette Edition d' vn Supplement, contenant le nombre des Monaſteres, Egliſes, l' aggrandiſſement de la Ville & Fauxbourgs, qui s' eſt faict depuis l' Année 1610. jusques a preſent.* Hac in editione (quae conſtat *Alph. 6.*) Hiſtoria Academiae deſcribitur *lib. II. p. 444.--578.* Addo, *Supplementum*, paginas 104. implens, ſeparatim ſubiunctum eſſe, eiusque in titulo indicatum ſic eſſe auctorem: *D. H. I. Advocat en Parlement.* Hoc in *Supplemento* a *p. 14.--41.* agitur de Academia.

IOANNIS FILESACI, Doctoris Sorbonici, liber de Statutorum Facultatis Theologicae Pariſienſis origine. Lutetiae 1620.

Librum

(a) In noua Praefatione haec leguntur: *Ce Theatre des Antiquitéz de Paris ne s' étoit jamais imprimé, qu' vne fois, ſçavoir l' an, 1612. qui ſont prés de 29. ans.*

Librum perquam accurate conſcriptum vocat Conringius *Antiq. Acad.p.360.*

Privileges donnéz & oꝺroyés par les Roys de France, ſcavoir Philippes de Valois, Charles V. Charles VI. Charles VII. Louys XI. Charles VIII. François I. Henry IV. & Louys XIII. à l' Vniverſité de Paris, ſuppoſtes, officiers, & ſeruiteurs d' icelle. Enſemble les Arreſts du Conſeil privé, confirmatifs de dits Privileges. A Paris 1625. 4.

Profertur hic libri huius titulus a Conringio in *Suppl. XLVI.* ad *Antiquit. Acad. p.342.*

ETIENNE PASQVIER Recherches de la France, Paris 1621. & 1633. & 1643.*fol.*

In huius Operis pluribus locis illuſtratur hiſtoria Academiae Pariſienſis, inprimis *lib. III.cap.23.*

GABRIELIS NAVDAEI Panegyricus de antiquitate & dignitate Scholae Medicae Pariſienſis. Pariſ. 1628. 8.

CLAVDII HEMERAEI liber de ſcholis publicis earumque magiſteriis. Pariſ. 1633. 8.

* CLAVDII HEMERAEI, e Societate Sorbonae Doctoris Theologi, de Academia Pariſienſi, qualis primo fuit in inſula & Epiſcoporum ſcholis, liber. Lutetiae 1637. 4. *pagg. 143.*

Facile fallit hic titulus. Agitur enim hoc in libro de Academiae Pariſienſis vetere ſtatu, cum nondum eſſet Academia hodierni ſplendoris. Conſilium auctor ſuum *Cap. I.p. 3.* & *4.* hunc in modum exponit. *Quae de Academia Pariſienſi dici poſſunt, ad duo capita videntur eſſe reuocanda: alterum, quo illius, in ſolis Epiſcoporum auditoriis, & paucis forte ſuburbanis, natae atque adultae, aetas oſtendatur, & inueſtigentur origines Epiſcopalis Scholae, hoc eſt, Aca-*

demiae primitiuae ac matris, &, qua methodo quoue dictatore literae in iis tractatae ſint, explicetur; alterum, quo eiusdem in montem Genoueſianum translatae, & quauis honeſtarum artium exercitatione ac cultu expolitae, ordinatio omnis ſtatusque repraeſentetur. De Academia in monte illo metata, id eſt, numeris omnibus abſoluta integri perfectique Gymnaſii ſub Ludouicis, Auguſtoque, & Regibus ſubſecutis, erit alius ſcribendi locus. De Epiſcopali & matre agemus hoc libello. Etiam in *Praefatione* pollicetur, ſe ſingularem editurum eſſe librum de ſtatu Academiae Pariſienſis poſteriore: id quod tamen haud praeſtitit, *morte* videlicet *praeuentus*, vti ſcribit Bulaeus in *Hiſt. Acad. Pariſ. T. I. p. 383.* Exhibet tamen Hemeraeus *p. 105. -- 143.* Cancellarios Eccleſiae & Academiae Pariſienſis inde ab anno 1030. vsque ad annum 1627.

GVILLAVME DUVAL (*Profeſſoris Regii,*) Le College Royal de France, ou inſtitution, etabliſſement, & Catalogue des Lecteurs & Profeſſeurs du Roy. Paris 1644. 4.

* Lettres pour l' vnion du College du Pleſſis, de la Grande Maiſtriſé & Principauté d' iceluy, a la Societé de Sorbonne. Avec les Lettres patentes du Roy, confirmatives &c. Enſemble le Conſentement de l' Vniverſité à la dite vnion. A Paris 1651. 4. *pl. 3.*

* Parties des pieces & Actes, qui concernent l' état preſent & ancien de l' Vniuerſité de Paris. A Paris 1653. 4. *Alph. 2. pl. 2.*

* IOANNIS DE LAVNOY, Theologi Pariſienſis, de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi liber. Paris. 1653. 8. Editio ſecunda auctior prodiit Hagae Comitum 1656. 4. *pl. 13.* & tertia Lutetiae 1662. 8. & quidem denuo auctior. Tertiam hanc editionem recudi curauit Wittebergae 1720. 8. (*Alph. 1. pl. 6.*) Io. Hermannus ab Elswich, qui

& praefatus eſt *de varia Ariſtotelis in ſcholis Proteſtantium fortuna.*

Secundam editionem recenſuit, at perfunctorie minusque accurate, Morhofius *Polyhiſt. T. II. lib. I. cap. 8. §. 2:* melius pariter & copioſius Fabricius *Bibl. Graecae lib. III. cap. 6. p. 178.--182.* Ipſe quoque eam recenſui in *Actis Philoſophorum T. I. p. 690.--718.* Tertiae editionis recenſio exhibetur in den Summariſchen Nachrichten aus der Thomaſiſchen Bibliotheck *T. I. p. 195.--211.* De Elswichiana editione item dixi nonnulla in *Actis Philoſ. T. III. p. 149.--154.*

IEAN BOISSEAV Nouvelle Deſcription de la Ville & Vniverſité de Paris. A Paris 1665.

* Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis, ipſius fundationem, Nationes, Facultates, Magiſtratus, Decreta, Cenſuras & Iudicia in negotiis Fidei, Priuilegia, Comitia, Legationes, Reformationes, item antiquiſſimas Gallorum Academias, aliarum quoque Vniuerſitatum & religioſorum Ordinum, qui ex eadem communi matre exierunt, inſtitutiones & fundationes, aliaque id genus, cum Inſtrumentis publicis & authenticis, a Carolo M. ad noſtra (a) tempora ordine chronologico complectens. Authore CAESARE EGASSIO (b) BV-

(a) Tamen ad annum duntaxat 1600. producta eſt haec hiſtoria: id quod dolendum. Contradicit vero ſibi Bulaeus, in Praef. ad Tomum VI. ſcribens, ſe initio ſtatim conſtituiſſe, filum huius hiſtoriae texere non vltra annum 1600. Ac videtur prius conſilium mutaſſe metu cenſurarum, recentiorum temporum deſcriptionem ſecuturarum. Nam a 1667. iam prodierat *Cenſura Facultatis Theologicae Pariſienſis* in hanc Hiſtoriam, teſte Bailleto *T. II. Iug. P. I. p. 151.* qui & refert, eodem anno Bulaeum edidiſſe *Notas ad* hanc *Cenſuram.* Emendat quoque Bulaeus in *Praef* ad *T. V.* pauca ſuperiorum Tomorum loca e ſententia Cenſorum.

(b) Mortuum eum eſſe Lutetiae a. 1678 docet loco laudato Bailletus. Ipſe Bulaeus de ſua familia maioribusque ſuis differit *T. VI. p. 966.*

BVLAEO, Eloquentiae emerito Profeſſore, antiquo (c) Rectore, & Scriba (d) eiusdem Vniuerſitatis. Tomus (e) primus. Ab anno circiter 800. ad annum 1100. Pariſiis 1665. Tomus II. 1665. Tomus III. 1666. Tomus IV. 1668. Tomus V. 1670. Tomus VI. 1673 *fol.*

Cum opus hoc Bulaei tam rarum ſit in Germania, vt non ſolum Morhofius *Polyhiſt. lit. lib. I. cap. 16. §. 74.* fateatur, id ſe nunquam vidiſſe, ſed nec Conringii ſub oculos venerit, quippe qui inde *Antiquitates* ſuas *Academicas* ſuppleturus erat; gratum facturus videor lectoribus meis, ſi ampliorem eius operis (f) notitiam hic exhibeam, cuius vnum exemplar habet bibliotheca noſtra Academica Gottingenſis, acceptum e bibliotheca Vffenbachiana. In *Tomo* igitur *primo* praemiſſa narratione de vetuſtiſſimis Galliarum Academiis, Druidarum, Maſſilienſi, Auguſtodunenſi, Narbonenſi, Toloſana, Burdigalenſi, Lugdunenſi, itemque de ſcholis Gallicis priſci

ſq. & *p. 973. ſq.* Ac in *Praef.* ad *T. I.* ait, ante ſe neminem ſcripſiſſe Hiſtoriam Pariſienſis Academiae. Scripta Bulaei reliqua commemorat & laudat Baelius *Dict. hiſt. crit.* v. *Boulai.*

(c) *Antiquus Rector* dicitur is, qui functus eſt munere Rectoris Academiae, geweſener Rector: id quod apparet ex *T. V. p. 743. 744.* & *771.*

(d) Hoc eſt, Archiuarius: id quod cognoui ex *T. III. p. 37.*

(e) Laudat in *Praef.* ad *T. VI.* Bulaeus Petrum Padetium, qui non ſolum ſuaſor componendae huius Hiſtoriae fuerit, ſed ſumtus etiam typographicos, quamdiu vixerit, liberaliter ſuppeditarit. Addit, eo rebus humanis erepto Nationem Academiae Gallicanam aliquid ſumtuum praebuiſſe; caetera ſemetipſum exſoluiſſe, ac *ſumtibus his exhauſtum eſſe.* Caeterum de hoc Bulaei opere vid. Guido Patinus *Epiſt. 234. p. 681.* & *Epiſt. 389. p. 157.* & *Epiſt. 507. p. 492.* itemque Rich. Simonius *Biblioth. Crit. T. I. p. 2.* & *T. II. p. 375.*

(f) *Primi Tomi* recenſio exhibita eſt in den Summariſchen Nachrichten von der Thomaſiſchen Bibliotheck *T. I. p. 23. -- 50.* & *p. 140. -- 165; ſecundi* in *T. II. p. 1. -- 53.* & *p. 285. -- 328.*

prisci aeui, *p.91.--121.* docet, conditorem Vniuersitatis Parisiensis fuisse Carolum M. tumque *p. 121. -- 130.* refellit Steph. Paschasium, Andream Duchesnium, & Antonium Loiselium, id negantes, iunioremque facientes huius Academiae originem. Hinc *p.131.--231. primum saeculum Vniuersitatis Parisiensis* describere se professus, de haeresi *Felicis Vrgelitani* agit, eiusque studio Caroli M. facta oppressione, de multis rebus gestis Caroli M. & Ludouici Pii, Paparumque illius temporis, de viris item & scriptis doctis eiusdem aeui: de Academia vero Parisiensi prope nihil affert, quam *p. 178.* ait *magna ex parte tum paene contabuisse.* Describit hic etiam historiam *Godeschalci* haeretici, itemque *Ioannis Erigenae* historiam: qui cum Carolo Caluo carissimus fuerit, sub hoc rege refloruisse Academiam Parisiensem, scribit Bulaeus *p. 189. Pag. 211.-- 228.* agit de institutione Academiae Oxoniensis, circa annum 884. facta a rege Alfredo. Iam *p. 232.--286.* sequitur *Synopsis primi saeculi*, in qua & exhibet varias Dissertationes Academicas, scilicet *de Nuntiis Vniuersitatis, de stipendiis & nominationibus ad beneficia, de Nationibus & Facultatibus, de Rectore Vniuersitatis, de Iudice & Conseruatore priuilegiorum Academicorum, de Cancellariis Vniuersitatis. P. 287.-- 346.* describitur *saeculum secundum* ab a. 900. vsque ad annum 1000. Hoc tractu temporis ait *p. 288. in ipsamet ciuitate Parisiensi vix apparere vmbram vestigiumque literariae professionis. Pag. 290.--293.* profert, quae iactantur a quibusdam de antiquitate Cantabrigiensis Academiae prae Oxoniensi: sed ea reiicit tanquam supposititia. Praeterea totius huius saeculi ciuilem tantum & ecclesiasticam (qua occasione de *Gerberto* siue *Papa Syluestro II.* multa occurrunt:) tractat historiam, de schola Parisiensi paene mutus. *Pag. 347.--506. tertium* decurritur *saeculum* ab a. 1000.--1100. Hoc tempore laetissime vbique terrarum & gentium refloruisse literarum studia, obseruat. Caeterum & hic plurimum loci occupat ciuilis historia & ecclesiastica. Videas igitur hic multam mentionem haereticorum id temporis exortorum in Gallia, ac potissimum de *Berengario* habitisque contra eum Conciliis longam narrationem, de *Roscelino* item, ac de bonae famae theologis, *Ful-*

berto Carnotenſi, & *Lanfranco. Pag.383.--390.* exhibetur Belloreſtii narratio de ſtatu Academiae Pariſienſis; *p.395.-- 400.* Diſſertatio de inſtitutione *Parium* Franciae; *p. 443. ſq.* de origine Ordinis Carthuſiani. In *Synopſi ſaeculi* huius tertii *p. 511.--520.* agitur de miſera literas tractandi ratione huius ſaeculi; *p. 520.--524.* diſſeritur de ſcholis prouincialibus; *p.524.--532.* de mercede ſeu honorario Regentium; *p.536.--541.* de *ordaliis* ſiue iudiciis diuinis. Denique *p.542.--549.* producitur *Catalogus* alphabeticus *illuſtrium Academicorum*, hoc eſt, eorum, qui Lutetiae literis animum excoluerunt per tria haec ſaecula. Hic digna lectu, quae *p.549.--552.* habentur de *Alcuino; p. 584. ſq.* de *Fulberto Carnotenſi; p. 630. ſqq.* de *Rabano Mauro.*

Tomo ſecundo continetur hiſtoria quarti ſaeculi ab a. 1100.--1200. Etiam hic multa pertinent ad ciuilem pariter atque eccleſiaſticam hiſtoriam. Agitur enim hic loci de ordinibus monaſticis hoc ſaeculo inſtitutis, de *Gilberto Porretano*, de Waldenſibus & Albigenſibus, de *Thoma Cantuarienſi*, de *Alano de Inſulis*, (de quo & ſingularis Diſſertatio exhibetur *p. 432.--440.*) de Academia Oxonienſi, Bononienſi, & Cantabrigienſi. Quae de *Hugone de S. Victore*, Summiſtarum patre, de *Petro Abaelardo*, (cuius tota hiſtoria copioſe, licet ſparſim, hic exponitur,) de *Anſelmo Laudunenſi*, & de *Petro Lombardo* referuntur, ad Pariſienſem pertinent Academiam, itemque, quae *p.255. ſqq.* leguntur de origine graduum Academicorum. *Synopſis huius ſaeculi* ſequitur *p.551. ſqq.* & in ea *p.554. ſq.* de priuilegiis agitur ſcholae Pariſienſi hoc ſaeculo tributis; *p.556. ſqq.* de literis humanioribus hac tempeſtate Lutetiae admodum florentibus; *p.562. ſqq.* de corrupto huius ſaeculi ſtudio philoſophiae, quam Noſter vocat *fantaſticam & garrulam; p.572. ſqq.* de Medicinae & Iuris ciuilis Profesſoribus in Academia Pariſienſi ortis; *p.582.--660.* de Theologia Scholaſtica huius ſaeculi; *p.661. ſqq.* de Academiae Pariſienſis regimine, & legibus ſeu ſtatutis; *p. 674.--686.* de gradibus ſcholaſticis ſiue titulis Academicis. *Pag. 715.--778.* exhibetur Catalogus illuſtrium Academicorum quarti huius ſaeculi.

saeculi. Hic plura reperies *p. 719. sqq.* de *Alano Magno* siue *de Insulis*, *p. 725.* de *Alexandro Neckam*, *p. 740. sq.* de *Philippo Gualtero*, scriptore *Alexandreidos*, *p. 758. sqq.* de *Petro Abaelardo*, *p. 761. sqq.* de *Petro Blesensi*, *p. 764.* de *Petro Comestore.*

Tomus tertius quinti saeculi Vniuersitatis Parisiensis historiam exhibet ab a. 1200.--1300. In huius Praefatione Academiam Parisiensem diuidit auctor in antiquam & nouam. Illam, prioribus quatuor saeculis conclusam, fatetur obscuram esse; hanc claram esse & manifestam, constitutis quinto hoc saeculo Facultatibus Theologiae, Iuris Canonici, & Medicinae. Ibidem ait, se antea *Compendium huius Historiae* edidisse. Denique commemorat, se priorum Tomorum editione multorum odia in se prouocasse, maxime Facultatis Theologicae, quae nolit inferior esse Rectore Vniuersitatis, e Facultate Philosophica eligi solito: sed simul spernit acres censuras quaslibet generose. Docet item, a nonnemine compositam esse *Historiam Vniuersitatis Parisiensis Anti-Bulaeanam*, sed nondum editam. Nec postea eam prodiisse in publicum, inde colligo, quod nullam eius mentionem fecit Bailletus in opere suo *de libris Anti.* Veniamus ad potiora huius tertii Tomi argumenta. *Pag. 4.* docetur, Philippum Augustum regem a. 1200. demum scholam Parisiensem exemisse iurisdictioni iudicis saecularis, eamque remisisse ad forum ecclesiasticum. *Pag. 19. sq.* de *Alano de Insulis* exhibentur cognitu digna; *p. 25. 48.* & *49.* de doctrina *Amalrici. P. 23.* docetur, hoc tempore Academiam accepisse Syndicum; & *p. 52.* & *59*, confirmata fuisse a Papa statuta Academiae Parisiensis. *P. 95.* & *111.* leguntur excommunicati Scholares de nocte & de die cum armis incedentes: & *p. 118.* proprium sibi sigillum fecisse Academia legitur. De dispersione Academiae Parisiensis a. 1229. facta differitur *p. 132. sq.* & *p. 140. sqq.* narratur, reuersis Lutetiam Musis post bienne exilium aucta fuisse Academiae priuilegia. De *Alexandro Alensi* inspiciatur *p. 200. sq.* de institutione Collegii Sorbonici *p. 233. sqq.* de turbatione Academiae ab ordinibus mendicantibus facta *p. 248. sqq.* de *Roberto Capitone* siue *Grossetește p. 260. sqq.* de *Euangelio aeterno*, deque *Guilielmo de S. Amore*, occasione illius contro-

 tro-

trouerſiae magnis moleſtiis implicito, *p.299.--368.* Accepiſſe tum proprium ſigillum Facultatem Iuris Canonici, *p. 401.* relatum legimus. Diſſidium inter regem Galliae Philippum & Papam Bonifacium VIII. *p.513.ſqq.* deſcribitur ex monumentis certae fidei. *P.535.ſqq.* de *Petro Ioanne Oliui* longisſima fit mentio. *Pag.548.ſqq.* ſequitur *Synopſis quinti huius ſaeculi*, in qua occurrit *p. 557. ſqq.* Diſſertatio de Facultatibus & Nationibus Vniuerſitatis, *p.562. ſqq.* de eiusdem regimine, *p.568.ſqq.* de comitiis eius, & *p.578.ſqq.* de eius Officiariis. Hic etiam Bulaeus noſter *p.586.ſq.* exhibet catalogum Scribarum Vniuerſitatis: inter quos ſe ponit loco vltimo, docetque, ſe, cum eſſet Rector Vniuerſitatis, electum quoque fuiſſe Scribam, ſed munus hoc adminiſtraſſe per alium Theologiae Baccalaureum, donec Rectoratu abiret. In *Catalogo illuſtrium Academicorum quinti ſaeculi p. 671. ſq.* de *AEgidio Romano*, *p.685.ſq.* de *Guilielmo de S. Amore*, *p. 690. ſq.* de *Iacobo de Vitriaco*, & *p. 711.ſq.* de *Thoma de Aquino* diligentius diſſeritur.

In *Tomi quarti*, habentis hiſtoriam ſaeculi decimi quarti Chriſtiani, *p. 3.* diploma legi poteſt Philippi Pulchri regis, quo a. 1301. confirmauit priuilegia Vniuerſitatis omnia. Diſſidii inter hunc regem & Bonifacium VIII. hiſtoria pertexitur *p.5.-- 62.* De Collegii Nauarrici fundatione adi ſis *p. 74.ſqq.* & de *Arnoldi Villanouani* erroribus *p. 121.* ac de ortu Collegii Harcuriani in hac Academia *p. 152. ſqq. Pag. 257.ſq.* & *265.ſq.* & *317.ſq.* damnati ab Academia leguntur errores *Guil. Occami.* Fundatio Collegii Boiſſiaci *p.349.ſqq.* deſcribitur, & *p.388. ſqq.* reformatio huius Vniuerſitatis per Vrbanum V. facta. De haereſi Wicleſiana diſſeritur *p. 447.--460.* De ſchismate Papali, a. 1378. nato, ex quo tempore Eccleſia diu duos Papas habuit, Romanum & Auenionenſem, agitur *p. 463.--602:* & *p. 687.--884.* conſilia Gallorum, maxime Theologorum Pariſienſium, tollendi ſchisma illud horrendum & informe, exhibentur. In *Synopſi* huius *ſaeculi ſexti p. 895.ſqq.* profertur Diſſertatio de Cenſuris Vniuerſitatis; *p.911.ſqq.* de Pontificis Romani deque Regis collationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum; *p. 932.ſqq.* de conuocatione Conciliorum per Reges

&

& Principes laicos, deque praesidentia & conclusione; *p. 935. sqq.* de quaestione, an Papa sit dominus omnium tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Vltimum locum tenet *p. 947. sqq.* Catalogus illustrium sexti huius saeculi Academicorum: in quo *p. 961. sqq.* de duobus *Henricis de Hassia* agitur, in vnum confundi solitis; *p. 970. sq.* de *Ioanne Duns Scoto*; *p. 976. sq.* de *Nicolao Lyra*; *p. 979. sq.* de *Petro Alliacensi*; *p. 996.* de *Ioanne Buridano.*

In *Tomo quinto* progressus auctor ab anno 1400. vsque ad annum 1500. *p. 4.--24.* praelongam exhibet epistolam Academiae Tolosanae ad Regem, in qua Papa Benedictus, a qua defecerat Parisiensis Academia, defenditur, contenditurque, praestandam ipsi esse obedientiam. Statim *p. 25.--53.* sequitur Academiae Parisiensis responsio: & *p. 56. -- 63.* recitantur *Rationes contra restitutionem obedientiae* erga istum Papam. Tandem vero assensit Academia Parisiensis Regi suo, Benedictum verum Papam agnoscenti: exstantque Regiae huius argumenti literae *p. 66.--70.* Ad hunc Papam ab Academia legati, Ioannis Gersonis, Cancellarii, Oratio producitur *p. 71.--81.* Ac in sequentibus quoque copiosissime exhibentur acta Ecclesiae Gallicanae durante schismate Papali vsque ad Concilium Constantiense. De Pisano Concilio multa proferuntur *p. 191. sqq.* De *Ioannis Parui*, theologi Parisini, tyrannicidium approbantis, controuersia agitur *p. 247. sqq. 284. sqq. 300. sqq.* & *332. sq.* Plurima etiam hic occurrunt Constantiensis historiam Concilii illustrantia. Rectorem Academiae ob contumaciam quandam coniectum a Rege fuisse in carcerem, *p. 309.* legimus. De Ioanna, puella Aurelianensi, quam Academia Parisiensis condemnauit tanquam diuinatricem, daemonum inuocatricem, blasphemam, schismaticam, & haereticam, vetusta monumenta proferuntur *p. 394.-- 408.* Hinc *p. 408.--509.* de Concilio Basileensi agitur. De Reformatione Parisiensis Academiae, a. 1452. secundum singulas Facultates facta, exponitur *p. 562.--577.* Ortus Academiae Bituricensis, cuius institutioni Parisiensis & Aurelianensis Academiae aduersatae erant, *p. 661. 674. sq. 689.* & *715.* describitur. De Scholastica inter Nominales & Reales contentione *p. 705. sqq.* & *739.*

sqq. potiora commemorantur. Synopsin accuratam & concinnam de huius saeculi statu Academiae Parisiensis deprehendes *p. 851. sqq.* Sequitur *p. 865. sqq.* illustrium huius saeculi Academicorum Catalogus: in quo *p. 878. sq.* mentio fit *Guilielmi Ficheti*, qui a. 1467. Academiae Parisiensis Rector fuit, primusque Lutetiam reuocauit Latinae eloquentiae studium ac stylum veteris Latii: discipulum nactus *Robertum Gaguinum.* Iucunda quoque lectu sunt, quae de *Ioanne a Lapide p. 889. sq.* & de *Nicolao de Clamengis p. 908. sq.* reperiuntur. Denique *p. 918. sq.* *Vdalricus* siue *Vlricus Geringius* laudatur, Germanus, qui a. 1470. cum duobus artis sociis, Martino Cranzio & Mich. Friburgero, Lutetiam venit, & in via Iacobaea ad Solem aureum artem typographicam primus exercuit e partisque hoc artificio diuitiis testamento aliquid addixit Sorbonae.

Quae in *Tomo VI.* ab anno 1500. vsque ad annum 1600. praeter minutias Academicas occurrunt, haec fere sunt. *P. 6. sqq.* opponit se Academia exactioni decimae Papali. Eadem *p. 13. sqq. 74. sqq. 81. sqq.* & *771. sqq.* obsistit Papae Sanctionem pragmaticam abolere cupienti. Pag. *28. sqq.* & p. 70. adoptat Facultas Medica, hoc est, *in gremium & consortium Vniuersitatis admittit* chirurgos barbitonsores. De Reuchlino multa inuenies *p. 47. sqq. 52. sqq. 61. sqq. 72. sq.* & *107*; de Concilio Pisano *p. 47. 50. sq.* de collegio trilingui a Francisco I. Lutetiae instituto *p. 93. sqq.* & *221. sq.* Cumque & multum hic exhibeatur e Lutheranae contentionis historia, multi simul errantur errores historici. Quae *p. 116. sqq.* exstat *Determinatio Theologicae Facultatis Parisiensis super doctrina Lutheriana, hactenus per eam visa*, ea & Operibus Lutheri Latinis Ienae inserta est *T. II. f. 419. sqq.* Multis quoque hic illustratur Erasmi historia ex epistolis, quae tamen maximam partem iam reperiuntur in Volumine Epistolarum eius. *Pag. 238.* legimus, Nicolaum Copum, Rectorem Parisiensis Academiae, accusatum fuisse haereseos Lutheranae; iureque eum fuisse suspectum, inde apparere, quod sine mora aufugerit e Gallia, nondum finito Rectorio munere. De Ramaea controuersia agitur *p. 387. sqq. & 394. sq.* Caedis tamen Rami nulla hic fit mentio; ac de nuptiis illis Parisinis altum hoc in Tomo silentium.

um. Scilicet, quae Thuani vox erat, *excidat illa dies aeuo.* De Iesuitis, noua tum secta, eorumque cum Academia Parisiensi litibus perpetuis exponitur *p. 559.--649.* & aliis quoque locis, quae Index indicat. De *Academiae Francicae* ortu, ad expoliendam linguam Gallicam a. 1570. conditae, satis leges *p. 714. sqq.* Noua Facultatis Theologicae Statuta exhibentur *p. 790. sqq.* In Catalogo illustrium huius saeculi Academicorum potissimum obseruanda, quae *p. 918.* de *Adriano Turnebo*, *p. 926.* de *Claudio Espencaeo*, *p. 937.* de *Guil. Budaeo*, & *p. 941. sq.* de *Iac. Fabro Stapulensi* scripta sunt. Tandem *p. 976. sqq.* oculis legentium subiicitur Catalogus Rectorum Vniuersitatis Parisiensis ab anno 1500. vsque ad annum 1600.

Apparet hinc, Bulaeum *Historiae* suae *Vniuersitatis Parisiensis* inseruisse totam Galliae historiam literariam, imo & historiam caeterarum illius temporis Academiarum, praetereaque historiam ecclesiasticam & magnam historiae ciuilis partem. Quae digressionum multitudo hoc expressit iudicium Bernhardo de la Monnoye in annot. ad Bailleti *Iug. T. II. P. I. p. 151: Mr. du Boulay étoit de ceux, qui font de gros Livres, faute d' être capable d' en faire de petits, qui soient bons.*

* **Statuta Facultatis Medicinae Parisiensis. Parisiis 1660.** *pl. 8. & dim.* in 12.

Praefatio docet, haec Statuta fuisse lata & promulgata in Senatu 1598; publicata in Comitiis Academiae 1600; lecta vero in Scholis Medicorum a. 1602. die D. Lucae (*qui scilicet Medicus fuit*,) dicato: ac tum Doctores singulos *iurasse in ipsorum obseruationem. Artic. VIII.* sancitur, vt nemo creetur Doctor Medicinae, nisi qui sit Magister Artium seu Philosophiae. *Artic. XXV.* statuitur, vt pauperes gratis creentur Doctores, ea tamen conditione, vt polliceantur *& publico instrumento fidem suam adstringant*, se honorarium persoluturos, *cum ad meliorem fortunam peruenerint.*

Reformation de l' Vniuersité de Paris. A Paris 1667. 8.

Hic liber iam a. 1601. prodierat in 8.

CESAR

CESAR EGASSE DV BOVLAY Remarques ſur la dignité, rang, préſeance, autorité & Iurisdiction de l'Vniverſité de Paris. A Paris 1668. 4.

Non dubito hunc eſſe librum illum, quem ſub titulo *Notarum ad Cenſuram* laudat Bailletus *Iug. T. II. P. I. p. 151.*

* La fondation du College Mazarini, avec les Lettres patentes & Arreſt d' enregiſtrement au Parlement. A Paris 1669. 4. *pl. 3.*

* Advis pour le bien & la conſervation de l' Vniverſité de Paris, par Mr. Gabriel Dabes, ancien Profeſſeur de Philoſophie au College de la Marche. *pl. 3. in* 4.

Annus editionis non eſt indicatus in titulo.

Recueil des Privileges de l' Vniverſité de Paris, accordéz par les Rois depuis ſa fondation. A Paris 1674. 4.

IO. LAVNOII Regii Nauarrae Gymnaſii Pariſienſis (a) Hiſtoria. Pariſ. 1677. 4.

Hoc Opus cum non nanciſceretur tot emtores, quot bibliopolae commodum eſſet, hic huic ipſi editioni (id quod obſeruatum eſt in den Summariſchen Nachrichten von der Thomaſiſchen Bibliotheck *T. I. p. 243.* & *244.*) alium praefixit titulum, & quidem hunc:

* IO. LAVNOII Academia Pariſienſis illuſtrata, quatuor partibus diuiſa. *Prima* continet, quae ab a. 1304. vsque ad a. 1640. in Regio Nauarrae Gymnaſio geſta ſunt; *ſecunda* Regiae Nauarrae Elogia; *tertia* Scriptores 135. Scriptorumque vitam ſeu elogium cum Operum indice; *quarta* doctorum 163. qui bene acta vita claruerint, elogium. Pariſ. 1682. 4. Tomi II. *Alph. 6. pl. 4.*

*GEOR.

(a) Docet Bailletus *Iug. T. II. P. I. p. 151.* Launoium hunc librum habuiſſe omnium ſuorum operum cariſſimum.

* GEORGII WALLINI, Sueci, Lutetia Parisiorum erudita annorum huius saeculi XXI. & XXII. Noribergae 1722. 8. *pl.* 12.

In huius libri *Capite quarto p. 81.--90.* Vniuersitatis Parisinae status hodiernus perbreuiter describitur.

* IOACH. CHRISTOPH. NEMEIZIVS, Consiliarius Principis Waldeccensis, in suo *Sejour de Paris* (a) *cap. XXV. §. 5. p.* 266.--272. describit hodiernum statum Parisiensis Academiae. Idemque fit in Anonymi Neuestem gelehrten Staat von Pariß, edito Ienae 1724. 8. *p. 116.--126.*

* De vero ortu Academiae Parisiensis agit ANTONIVS PAGIVS in Critica *Anti-Baroniana* ad *A. C. 802. §. XI.* & *XII.*

Hic & laudatur LOISELII liber *de Vniuersitate Parisiensi*, & PETRI BONFONSII *Antiquitates Parisienses*, & CLAVDII IOLYI liber *de scholis Episcopalibus & Ecclesiasticis.*

* * *

Dudum haec perscripseram, cum meos venit sub oculos IACOBI LONGI *Bibliotheca Franciae historica*, in eiusque paginis *861.--866.* Catalogus scriptorum de Vniuersitate Parisiensi. Obseruaui, non esse, cur a me collecta abiicerem. Nam etsi plura scripta producit *Longus*, quam ego, meus tamen Catalogus etiam quaedam habet, a Longo non commemorata. Praeterea meis lectoribus aliae quoque animaduersiones occurrent, quas legisse haud poenitebit. Caeterum cum *Longus* produxerit etiam libros ad caeterarum Galliae Vniuersitatum historiam pertinentes *p. 869.* & *870.* hinc multa scripta meae huic *Bibliothecae historicae Academicae* inserui, quorum mentione alioquin ea erat caritura.

(a) Huius libri Germanice scripti prima editio prodiit Francof. 1718. tertia 1728. 8.

PATAVINA.

Statuta Vniuersitatis Patauinae Iuristarum. Pataui 1551. 4.

Recusa sunt ibidem 1638. & 1645.

BERNARDINI SCARDEONII de antiquitate vrbis Pataui & claris ciuibus Patauinis libri tres. Basileae 1560. *fol. Alph. 5.*

Recensetur hoc opus in *Struuii Bibliotheca antiqua a. 1705. p. 153. sqq.* Ex ea recensione cognosco, *Scardeonium* sparsim & paucis egisse de antiquitate deque Professoribus Academiae. Quanquam idem *Struuius* in sua *Bibliotheca Iuris Cap. I. §. 7.* refert, *Scardeonium* in libri secundi Classe octaua exhibere *claros ICtos Patauinos.*

De Constitutionibus & Immunitatibus almae Vniuersitatis Iuristarum libri IV. ex Illustrissimi Senatus Veneti auctoritate denuo correcta & emendata. 1562.

Hunc librum commemorat *Tomasinus Gymnasii Patauini lib. I. cap. 24. p. 62.* addens, *eadem forma Statuta Vniuersitatis Philosophorum & Medicorum, cognomento* Artistarum, *saepius edita esse.*

ANTONII RICCOBONI Commentarii de Gymnasio Patauino, quibus antiquissima eius origo, & multa praeclara ad Patauium pertinentia, Doctoresque clariores vsque ad annum 1571. ac deinceps omnes, quotquot in eo floruerunt & florent, eorumque controuersiae, atque alia memoratu dignissima, recensentur. Pataui 1598. 4.

Hic *pauca & ieiuna & leuia nec maiestatem Gymnasii referentia exhiberi*, scribit Papadopolus in *Praef.* operis sui postea laudandi. Hoc *Riccoboni* Opus recusum est in Burmanniano *Thesauro Scriptorum Italiae T. VI. P. IV.*

Sta-

Statuta Vniuerſitatis Patauinae Artiſtarum, Patauii 1607. 4.

Recuſa 1648. 4.

IAC. PHIL. TOMASINI Prodromus Athenarum Patauinarum. Vtini 1633. 4.

Inſtituta & Priuilegia Vniuerſitati Patauinae ab anno 1260. vsque ad annum 1640. a Senatu Veneto conceſſa. Patauii 1645. 4.

* OCTAVII FERRARII Bos, Patauinae Academiae titulus.

Eſt quinta *Proluſionum* eius, Patauii 1650. editarum, *p.72.–85.* *Titulus* hic ſignificat *inſigne.* Ac ipſe ſe ita interpretatur *Ferrarius p. 84.*

* Gymnaſium Patauinum IACOBI PHILIPPI TOMASINI, Epiſcopi AEmonienſis, libris V. comprehenſum. Primus de Gymnaſii origine, incremento, decremento, confirmatione, aedificiis: de Vniuerſitatibus (a) Studioſorum, eorum priuilegiis, honoribus, miniſtris: de Profeſſoribus, Cathedris, Collegiis, caeterisque ad veram totius Academiae rationem pertinentibus. Alter Profeſſores tum Iuris Pontificii, tum Ciuilis, a prima origine ad noſtra tempora enumerat. Tertius Profeſſores Theologiae, Sacri Codicis, Philoſophiae Naturalis, Moralis, Metaphyſicae, ac Medicinae, aliarumque Artium recenſet. Quartus Gymnaſii hiſtoriam & memorabilia quaedam ad annos quingentos breviter perſequitur. Quintus Gymnaſii monumenta exhibet. Vtini 1654. 4. *Alph. 3. pl. 1.*

(a) Scilicet, id quod e *libri I. cap. 13.* cognoscimus, Gymnaſium Patauinum conſtat duabus Vniuerſitatibus, quarum vtraque aliquando ſuum habuit Rectorem. Altera vocatur *Iuriſtarum*, ad quam pertinent Iurisconſulti; altera *Artiſtarum*, ad quam Philoſophi, Medici, ac Theologi referuntur. Vid. & *Cap. 19.*

Exhibentur etiam hoc in libro figurae aeneae Gymnaſii, Rectoris, Prorectoris, ſceptrorum, ſigillorum, theatri anatomici, & horti medici. Caeterum Papadopolus in *Praef.* operis ſui poſt commemorandi iudicat, Tomaſinum tradidiſſe quidem *fuſiora, ſed incerta, gratis propoſita, obſoleta, obſcura, ac plane perturbata, & ita rebus alienis immiſta, vt Patauinam potius, quam ſcholaſticam, chronologiam contexere videatur.*

FRANCISCI BOSELLI (*Profeſſoris Chirurgiae Patavini,*) Amaltheum Medico-Politicum. Patauii 1665. 4.

In hoc libro exhibentur Encomia Medicinae in hac Academia Profeſſorum ab anno 1631. vsque ad hoc tempus.

* GREGORIVS LETI in *Italia regnante*, Geneuae 1675. & 1676. edita, *P. III. libro III. p. 191. --336.* commemorat praecipuos Academiae Patauinae Profeſſores recentioris aeui vna cum ipſorum ſcriptis. Et in *libro IV. p. 541. --551.* exhibet nomina Profeſſorum, qui in Academia Patauina docuerunt a. 1674. & 1675. Ex eo loco patet, iſtam Academiam habuiſſe illo tempore LIII. Profeſſores, ac praeterea vacuas fuiſſe tres ſtationes Profeſſorias.

Lyceum Patauinum, ſiue Icones & Vitae Profeſſorum, Patauii a. 1682. publice docentium. Pars prior, Theologos, Philoſophos, & Medicos complectens: per CAROLVM PATINVM, Equitem D. Marci, Doctorem Medicum Pariſienſem, & primarium Chrurgiae Profeſſorem Patauinum. Patauii 1682. 4.

Nomina horum Profeſſorum exhibentur in *Actis eruditorum 1682. p. 375. ſq.* Pars huius operis poſterior, Legiſtas ſive ICtos complexura, non fuit edita, ac fortaſſe nec elaborata.

Inclytae Nationis Germanicae Theologicae, Medicae, & Philoſophicae Facultatis in illuſtri Patauina Statuta & Privilegia,

vilegia, in ordinem digesta, saepius confirmata, & denuo approbata d. 10. Sept. 1709. Patauii 1710. 4. *pl. 3.*

Statuta & Priuilegia Iuridicae Facultatis in Vniuersitate Patauina, aucta & commodiori ordine digesta die 30. Ianuarii 1718. Patauii 1718. 4. *pl.* 4.

ANGELVS PORTENARIVS Italico sermone 1723. *fol.* edidit Patauii opus (quod recensetur in *Giornale de letterati d' Italia T. X. p. 294. sq.*) *nouem librorum de felicitate Patauii*, in quorum *septimo* etiam de ciuibus doctrina illustribus agit.

* NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI (*Iureconsulti Academiae Patauinae,*) Historia Gymnasii Patauini, post ea, quae hactenus de illo scripta sunt, ad haec nostra tempora plenius & emendatius deducta: cum Auctario de claris tum Professoribus, tum alumnis eiusdem. Tomi II. Venetiis 1726. *fol. Alph. 8.*

Recensetur hoc opus in *Actis eruditorum 1727. p. 49. sqq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Patauinae anni 1733. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1735. *p. 85. sqq.*

PAVIENSIS.

Vid. TICINENSIS.

PERNAVIENSIS.

* De ortu Academiae Pernauiensis legenda *Noua literaria Maris Balthici 1699. p. 266. sqq.* & *p. 357. sqq.* vbi describitur eius inauguratio, adiecto Professorum catalogo.

GABR. SIOEBERGII (*Prof. Hist.*) Pernauia literata. P. I. 1703. P. II. 1704.

Pollicitus etiam est *Partem tertiam:* sed haec non prodiit.

* Inauguratio huius Academiae, a. 1699. facta, describitur in der Historisch-Politisch-und Geographischen Beschreibung des Königreichs Schweden, Francof. & Lipſ. 1708. 8. edita, *P. II. Cap. 6. p. 234. ſq.*

PERVSINA.

CLEMENTIS V. Papae Bulla fundationis Academiae Peruſinae, a. 1307. data.

Exſtat in *Bullarii magni Romani T. I. p. 165.* Ibidem *p. 172.* reperitur Ioannis XXIII. a. 1318. data *Bulla de Lectorum ad Studium Peruſinum admiſſione, & Scholarium promotione ad Doctoratum.*

ALBERICI GENTILIS Laudes Academiae Peruſinae & Oxonienſis. Hanouiae 1605. 8.

Hic ingenium ſuum excoluerat adoleſcens in Peruſina Academia, creatusque ibi eſt Doctor Iuris.

AVGVSTINI OLDOINI Athenaeum Auguſtum, in quo Peruſinorum ſcripta publice exponuntur. Peruſiae 1687. 4.

Album Iurisconſultorum almi Collegii Peruſiae Auguſtae viuentium anno 1717. Peruſiae 1717. 4.

PETROPOLITANA.

Sermones in primo ſolenni Academiae Scientiarum Imperialis conuentu d. 27. Dec. anni 1725. publice recitati. Petropoli 1726. 4. *pl. 15.*

Recenſentur in *Actis eruditorum* 1726. *p. 353. ſqq.* & in *Frid. Iac. Beyſchlagii Sylloge variorum opuſculorum T. I. p. 680. ſqq.*

* De

* De initio huius Academiae simul & Vniuersitatis agitur] in den Gelehrten Zeitungen anni 1726. *p. 114. sq. p. 177.--181.* vbi & nomina Professorum recensentur, *p. 382. sqq.* & *p. 713. sq.* item in WEBERI Verändertem Rußland, edit. 1721. 4. *p. 10. sq.* & in *Bibliotheque Germanique T. XI. p. 212. sqq.* & *T. XII. p. 208. sqq.*

Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus I. ad annum 1726. Petropoli 1728. 4. *Alph.* 2. *pl.* 17.

Recensetur hoc opus in *Actis eruditorum 1729. p. 337. sqq.* & 431. *sqq.* Ibidem *a. 1731. p. 297. sqq.* & *a. 1734. p. 259. sqq.* & 352. *sqq.* recensentur *Commentariorum* illorum *Tomus secundus* ac *tertius.*

* Professores Petropolitani anni 1730. recensentur in *Bibliotheque Germanique T. XXI. p. 214. sq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Petropolitanae exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. *p. 153. sqq.*

PICTAVIENSIS.

Traité de l' Vniversité de Poitiers, par de IEAN FILLEAV. A Poitiers 1644. *fol.*

* De ortu Academiae Pictauiensis agit BVLAEVS in *Historia Vniuersitatis Parisiensis* Tomo quinto *p. 842. sqq.*

PISANA.

* PAGANINI GAVDENTII (*Professoris Pisani,*) Gloria Gymnasii Pisani. Florentiae 1638.

Recusus est hic libellus a. 1736. cura *Meuschenii* in Tomo II. *Vitarum summorum virorum p. 153.--156.* In tanta breuitate

breuis

breuiſſima fit mentio illuſtriorum aliquot Profeſſorum huius Academiae.

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Piſanae anni 1735. exhibetur in anni 1736. *Actis Academicis p. 56. ſqq.*

PRAGENSIS.

Hiſtorica narratio de rebus in Bohemia inter proxima regni Comitia in negotio religionis geſtis, qua a viro bono & fide digno ea commemorantur, quae in ſingulos paene dies a Comitiorum initio ad id vsque tempus geſta ſunt, dum a Sereniſſimo Bohemorum Rege *primo* liberum religionis Euangelicae exercitium, *deinde* Conſiſtorii Pragenſis reformatio, *denique* Academiae eiusdem conſtitutio, Ordinum trium regni arbitrio clementiſſime permitteretur A. MDCIX.

De maturanda redintegratione antiquae illius Academiae Pragenſis Oratio ad Illuſtriſſimos Regni Bohemiae Status, & Ampliſſimos Prudentiſſimosque Conſiſtorii ſub vtraque communicantium Academiaeque Directores ac Defenſores, Pragae in publicis Comitiis congregatos, in Collegio Carolino 25. Ian. a. 1610. habita a IOANNE SMILO DE MICHALOWICZ. Pragae, typis haeredis M. Danielis Adami.

IOANNIS SMILO DE MICHALOWICZ, Equitis Bohemi, (*vndecennis tum pueri*,) Oratiuncula de libera, aperta & conſtante religionis confeſſione profeſſioneque, Wittebergae in auditorio maiore 16. Iun. a. 1609. in ſumma frequentia cum admiratione omnium memoriter habita: cumque adiecto Programmate *Lucae Beckmanni*, I. V. D. Rectoris tum Acad. Witeb. & virorum doctorum gratulationibus excuſa Lipſiae. 4.

Orationes duae. Prior luctum Academiae Pragenſis exprimit: poſterior adminicula, quibus frequentior reddi

poſſit

possit, monstrat: habitae in Collegio Carolino a M. NICOLAO TROILO, Hagiochorano, Facultatis Philosophicae p. t. Decano. Pragae 1611. 4.

In priori Oratione, satis nitide scripta, graphice ob oculos ponitur luctus Academiae ob amissos patronos ac Maecenates, quorum nonnulli nominatim laudantur. In posteriori inter adminicula, quibus Academia frequentior reddi possit, primo loco ponitur concessum ab Imp. RVDOLPHO, cui & eo nomine aguntur gratiae, liberum religionis Euangelicae exercitium.

A. 1612. reformatam esse Academiam Pragensem ad modum Academiarum Augustanae Confessioni addictarum, docet IO. AMOS COMENIVS in *Hist. Reform. Bohem. p. 132.*

Hac occasione Academia haec Professorem linguae Hebraeae accepit M. NIC. ALBERTVM a KAMENECK, cuius Orationem inauguralem *de Hebraeae linguae studio* a. 1734. 8. Dresdae recudi curauit *M. Godofredus Balth. Scharffius, Suidnic. ad SS. Trin. Senior.*

Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Pragensis sub Rectoratu IO. CAMPANI. Pragae 1613. d. 16. Aprilis.

BOHVSLAI MATTHIAE GIEZINSKY Programmatum Academiae Pragensis quinquennalium cum semestri Collectio. Pragae 1616. 8.

Hunc librum cum belli tricennalis atrocitas, tum alterius (Pontificiae) *religionis dominium manibus oculisque eruditorum plane subduxit*, inquit *Scharffius* in *Dissertatione Orationi Kameneckii* praefixa *p. 44.* simul indicans, sua inesse in bibliotheca librum hunc.

NICOLAI ALBERTI a KAMENECK, Hebr. ling. in Acad. Pragensi Prof. Programma 1617. d. 1. Martii editum, quo, Baccalaureos Philosophiae creatum iri, indicit.

In hoc *Progr.* nonnulla proferri ad Historiam Academiae Pragensis pertinentia, docet *Scharffius* in modo laudata *Diss. p. 47.* Ibidem refert, eodem illo anno *Kameneckium* in *Programmate*, in quo, Magistros renuntiatum iri, significauit, recoluisse CAROLI IV. Imp. in illam Academiam merita.

MARTINI XAVERII VOLCKMANNI Gloria Vniuersitatis Carolo-Ferdinandeae Pragensis trIgInta trIbVs enCoMIIs orbI DIVVLgata. Pragae 1671. 4.

BOHVSLAVS ALOYSIVS BALBINVS in *Epitome rerum Bohemicarum*, Pragae 1677. *fol.* edita, *lib. III. cap. 21.* agit de ortu Academiae Pragensis.

GEORGII WEIS Gloria Vniuersitatis Pragensis. Pragae 1688. 4.

* In WENCESLAI HAGECII Böhmischer Chronick, Norib. 1697. *fol.* edita, sparsim agitur de ortu deque variis casibus Pragensis Academiae.

HAMMERSCHMIDII Gloria vrbis Pragensis. Pragae 1723. *fol.*

* Catalogus hodiernorum Professorum & Lectionum Academiae Pragensis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1735. *p. 25. sqq.*

REGIOMONTANA.

CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS *Chronico Petri Duisburgii*, quod Francof. 1679. 4. edidit, adiecit *Dissertationes suas XIX. de rebus Prussicis.* In harum decima quarta §. *XXV.* egit de Academia Regiomontana. Idem a. 1684. *fol.* edidit Alt- und Neu-Preussen, cuius in operis Parte secunda *cap. 3.* & *5.* de eadem Academia disserit.

* Pro

* Professores Academiae Regiomontanae anni 1709. recensentur in *Nouis literariis Germaniae 1709. p. 291. sq.*

✱ Professores Regiomontani anni 1730. recensentur in *Bibliotheque Germanique T. XXI. p. 217. sqq.*

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programma, in quo Norimbergenses quosdam, qui in Academia Regiomontana inclaruerunt, commemorat. Altorfii 1726. 4. *pl. 2.*

* De ortu Academiae huius agit CHRIST. AVG. SALIGIVS Historie der Augspurgischen Confeßion *lib. VII. cap. 1. §. 1. p. 899. sq.*

DAN. HENR. ARNOLDI Kurtzgefaßte Historie der Königsbergischen Academie.

Exstat in Tomo IV. des Erläuterten Preußens, a. 1728. 8. edito, *Cap. 39. 41. 44. 45.* & *47.* Conf. Gelehrte Zeitungen 1724. *p. 40.*

Status huius Academiae hodiernus describitur im Preußischen Todes-Tempel, qui liber prodiit a. 1729: & in *Bibliotheque Germanique T. XXI. p. 217. sqq.*

* Catalogus hodiernorum Professorum & Lectionum Academiae Regiomontanae exhibetur in *Actis Academicis* anni 1735. *p. 151. sqq.*

* Nomina Professorum hodiernorum Regiomontanorum proferuntur a G. W. GOETTENIO im Jetztlebenden gelehrten Europa *T. I. p. 261. sq.* Ibidem *p. 268. -- 298.* sex eorum Vitae describuntur.

RHEMENSIS.

Titres, Chartres, Lettres patentes, & autres Ensei-

gnemens, concernant l' établiſſement & erection, privileges & exemptions de l' Vniverſité de Reims. Reims 1620. 4.

Portrait de l' Vniverſité de Reims. Reims 1622. 4.

Nullius pretii eſſe hunc librum, at priorem laude digniſſimum eſſe, docet Le Long *Biblioth. Hiſt. de la France p. 870.*

RINTELIENSIS.

IVSTI REIFENBERGII (*Prof. Iuris,*) Rintelium Academicum, hoc eſt, oppidi & Academiae Rintelenſis deſcriptio. Rintelii 1622. 4.

IO. EICHRODII (*Prof. Iuris, & primi Academiae huius Rectoris,*) Rintelium amoenum, hoc eſt, oppidi & Academiae nouae Rintelienſis fundatio. Rintelii 1624. 4.

* D. IO. GISENII (*Theol. Prof.*) Repurgatio Collegii Rintelenſis, a Caluinianis occupati, commaculati & deformati. Rintelii 1624. 4. *Alph. 1. pl. 13.*

EIVSDEM Academiae Rintelenſis Repurgatio a Pontificiis. Rintelii 1629. 4.

Vtrumque hunc librum acerbiſſimo ſcriptum eſſe ſtylo, D. *Hauberus* docet in *Primitiis Schauenburgenſibus p. 115.*

Prior cum non ita pridem in meas manus venerit, de eo potiora puto dicenda. In *Praefatione* narrat *Giſenius*, ſe, cum a. 1623. milites cum duce ſuo, CHRISTIANO, Brunſuic. & Luneb. Duce, occupaſſent Rintelium, ob pium in Caluinianam religionem zelum a quibusdam militibus illuſtribus, peregre profecto *Chriſtiano* Duce, male habitum, imo in carcerem coniectum fuiſſe; praeterea Caluinianos ſacerdotes voluiſſe docere in Collegio Theologico. Poſtquam igitur hi vna cum militibus Rintelio diſceſſerant, *pio zelo*, vt ait, conſcripſit hanc *Repurgationem Collegii ſiue Auditorii Theologici*

Rin-

Rintelensis. Constat hoc opus decem *Discursibus*, in quorum primo *p. 3.* refert, eo tempore Caluinianos in Collegio Theologico habuisse conciones & administrasse Sacramenta. Tum persequi aggreditur errores Caluinianos, & quidem, vt *p. 5.* §. 7. scribit, *sine vlla verborum asperitate & contumelia.* Id qua fide praestet, testis est in eadem pagina paragraphus proxime sequens, ita profluens: *Sit haec argumentorum istorum summa: PRIMO: Dogmatis Zuinglio-Caluinianorum principium summum est Diaboli susurratio, vt & omnium haeresium. Secundarii Patriarchae sunt homines infideles, fanatici & haeresiarchae, quorum nonnulli in publicis etiam Synodis sunt damnati, vt Berengarius, Nestorius, Mahometistae, Stoici, Carolstadius,* &c. *Carolstadius plantauit, Caluinus rigauit, Diabolus incrementum dedit.* Totus igitur liber consumitur acerrima refutatione doctrinarum Caluinianarum. Ac finiens eum *p. 265. -- 271.* contendit, exclusos esse Caluinianos ex pace religiosa.

LIBORII HAREMANNI Ehren- Gedächtniß-Predigt der Universität Rinteln. 1625. 4.

D. IO. GISENII Denuntiatio instaurationis Academiae Ernestinae, per Illustrissimam ELISABETHAM factae. Rintelii 1642.

Raro obuium esse hunc libellum, docet *Hauberus* in libro modo laudato *p. 129.*

ANDREAE HENRICI BVCHOLZII (*Prof.*) liber de statu Academiae Ernestinae. Rintelii 1644.

* Professores Rintelienses anni 1703. recensentur in eius anni *Nouis literariis Germaniae p. 152. sq.*

D. HENR. ERN. KESTNERI (*Prof. Iuris,*) Rinthelium crescens & decrescens. Rinthelii 1703. 4.

Est Oratio, in qua tota huius Academiae historia describitur. Annexus est Catalogus omnium omnis temporis Pro-

fessorum. Recensetur hic libellus a *Tenzelio* in der Curieusen Bibliotheck *T. I. p. 625. sqq.* & in *Nouis literariis Germaniae 1703. p. 394. sq.*

* De ortu & incrementis Academiae Rinteliensis disserit IO. IVSTVS WINKELMANNVS in der Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld, Bremae 1711. *fol.* edita, *P. IV. cap. 7. p. 461. sqq.*

Hic & *p. 466.* nomina exhibentur Professorum Rinteliensium.

* Descriptio Iubilaei Academici a. 1721. celebrati exstat in Gelehrten Zeitungen anni huius *p. 542. sqq.*

* Historia & monumenta primi festi saecularis, quod Iubilaeum vocant, quo Academia Hasso-Schauenburgica, quae Rintelii ad Visurgim est, memoriam inaugurationis d. 17. & 18. Iulii 1721. concelebrauit. Historiam expressit, & Professorum (*ab initio Academiae ad praesens tempus*) seriem recensuit D. FRID. GVIL. BIERLINGIVS. Rintelii 1721. *fol. Alph. 2. pl. 20.*

Hic etiam exhibetur CHRISTIANI PHILIPPI DOHMII, Prof. Publ. *Carmen heroicum, quo ortum & fata Academiae Ernestinae* (id est, Rinteliensis,) *describit.*

Historia huius Academiae exponitur in *Trimestri tertio* der Historie der Gelehrtheit der Hessen, a. 1726. edito, *Cap. 1.*

* Historia Scholae Academicae (a) Stadthagensis, quae postea Rintelium translata pleniorem Academiae formam accepit, describitur a D. EBERHARDO DAVIDE HAVBERO in *Primitiis Schauenburgensibus*, Guelferbyti 1728. 8. editis, *p. 233. -- 296.*

* IO.

(a) Nam Rector eius salutabatur *Magnificus.*

* IO. NIC. FVNCCII (*Prof.*) Oratio de bibliothecae in Academia Rintelienſi origine & incrementis.

Praemiſſa eſt *Catalogo bibliothecae Academiae Rintelienſis*, edito ab ipſo 1733. 4.

* Catalogus Profeſſorum & Lectionum Academiae Rintelienſis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1734. *p.* 249. *ſqq.*

* Nomina Profeſſorum Rintelienſium anni 1736. proferuntur in G. W. GOETTENII Jeztlebendem gelehrten Europa *T. II. p.* 798. *ſq.*

ROMANA.

Bonifacii VIII. Bulla a. 1303. data de inſtitutione Studii generalis in alma Vrbe, cum priuilegiis pro Doctoribus & Scholaribus, exhibetur a CHERVBINO in *Bullario Romano T. I. p.* 160.

Bulla Leonis X. a. 1513. data de munere, auctoritate, ac priuilegiis Rectoris & Reformatorum, Lectorumque & Scholarium Studii generalis almae Vrbis, exhibetur ibidem *p.* 404.

Bulla Iulii III. a. 1553. data de Collegii Medicorum Vrbis promouendi ad Gradus facultate, ac Protomedici iurisdictione cognoſcendi cauſas ciuiles & criminales, ad eius officium ſpectantes, exſtat ibidem *p.* 582.

Bulla Gregorii XIII. a. 1574. data, continens priuilegium Doctorum Romanorum publice legendi in quacunque Facultate in Generali Studio almae Vrbis, reperitur *T.* II. *p.* 294.

Eiusdem Gregorii XIII. Bulla a. 1576. data de iurisdictione Protomedici & Collegii Phyſicorum almae Vrbis, quoscunque Medicos examinandi & coërcendi, Ibidem *T.* II. *p.* 307.

FRAN-

FRANCISCI (a) MACEDI Deſcriptio Archigymnaſii Romanae Sapientiae ab ALEXANDRO VII. perfecti, luſtrati, conſecrati. Romae 1661. 8.

* MAXIMILIANVS MISSONIVS in *Itinere Italico*, Lipſiae Germanica lingua a. 1713. edito, *p. 903. ſq.* agit de ſtatu hodierno huius Academiae, quam Romae vocant *Sapientiam.*

* Hiſtoriam huius Archigymnaſii illuſtrat PAVLINVS a S. IOSEPHO, in eo Profeſſor Eloquentiae, in Orationibus ſuis Romae a. 1727. editis, & Lipſiae recuſis a. 1728. cum Praefatione *Kappii*.

Memoriale ad CLEMENTEM XI. de ſtatu veteri & praeſenti huius Academiae. *Italice.* Romae 1705. 4.

Vid. & Papae huius *Opera T. I. p. 537.* & *739.*

CLEMENTIS XI. Confirmatio Conſtitutionum Academiae Theologicae de Vrbe, cum deputatione nonnullorum Cardinalium, eius Academiae Protectorum, & quorundam priuilegiorum conceſſione.

Exſtat in huius Papae *Bullario*, Romae 1723. edito, *p. 265.*

* Catalogus Profeſſorum hodiernorum & Lectionum Archigymnaſii Romani exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. *p. 122. ſqq.*

ROSTOCHIENSIS.

Studii literarii publici in Academia Roſtochienſi Reſtauratio, a D. GISBERTO LONGOLIO, Prof. Med. conſcripta. Cui acceſſit &c. Roſtochii 1544.

* ARN-

(a) Huius polygraphi librorum Catalogum exhibet *Gregorius Leti* in *Italia regnante P. IV. lib. 5. p. 492. ſqq.*

* ARNOLDI BVRENII (*Prof. Roſtoch.*) Oratio de disciplina Academiae Roſtochienſis, contra ſycophantas & calumniatores maleuolos.

Exſtat inter eius *Orationes* a. 1579. editas Roſtochii a Nathane Chytraeo. Haec ipſa *Oratio* etiam reperitur in Melanchthonis *Declamationibus* T. *IV*. p. *176. ſqq.* edit. Argentor. 1558. Hunc eundem *Burenium Academiae Roſtochianae tabulas quaſi ex naufragio collegiſſe*, ſcribit Melch. Adamus *Vit. ICtorum p. 223.*

Scripta in Academia Roſtochienſi publice propoſita ab a. 1560. vsque ad Octobrem anni 1563. & inde ad initium anni 1567. Witteb. (a) 1567. 8.

IO. CYRIACI L. B. in POLHEIM & WARTENBERG Rectoratus ſui a. 1575. geſti Orationes, Edicta, & Carmina. Roſtochii. 8.

Annus editionis non eſt inſcriptus titulo.

WILHELMI, Curlandiae Principis, Rectoris Academiae Roſtochienſis, Edicta officii ratione a. 1591. propoſita. Roſtochii 1591. 8. *pl. 5. & dim.*

(a) Cur, quaeres, Wittebergae? Disce cauſam ex epiſtola Chytraei, inter alias ad Marbachium datas a Fechtio publicata *p. 165.* Ibi enim ita Chytraeus anno 1564: *Nos vnam ſolummodo officinam typographicam, vnico praelo inſtructam, habemus. Sed typographus plane ſolus eſt, ſimul & collocatoris* (des Setzers) *& impreſſoris officio fungens.* En ſimul cauſam, cur libri in Roſtochienſi Academia editi non venirent in manus exterorum, iisque adeo ipſa Academia maneret incognita! Minus itaque mirum eſſe debet, Muretum acceptis a Nathane Chytraeo literis ita (*lib. I. epiſt. 91.*) ad amicum quendam Italum ſcripſiſſe: *Scribit* (Chytraeus) *ad me Roſtochio, cuius ego oppidi nomen nunquam antea audiueram, neque, vbi terrarum ſit, ſcio.*

Meminit huius libri Schuzius in *Vitae Chytraei libro III. §. 38. p. 302.* ſimul docens, verum eius auctorem eſſe *Chytraeum*, tum Prorectorem.

* PETRI LINDENBERGII Chronicon Roſtochienſe. Roſtochii 1596. 4. *Alph.* 1. *pl.* 1.

Hic deſcribitur hiſtoria huius Academiae *lib. V. cap. 8.-12. p. 161. ſqq.* Recenſio huius *Chronici* legatur in der Hamburgiſchen *Bibliotheca Hiſtorica Cent. III. artic. 51. p. 200. ſqq.*

IOANNIS MELINI, Weſtphali, Anagrammata, Principis Megapolitani, Regis Daniae, & Ducum quorundam, Doctorum Magiſtrorumque Academiae roſaceae, deſcriptionem continentia. Roſtochii 1596. *pl. 9. in 8.*

Nomina Doctorum Magiſtrorumque hic laudatorum exhibet Schuzius in *Vitae Chytraei lib. III. p. 394. ſq.*

MARTINI BRASCHII, Log. Prof. Oratio ad Vlricum, Ducem Megapolitanum, Viſitationem Academiae Roſtochienſis inſtituentem. Roſtochii 1599. *pl. 3. in 4.*

In hac Oratione luculenter & concinne deſcribi origines ac viciſſitudines Roſtochienſis Academiae, teſtis eſt αὐτόπτης Schuzius in *Vita Chytraei lib. III. p. 427.* addens, de eodem argumento tum quoque prodiiſſe Orationem Eloquentiae Profeſſoris, IO. SIMONII, tribus quaternionibus vna cum dimidia conſtantem, ſed verboſam eam magis, quam luculentam. Ibidem *p. 427.* (obſerues autem velim, numerum hunc duabus paginis inſcriptum eſſe errore typographi,) *& ſeq.* commemorat *Viſitationem huius Academiae* a. 1599. factam a Principe ſimul & Senatu oppidano, ac docet, *Decretum* huius *Viſitationis* reperiri in ERN. COTHMANNI *Reſponſis Iuris*, & quidem illuſtratum Scholiis.

* Bulla fundationis Academiae Roſtochienſis, Roſt. 1620. 4. *pl.* 2.

Haec

Haec recusa est in *Recens. Actorum erud. Rostochiensium Collectione prima p. 234. sqq.*

* FERDINANDI Imperatoris Confirmatio Academiae Rostochiensis. Rostochii 1620. 4. *pl.* 1.

* Iubilaeum Academiae Rostochiensis festum, hebdomade Sabbataria, centenarium eiusdem tertium incoante, auctoritate & liberalitate Praecelsissimorum & Amplissimorum Dominorum Patronorum, praesentibus eorundem Legatis magnificis, cum summa festiuitate mense Nouembri anni 1619. celebratum. Rostochii 1620. 4. *Alph.* 2. *pl.* 18. *& dim.*

Docuit me *D. Burgmannus*, celeb. Rostoch. Theologus, occurrere hunc eundem librum sic inscriptum: *Corona Varno-Balthico-Rosea*, *1625*; non autem nouam hanc esse editionem, sed primam illam, nouo titulo nouos allecturam emtores. Continentur hoc opere editae tum *Orationes*, *Disputationes*, & *Programmata*. Ac multa hic occurrunt ad huius Academiae (cui nec ante nec post contigit suum celebrare Iubilaeum,) historiam illustrandam in Prof. Hist. D. *Azariae* (a) *Sturtzii* Oratione *p. 93. sqq.* & in Oratione *Pauli Tarnovii p. 167. sqq.* & *177. sqq.*

* Eigentlicher Abdruck Formularum Concordiae, deren die erste Anno 1563. den 11. Maji, die andere Anno 1577. den 19. Octobris, zwischen einem Ehrwürdigen Concilio der Universität zu Rostock, und einem Ehrbarn Rath daselbst, getroffen. 1622. 4. *pl.* 5. *& dim.*

FERDINANDI Imp. Confirmatio Academiae Rostochiensis. 1626. 4.

Methodus & Leges Studiosorum in Academia Rostochiensi. Rost. 1632. 8.

(a) De hoc vid. Wittenii *Diarium biographicum* ad a. 1627. *d. 2. Iul.*

IO. MAVTNERI, Pannonii, Roſa Varniaca refloreſcens, ſeu Lyceum Roſtochienſe anagrammaticum. Correctius & auctius. Roſtochii 1636.

* LAVRENTII a BODOCK (*Prof. Eloq.*) Roſa Varniaca ſiue Oratio 1644. ipſo die natali Academiae d. 12. Nouembris recitata. Roſt. 1644. 8.

Et haec Oratio hiſtoriam Academiae perſequitur. Non tamen adiecta ſunt monumenta publica.

D. IO. GEORGII DORSCHEI Semeſtre Rectorale & Decanale Roſtochienſe. Roſt. 1657. 4.

* IO. BERNH. ZINZERLINGII, Iur. D. atque Hum. Prof. P. Faſti Rectorales Laciburgici, hoc eſt, Series continua quorumcunque Magnificentiſſimorum (inter quos emicuere Epiſcopus vnus, Duces ſeptem, Comites duo, & Baro vnus,) atque Magnificorum (quorum ſeptem vitam prius, quam ſceptra, depoſuerunt,) Rectorum Academiae Roſtochienſis ab ipſis incunabulis ad hanc vsque aetatem producta. Roſtochii 1668. *fol. pl. 3.*

* Profeſſores Roſtochienſes anni 1699. exhibentur in eius anni *Nouis literariis Maris Balthici p. 35. ſqq.*

* D. IO. NIC. QVISTORPII, Theol. Prof. & tum Rectoris, Programma Natalitium. Roſt. 1700. 4. *pl. 3. & dim.*

In hoc ſeries exhibetur Rectorum Academiae huius ſaeculi decimi ſeptimi.

* A. D. H. D. Roſtochium literatum, exhibens literatorum, qui Roſtochii a. 1698. & 1699. vixerunt viuuntque, Syllabum, ſeptem ordinibus diſtinctum, cum vitis praecipuorum. Roſt. 1700. 8. *Alph. 1. pl. 8.*

Auctor huius libri eſt *D. Andr. Daniel Habichorſtius*, Theol. Prof. ſenior, ſuam ipſius vitam enarrans *p. 1. — 58.* Recenſe-

ſetur liber hic in *Nouis literariis maris Balthici a. 1700. p. 347. ſqq.*

* M. IOACH. MANZELII, Roſtochienſis, Epiſtola ad D. IO. FECHTIVM, a. 1706. d. 26. Dec. ſeptuageſimum primum natalem celebrantem, de gloria Academiae Roſtochienſis ex Profeſſoribus longaeuis. Roſt. 1706. 4. *pl. 3.*

Manzelius hic poſtea creatus eſt Scholae Parchimenſis Conrector: quo tamen munere non diu functus eſt, morte ipſum eripiente rebus humanis.

* D. ZACH. GRAPII Evangeliſches Roſtock. Roſt. und Leipz. 1707. 12. *Alph. 1. pl. 4. & dim.*

Huius libri *Caput quintum* inſcriptum eſt von der Evangeliſch-Lutheriſchen *Academie*, *p. 108. ſqq.*

* REINHARDI HENR. ROLLII (*nunc Prof. Theol. Giſſenſis*,) Diſputatio de meritis Weſtphalorum in Academiam Roſtochienſem, Praeſide *D. Franc. Alb. AEpino.* Roſt. 1707. 4. *pl. 6.*

* D. IO. FECHTII Programma de Doctoribus Theologiae Roſtochienſi in Academia creatis. Roſt. 1709. 4. *pl. 2.*

Recenſetur in *Nouis literariis Germaniae* anni 1709. *p. 359. ſq.*

* Profeſſores Academiae Roſtochienſis anni 1709. recenſentur in *Nouis literariis Germaniae 1709. p. 162. ſq.*

* IAC. CHRISTOPH. WOLFII (*nunc in hac Acad. Prof. Graec. lit.*) Diſputatio de Rectoribus Academiae Roſtochianae Magnificentiſſimis atque Illuſtribus, Praeſide *D. F. A. AEpino.* Roſt. 1714. 4. *pl. 5. & dim.*

* Eiusdem WOLFII Diſp. de *Philippi Melanchthonis* in Academiam Roſtochienſem meritis. *pl. 5.*

* IO. HENR. PRIESII (*qui in praecedenti Diſputatione*

Respondentis partes egit,) Epiſtola de gloria Academiae Roſtochienſis ex Profeſſoribus ſuis aliorſum euocatis. Roſt. 4. *pl.* 2.

* OTT. FRID. SCHVTZII *(Paſtoris Eccl. Luneb.)* Vita DAVIDIS CHYTRAEI. Liber primus. Hamb. 1720. 8. Liber ſecundus. Ibidem 1722. Liber III. & IV. 1728.

Singulis annis (ex ordine enim annorum ſcripta eſt haec hiſtoria,) ſubiunxit auctor ſtatum Academiae Roſtochienſis, cuius quippe princeps doctor erat *Chytraeus* toto altero ſaeculi decimi ſexti dimidio, vt acta eius cum Academicis rebus arctiſſime eſſent coniuncta. Quare & bipartiti huius operis titulo, qui cum ſecundo demum Tomo prodiit, hoc inſcriptum eſt: *Accedit Hiſtoria de ſtatu Academiae Roſtochienſis, tanquam ſpecimen conſcribendorum eiusdem Annalium.* Vid. & *Orationes CHYTRAEI p. 534. ſqq.* itemque eius *Saxonia.*

* Annales literarii Mecklenburgenſes, ad annum 1721. & 1722. 8.

Duo volumina, quorum quodque vndeuiginti habet plagulas. Auctores eorum ſunt PHIL. FRID. HANIVS & ERN. IO. FRID. MANTZELIVS, quorum hic nunc eſt Roſtoch. Acad. ICtus, ille Kilonienſis Theologus: niſi quod poſterius volumen inde a *p. 161.* ad finem perduxit GEORGIVS DETHARDINGIVS, Prof. Medic. tum in Roſtochienſi, nunc in Hafnienſi Academia.

* GEORGII FRID. STIEBERI *(nunc Theol. Doctoris & Superint. Roſtoch.)* Hiſtorie der Gelehrſamkeit, worinnen von dem Zuſtande der Reformation und Aufnehmen der Literatur, beſonders im Herzogthum Mecklenburg zur Zeit des ſechzehenden Seculi gehandelt wird. Nebſt einer Vorrede, darinnen von Stifftung der Univerſität Roſtock Meldung geſchiehet. Güſtrow und Leipzig 1721. 8. *pl. 8. & dim.*

* Recenſionum Actorum eruditorum aliorumque memorabilium in alma Roſtochienſi Collectio I. Roſt. 1725. 8. *pl. 16.* Collectio II. Ibidem 1726. *pl. 16. 8.*

Auctor

Auctor huius Diarii eſt ante laudatus DETHARDINGIVS, qui tamen aliquot συνεργὺς ſibi adſciuerat. Continuatum fuiſſet opus hoc, niſi bibliopola praebere ſumtus deſiiſſet.

In *Bibliothecae Lubecenſis* Tomo I. a. 1725. Lubecae edito *Cap. V.* repraeſentatur *Status praeſens Academiae Roſtochienſis.*

Vitae & ſcripta viuentium tum Profeſſorum recenſentur hoc loco.

* Miſcellanea Mecklenburgica. Partes IX. Roſtochii 1729. -- 1734. 8.

Eſt ſcriptum Germanicum, cuius ſingulae partes implent tres plagulas. In *P. I. II. VI.* & *VIII.* exhibetur Mecklenburgiſches Gelehrten-Lexicon: in *P. III.* & *IV.* Mecklenburgiſche Bibliotheck: in *P. V.* & *VII.* Mecklenburgiſche Scribenten-Bibliotheck: in *P. IX.* Roſtockiſche Exegeten-Bibliotheck. Pleraque, quae hic occurrunt, ad Roſtochienſis Academiae hiſtoriam pertinent. Auctor huius operis eſt laudatus antea ICtus, MANTZELIVS, excepta Parte poſtrema, quam elaborauit ipſius pater, Paſtor Eccleſiae.

* IO. HENRICI a SEELEN Schediaſma hiſtoricum de Academia Roſtochienſi, anno 1487. & ſequentibus apud Lubecenſes commorata. Lubecae 1732. 4. *pl.* 2.

Recuſum id eſt in eius *Miſcellaneis* a. 1734. editis *p.* 214. *ſqq.*

* In GABR. WILH. GOETTENII Jetztlebendem Gelehrten Europa *T. I. p.* 221. *ſq.* exhibentur nomina Profeſſorum Roſtochienſium anni 1735. ibidemque *p.* 223. -- 251. nouem huius Academiae Profeſſorum vitae exponuntur, non omiſſa mentione librorum ab iis editorum.

* Etwas von gelehrten Roſtockiſchen Sachen für gute Freunde. Roſtock 1737. 8.

Huius operis, cuius ſingulae plagulae eduntur ſingulis hebdoma-

domadibus, conditores ſunt D. IO. CHRISTIANVS BVRGMANNVS & D. ERN. IO. FRID. MANTZELIVS, ille Theologus, hic ICtus Roſtochienſis Academiae, elaborantes alternis. Deſcribunt viri & laudatiſſimi & laude digniſſimi hiſtoriam ſuae Academiae cum antiquam, tum recentiorem. Recenſentur haec folia in Kohlianis *Nouis literariis Hamburgenſibus a. 1737. p. 101. ſq. 183. ſq. 261. ſq. 441.* & *a. 1738. p. 63. ſq.*

SEBASTIANI BACKMEISTERI (*Eccleſiae Trauemundenſis Paſtoris*,) Hiſtoria Academiae Roſtochienſis ab ipſis incunabulis, videlicet anno 1419. vsque ad annum 1700.

Nondum editus eſt hic liber, laudatus iam in *Nouis literariis Maris Balthici a. 1700. p. 347. ſq.* vbi & ſingulorum Capitum tituli iam ſunt exhibiti. Caeterum auctoris filius, *Io. Bacmeiſterus*, Medicus Tubingenſis, in notis ad *Acta Philippica* ſaepius pollicetur, ſe in lucem publicam producturum eſſe paternum hoc opus.

SALERNITANA.

ANTONII MAZZAE Hiſtoria & Antiquitates vrbis Salernitanae, in quibus origo, ſitus, --- Studium, Hippocraticum Collegium, ac aliae res ad Salernitanam vrbem ſpectantes dilucidantur. Neapoli 1681. 4.

* Recuſus eſt liber hic in Burmanniano *Theſauro Scriptorum Italiae T. IX. P. IV.* Auctoris huius Caput nonum inſcriptum eſt *De antiquiſſimo Salernitano Studio, ac de eius Hippocratico Collegio.*

* Hiſtoriam Scholae ſeu Academiae Salernitanae perſequitur CONRINGIVS in *Diſſertatione tertia de antiquitatibus Academicis p. 98. -- 104.*

De Statutis & Priuilegiis Scholae Salernitanae agit IO. FREINDIVS in *Hiſtoria Medicinae P. III. p. 21. ſqq.*

*De

* De libro, cui titulus: *Schola Salernitana*, agit GOTTL. STOLLIVS *Hiſt. Medicinae P. I. cap. 1. §. 126. & P. III. cap. 4. §. 13. p. 871.* Praefixae huic *Scholae* a pluribus eius editoribus Praefationes illuſtrant huius Academiae hiſtoriam.

SALMANTICENSIS.

* Deſcriptio Academiae Salmanticenſis, a MELCHIORE DE LA CERDA, Ieſuita Hiſpalenſi, compoſita, exhibetur in *Andreae Schotti Bibliotheca Hiſpaniae T. I. p. 32. -- 51.*

* Salmanticenſis Academiae Oeconomia, leges, mores, ſtudia.

Ita inſcriptum eſt Caput 37. libri primi *Bibliothecae ſelectae* ANTONII POSSEVINI, qui in exitu Capitis proxime praemiſſi praefatur, *ideo ſe hic deſcripſiſſe Academiam Salmanticenſem, quod neque Middendorpius neque alii liquido de ſtatu & ordine ipſius egerint.* Editus vero etiam ſeparatim eſt hic primus liber, *de cultura ingeniorum* inſcriptus, Pariſiis 1605. 12. vbi deſcriptio illa Salmanticenſis Academiae deprehenditur *p. 136. -- 147.*

* IO. MARIANA in *libri XIII. Hiſtoriae de rebus Hiſpaniae cap. 1.* paucis agit de ortu Academiae Salmanticenſis.

Conſtituciones de la Vniverſidad de Salamanca. Salmanticae 1561.

Has Academiae Salmanticenſis Leges iuſſu Viſitatoris Academiae conſcriptas & congeſtas fuiſſe a GASPARE DE TORRES, docet Nic. Antonius *Bibl. Hiſp. T. I. p. 409.*

IOANNIS GALLO (*Prof. Theol. in Acad. Salmanticenſi, a. 1577. mortui,*) liber de ratione ſuſceptae legationis pro Academia Salmantina.

Hunc librum MS. ſupereſſe, docet Nicolaus Antonius *Biblioth. Hiſp. T. I. p. 530.*

ANTONII PEREZII Laurea Salmantina, ſiue Certamina ſcholaſtica & expoſitiua pro acquirenda laurea Salmantinae Academiae ſiue Magiſterii gradu, & pileo, eius inſigni. Salmanticae 1604. *fol.*

ANGELI MANRIQVE Tumulo, y Pompa funeral, que la Vniverſidad de Salamanca hizo en las honras del Rey D. Felipe III. Salmanticae 1621. 4.

FRANCISCI RVIZ DE VERGARA ET ALABA La Hiſtoria del Collegio de San Bartolome maior de la Vniverſidad de Salamanca. Madriti.

Commemorat hunc librum Nic. Antonius *Bibl. Hiſp. T. II. p. 324.* ſimul docens, vixiſſe ſcriptorem iſtum ſaeculo XVII. medio.

ANDREAE MENDO (*Ieſuitae*,) opus de Iure Scholaſticorum & Vniuerſitatis ſiue Academico. Salmanticae 1655. *fol.*

Quia *Vniuerſitatem* nominat ſingulari numero, credere iure mihi videor, hic illuſtrari hiſtoriam Academiae Salmanticenſis. Hac occaſione & commemoro BENEDICTI PEREIRA *Academiam ſeu Rempublicam literariam, fundatam legibus, ac moribus inſtitutam*, hoc eſt, *de Iure Academico:* Oliſſipone 1662. *fol.* itemque ALPHONSI DE ESCOBAR ET LOAYSA librum Madriti 1643. *in 4.* editum *de Pontificia & Regia iurisdictione in Studiis generalibus, & de iudicibus & foro Studioſorum.*

Celeberrimae Academiae Salmanticenſis de tenenda & docenda doctrina SS. Auguſtini & Thomae Aquinatis Iudicium, Statuto iuramentoque ſolenni firmatum, & contra impugnantes propugnatum a BASILIO PONCE DE LEON.

Prodiit primum Salmanticae, deinde Romae, tum Duaci, & quartum Lutetiae Paris. 1657. 8.

IVAN INTERIAN de AYALA *Relacion de las demonstraciones de accion de gracias, i regocijo, que celebrò la Vniversidad de Salamanca, por el deseado i felix Nacimiento del Serenissimo Principe nuestro Sennor, Luis, primero deste nombre en Espanna: escrita i dirigida por orden i acuerdo del Claustro a la Sacra, Real, Augusta, Catholica Magestad de el Rei nuestro Sennor D. Felipe quinto. En Salamanca.* 1707. 4.

Excerpsi hunc titulum e Maiansii *Epistolarum lib. V. p. 303.* vbi auctor illius scripti Latine nominatur *Ioannes Interamnensis Aialaeus:* quo sub nomine & edidit (teste Maiansio *p. 299.*) Madriti a. 1730. *Pictorem Christianum eruditum, siue de erroribus, qui passim admittuntur circa pingendas atque effingendas sacras imagines.*

* GREGORII MAIANSII Oratio ad Salmanticensis Academiae Senatum pro *Iosephi Borrullii*, Primarii Iuris ciuilis Antecessoris, in eum Ordinem allectione. Salmanticae 1720.

Ipse eam postea suis *Epistolis*, Valentiae 1732. editis, inseruit *p. 3. sqq.*

* Vita IOANNIS PVGAE, in Academia Salmanticensi Antecessoris primarii, scripta a GREGORIO MAIANSIO.

Inseruit hic eam suarum *Epistolarum* libro quinto *p. 335. sqq.* Etiam aliorum eius Academiae ICtorum proximae aetatis ibi fit mentio.

SALZBVRGENSIS.

* FERDINANDI Imp. Diploma, quo a. 1620. confirmauit Academiam Salzburgensem, exstat in LVNIGII *Germaniae sacrae diplomaticae Continuatione p. 1045. sq.*

IOSEPHVS MEZGERVS (Prof. & Procancellarius

larius Acad.) in *Hiſtoriae Salisburgenſis*, Salisburgi 1692. *fol.* editae, *libri quinti capite XVI.* copioſe deſcribit Academiae Salisburgenſis fundationem.

Triennium Archiepiſcopalis Academiae Salisburgenſis. Salisb. 1703. 4. *pl. 2. & dim.*

Vid. *Noua literaria Germaniae* Hamburg. 1707. *p. 279. ſq.* vbi ſcriptum hoc recenſetur.

* Hiſtoria Vniuerſitatis Salisburgenſis, opera & ſtudio R. P. * Presbyteri & Monachi Benedictini. Francof. & Lipſiae 1728. 4. *Alph. 3. pl. 8.*

Librum hunc iuſta diligentia compoſitum recenſui in *Actis eruditorum 1730. p. 94. ſqq.*

* Philoſophici ſtudii in hac Academia ſtatum hodiernum deſcripſi in *Actis Philoſophorum T. II. p. 290. ſqq.*

SARAGOSSANA.
Vid. CAESARAVGVSTANA.

S O R A N A.

NICOLAI CANVTI DVROPII, Cimbri, Poëma Lainum de Sorae Academia. 1635.

MAGNI FRISII, Nobilis Dani, Encomium Sorae. Sorae 1643. *fol.*

OTTONIS SCHELII, Nobilis Dani, Encomium Regiae & Equeſtris Academiae Soranae. 1652. 4.

CANVTI SEHESTAEDII, Equitis Dani, Oratio de facie Sorana. Sorae 1657.

Quatuor haec ſcripta commemorat *Nic. Petrus Sibbernius* in *Bibliothecae hiſtoricae Dano-Norwegicae Cap. X. p. 310.* Sed ex

ex hisce Orationibus pauca credo hauriri posse ad illustrandam huius Academiae historiam.

IO. LAVREMBERGII (*Prof. Math. in Acad. Sorana,*) Querimonia de suo & Academiae Soranae statu. 1636.

Recudi poëma hoc curauit *Morhofius* Kilonii 1684. 4. Iterum id recusum est in Appendice *Operum poëticorum Morhofii* Lubecae 1697. 8.

CHRIST. FRANC. PAVLINI in Partis primae der Zeitkürzenden erbaulichen Lust *cap.* 127. exhibet historiam Academiae Soranae *p.* 350.--369.

ALBERTI THVRA Vmbra Sorana, siue Regia & Equestris Academia Danorum Sorana, breuiter descripta.

Commemoratur hic liber, iam confectus, sed nondum editus, in Kohlianis *Nouis literariis* anni 1737. *p.* 453.

STANFORDIENSIS.

De fictitia hac veteris Britanniae Academia vid. *Acta eruditorum* anni 1704. *p.* 302. & anni 1730. *p.* 256.

TAVRINENSIS.

* Status Academiae Taurinensis anni 1725. a VICTORE AMADEO, Rege Sardiniae & Duce Sabaudiae, tum instauratae, describitur in Gelehrten Zeitungen anni 1725. *p.* 265. *sqq.* vbi & Professorum nomina producuntur.

Vid. etiam *Bibliotheque Italique* T. I. *p.* 286. *sqq.* & *Giornale d' Italia* T. XXXV. *p.* 262. *sqq.*

* Catalogus hodiernorum Professorum & Lectionum Academiae Taurinensis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1736. *p.* 280. *sqq.*

TICINENSIS.

HENRICI FARNESII Encomium de dignitate Gymnasii Ticinensis. Ticini 1587. 4.

* Gymnasii (*id est, Academiae*) Ticinensis Historia & Vindiciae a saeculo V. ad finem saeculi XV. auctore ANTONIO GATTO, in eodem Gymnasio Antecessore. Mediolani 1704. 8. *pl.* 15. Recusa in Burmanniano *Thesauro Italiae T. IV. P. II.*

Pollicitus est auctor hoc in libro, qui in *Actis eruditorum* 1705. p. 394. *sqq.* recensitus est, secundam huius *Historiae* Partem, *Viros illustres Vniuersitatis Ticinensis* exhibituram.

* Catalogus Professorum in Vniuersitate Ticinensi anni 1736. exhibetur in *Actis Academicis* anni 1737. *p.* 26. *sqq.*

Discimus ex hoc Catalogo, meliorem nunc esse statum huius Academiae, quam fuit illo tempore, quo Gattus edebat suam *Academiae Ticinensis Historiam.* In eius enim Dedicatione ait, *gloriam eius sua vetustate non leuiter fatiscere, ipsamque hucusque in luctu & squalore iacuisse.* Profitebatur quoque se testem αὐτόπτην Missonius *Itin. Ital. p.* 1113. versionis Germanicae, extremum ducere hanc Academiam spiritum.

TIGVRINA.

IO. HENR. HOTTINGERI Schola Tigurinorum Carolina, siue Demonstratio, Scholam Tigurinam a CAROLO M. deducendam. Tiguri 1664. 4.

Vid. & *Methodus* eius *legendi Historiam Helueticam*, Tiguri edita 1654. 8.

* Magnifico elogio hanc Academiam ornat FRIDERICVS SPANHEMIVS in Dedicatione *Elenchi* sui *controuersiarum de religione*, saepius editi.

* IO. IAC. HOTTINGERVS de hac Schola agit in

Helve-

Helvetischer Kirchen-Geschichte *T. II. p. 964.* & *T. III. p. 970. sqq.*

* Gymnasii Tigurini facies, qualis fuit anno 1718. exhibens vitam & scripta Professorum.

Exstat in *Bibliotheca Hist. theol. philol. Bremensi* T. *II. p. 561.--579.*

* Professores Tigurini anni 1730. recensentur in *Bibliotheque Germanique T. XX. p. 202. sq.*

* Elenchus Professorum hodiernorum Gymnasii Tigurini exhibetur in *Actis Academicis* anni 1733. *p. 142. sq.*

* Academiae Tigurinae hodierna facies, qua Professorum natales, munera, & scripta recensentur.

Exstat in *Tempe Heluet. T. II. Sect. I*, Tiguri 1736. edita, *p. 151.--172.*

(a) TOLOSANA.

* De ortu huius Academiae agit BVLAEVS in *Historiae Vniuersitatis Parisiensis* Tomo tertio *p. 140. sqq. & 156. sq.*

* De hac Academia agit ABR. GOELNIZIVS in *Itinerario Belgico-Gallico p. 595. sq.*

Vetera Statuta & Priuilegia Vniuersitatis Tolosanae.

Fundationes & Statuta Collegiorum Tolosanorum.

Ineditos hosce duos libros commemorat Le Long *Biblioth. Hist. de la France p. 870.*

Memoires des Prérogatives des Docteurs Regens de l' Vni-

(a) Praemiseram hic mentionem libri IVLIANI HERICVRTII *de Academia Suessionensi*, qui Montalbani est excusus a. 1688. 8. *Alph.* 1. Sed paulo post videre mihi contigit librum hunc, ac deprehendi, eam non esse Vniuersitatem, sed *Academiam ad excolendum Gallicum sermonem institutam*: quae ipsius *Praefationis* verba sunt *p.* 2.

Vniversité de Toulouse, par PIERRE BELLOY, Paris 1682. 4.

IO. IACOBVS PERCIN *Monumentis Conuentus Tolosani*, Tolosae 1693. *fol.* editis, annexuit librum suum *de Academia Tolosana*.

TREVIRENSIS.

* NICOLAI V. Papae Bulla fundationis Academiae Treuirensis exstat in LVNIGII *Germaniae sacrae diplomaticae Continuatione p. 221.*

IACOBI MEELBAVMII liber de antiquitate Academiae Treuirensis.

* Professores Academiae Treuirensis anni 1706. recensentur in *Nouis literariis Germaniae 1706. p. 117. sq.*

TVBINGENSIS.

D. IAC. ANDREAE Oratio inauguralis, cum officium Cancellariatus & Praepositurae capesseret, habita. 1562. 4.

ERHARDI CELLII (*Prof.*) Carmen seculare in commendationem inclytae Academiae Tubingensis, ante annos centum a Diuo EBERHARDO Duce fundatae, & ab eius successoribus clementer conseruatae & auctae. Tubingae 1578. 4.

EIVSDEM Oratio de disciplina in Academia Tubingensi instauranda & conseruanda. Tub. 1583. 4.

THEODORICI SCHNEPFII (*Theologi Acad. Tubing.*) Oratio in laudem Ducum Wirtembergiae & Academiae Tubingensis. Tubingae 1578. 4.

MART.

* MART. CRVSIVS in *Annalium Sueuicorum Dodecade tertia*, Francof. 1596. edita, *lib. VIII. cap. 13. p. 449. sqq.* agit de ortu Academiae Tybingensis : & in sequentibus non solum huius libri, sed sequentium etiam, Capitibus exponit huius Academiae historiam vsque ad annum 1592. IDEM in *libri paralipomeni Annalium Sueuicorum*, item a. 1596. editi, *Cap. VI. p. 21. sq.* & *Cap. XXVIII. p. 125. sq.* illustrat eius Academiae, cuius ipse Professor fuit, historiam.

M. ERHARDI CELLII, Poet. & Hist. Prof. Imagines Professorum Tubingensium, qui altero Academiae saeculo, a. 1577. inchoato, ad annum 1596. vixerunt & floruerunt, Elegiis ἱσαριθμοςίχοις, singularum vitam breuiter recensentibus, illustratae. Tubingae 1596. 4.

Constitutiones atque Leges illustris & magnifici in Tubingensi Academia Collegii Ducalis. Tubingae 1597. *fol.* & 1606. 4.

Statuta Academiae Tubingensis renouata a. 1601. Tub. 1602. 4.

SEYFRIDI A GREISEN Oratio de laudibus illustris noui Collegii Tubingensis. Tub. 1608. 4.

Wirtembergici Ducalis Noui Collegii, quod Tubingae, qua situm, qua studia, qua exercitia, accurata delineatio, Tub. 1610. 4.

Vid. & *Thomae Lansii Mantissa Consultationum p. 298. sqq.*

IO. THEOD. SCHNEPFII Oratio in laudem & celebrationem Academiae Tubingensis. Tub. 1610. 4.

IACOBI EHINGERI Oratio de laudibus Academiae Tubingensis. Tub. 1611. 4.

Recusa cum Supplementis *Christophori Besoldi* in eius *Opere politico*, Argent. 1641. 4.

Academia Tubingensis, vt erat anno 1616, ἀναγραμματισθεῖσα per GEORGIVM THEODORICVM HOFFMANNVM, Rotenburgo-Tuberanum. Rotenburgi 1616. 4.

IO. CONRADI HOESSLINI, Praeceptoris & Ecclesiastae claustralis Bebenhusani, Tubinga in flore. Tub. 1667. 4. & 1682. *fol.*

IOSEPHI GMELINI, Collegii Mulifontani Praeceptoris, Carmen heroicum de stipendio Ducali Theologico, quod Tubingae est. 1677.

Leges & Statuta Academiae Tubingensis. Tubingae 1682. 4.

* Eberhardina altero Iubilaeo felix, seu celebrati a. 1677. ab Vniuersitate Tubingensi Festi secularis historica descriptio. Tub. 1682. *fol. Alph.* 2. *pl.* 12.

In fine huius Operis *p. 221. 222.* & *223.* exhibentur *Rectores Academiae Tubingensis Magnifici & Magnificentissimi a primaeva eius fundatione vsque ad annum 1681.*

Iubilaeum hoc etiam commemorat *Andreas Caroli Memorab. Eccles. saeculi XVII. lib. VIII. cap. 50. p. 170.* vbi & *p. 174. sq.* docet, quid sit das grosse Buch von Tübingen.

GEORGII SERPILII Epitaphia Theologorum Suevorum. Ratisbonae 1707. 8.

* LVD. MELCH. FISCHLINI Memoria Theologorum Wirtembergensium resuscitata, hoc est, Biographiae praecipuorum virorum, qui a tempore Reformationis vsque ad hanc nostram aetatem in Ducatu Wirtembergico scriptis Theologicis inclaruere. Pars I. Vlmae 1710. 8. *Alph. 1. pl. 1. & dim.* Pars II. Vlmae 1709. *Alph.* 1. *pl* 5. Eiusdem Supplementa. Vlmae 1710. *Alph. 1. pl.* 4.

EIVSDEM Carmen de Cancellariis Tubingensibus. 1704.

* In D. IO. VLRICI PREGIZERI *Sueuia & Wirtenbergia sacra*, Tubingae 1717. 4. edita, *p. 264. -- 292.* exhibentur Academiae Tubingensis Rectores ab anno 1477. vsque ad annum 1715. Ibidem & alia se offerunt, Tubingensis Academiae ad historiam pertinentia.

* IO. IAC. MOSERI Vitae Professorum Tubingensium ordinis Theologici. Decas prima, cum Praef. *D. Pfaffii.* Tubingae 1718. 4.

EIVSDEM Erläutertes Würtemberg. Tübingen 1729. 8.

Hoc in libro multa occurrunt Academiae Tubingensis historiam illustrantia.

* IDEM in der Fortsetzung der Schwäbischen Chronick *Martini Crusii*, vna cum Germanica *Crusianorum Annalium Sueuicorum* versione a. 1733. edita, *p. 559. sqq.* exhibet Rectores Academiae Tubingensis ab a. 1595. vsque ad a. 1733: & *p. 563.* hodiernos Professores non solum Academiae, sed etiam Collegii Illustris, nominatim laudat.

* IDEM in annexa modo dicto Operi (a) *Bibliotheca Scriptorum de rebus Sueuicis p. 63. sq.* recenset libros de Academia Tubingensi scriptos, maioremque partem editos.

TYRNAVIENSIS.

P. GEORGII RAICSANI, Soc. Iesu, Phil. Prof. Tyrnauia crescens, siue Quinque Vngariae Antistitum de vrbe hac Academica literisque praecipue meritorum memoria. Tyrnauiae 1707. 12. *pl. 2.*

Recensetur in *Nouis literariis Germaniae a. 1709. p. 25.* Ibidem

(a) Iam confeceram hunc meum librorum ad historiam Academiae Tubingensis pertinentium catalogum, cum subiectus meis oculis est liber hic Moserianus.

dem *a. 1708. p. 261. sqq.* recenſentur acta Academiae huius anni 1707.

* De ortu Academiae Tyrnauienſis vid. DAV. CZVITTINGERI *Hungaria literata*, Francof. & Lipſ. 1711. edita, *p. 299. 301. 309. & 310.*

De eadem Academia agit MATTHIAS BELIVS in Tomo II. *Hungariae*, a. 1736. Viennae edito.

VALENTINA Galliae.

Inſtitutio, Priuilegia, & Statuta Vniuerſitatis Valentinae, cura ANDREAE BASSET, Rectoris, edita. Turnone 1601. 4.

* De hac Galliae Academia eiusque flore caduco vid. ABR. GOELNIZII *Itinerarium Gallico-Belgicum* p. 457.

VALENTINA Hiſpaniae.

ALEXANDRI VI. Papae Bulla fundationis huius Academiae Hiſpanicae exhibetur a Card. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE in *Notitia Conciliorum Hiſpaniae*, Salmanticae 1686. edita, *T. III. p. 690.*

LAVRENTII PALMIRENI Oratio poſt reditum in Academia Valentina. 1572.

Hiſpanicam huius Orationis verſionem a. 1573. prodiiſſe, docet Nic. Antonius *Bibl. Hiſp. T. II. p. 6.*

Eiusdem Fabella AEnaria, acta in Academia Valentina. 1574.

Memorias hiſtoricas de la fundacion i progreſos de la inſigne Vniverſidad de Valencia. Eſcriviolas el Dr. D. FRANCISCO ORTI I FIGVEROLA, Retor de la miſma Vniverſidad. En Madrid 1730.

Com-

Commemoratur hic liber in *Actis eruditorum anni 1731. p. 438.* ac *p. 439.* ἐπίκρισις exhibetur in hunc librum liberrima atque acerrima. Ibidem & *p. 440.* hodierni florentiſſimi ICti Academiae Valentinae, *Gregorii Maianſii*, ſcripta commemorantur. Hic etiam *Maianſius* acerbum de iſto *Franciſci Ortini* opere fert iudicium in *Epiſtolarum* ſuarum, Valentiae 1732. editarum, (& nuper Lipſiae recuſarum,) *lib. V. epiſt. 7. p. 301.* vbi & *p. 300.* docet, IOSEPHVM RODRIGVEZ, monachum Valentinum, a. 1703. exſtinctum, compoſuiſſe *Bibliothecam Valentinam*, eamque *prelum exſpectare.*

* IVSTI VINDICII Relatio de Diſputatione, quam habuit in Valentinae Academiae ſacello *Gregorius Maianſius*, Generoſus & Anteceſſor Valentinus. Valentiae 1725. 8.

Reperitur inter Epiſtolas *Maianſii*, Valentiae 1732. editas, *p. 85. ſqq.* Vid. ibidem *p. 293.* Ex *p. 84.* apparet, ipſum Maianſium eſſe huius libelli conditorem.

VIENNENSIS.

De Academia Viennenſi agit WOLFGANGVS LAZIVS *lib. II. de rebus Viennenſibus cap. 7. & lib. III. cap. 5.*

Editum eſt hoc opus Baſileae 1546. *fol.* & eius Verſio Germanica auctore *Henr. Abermanno* Viennae 1619. *fol.*

Catalogus Rectorum & illuſtrium virorum Archigymnaſii Viennenſis: in quo praeter elegantiſſimam temporum ſeriem ſumma quaedam continentur quaſi capita earum rerum, quae celeberrimae huic Academiae ſub cuiusque magiſtratu memoria contigerunt dignae, ab A. 1237. vsque ad annum 1559. Per GEORGIVM (a) EDERVM, eiusdem Academiae pro tempore Rectorem. Viennae 1559. 4.

(a) Idem EDERVS in *Praef.* pollicitus eſt *plenam Academiae Viennenſis Hiſtoriam*, quinque libros habituram. Ipſius verba inde repetita legeſis in den Fortgeſetzten Nützlichen Anmerckungen *p. 102. ſq.*

Opuſculum hoc *imperfectiſſimum* vocat *Io. Chriſtoph. Colerus* in den Nützlichen Anmerckungen über allerhand Materien *p. 490.*
* Etiam *Theodorus Cruſius* in Vergnügung müßiger Stunden *P. IX. p. 77. ſqq.* librum hunc recenſet, nonnullaque eius notat. Caeterum recuſus eſt hic liber cum

Auctario Rectorum & aliorum Academiae eiusdem illuſtrium virorum ab anno 1559. ad annum 1644. Viennae 1645. 4. *pl. 15.*

Rurſus hic liber recuſus eſt Viennae a. 1670. cum auctario PAVLI SORBAIT, Med. D. & Prof. Et anno 1693. quidam ἀνωνύμως edidit *eorum, qui deinceps Academiam rexerunt, itemque Cancellariorum ac Superintendentium Academicorum, nomina.*

Luctus Archigymnaſii Viennenſis pro funere D. CAROLI V. Rom. Imp. Auguſtiſſimi, editus per GEORGIVM EDER, V. I. D. Caeſareum Conſiliarium, & pro tempore Rectorem. Viennae 1559. 4. *pl.* 7.

GEORGII EDERI Orationes ſex in celeberrimo Archigymnaſio Viennenſi de rebus publicis cum Academiae nomine coram Caeſarea Maieſtate, tum alias & publicis concionibus ad ipſam Academiam ab auctore, dum clariſſimis viris Doctoream dignitatem conferret, recitatae, & partim antea quoque, partim nunc de nouo editae. Viennae 1559. 8. *pl. 12.*

De ortu Academiae Viennenſis agit, eiusque Statuta & Priuilegia exhibet PETRVS LAMBECIVS *Comment. de Biblioth. Caeſ. lib. II. cap. 5. p. 79. -- 239.*

Hinc epitomen exhibent *Iac. Frid. Reimmannus* in *Bibliotheca acroamatica*, Hanouerae 1712. edita, *p. 118. -- 122.* & *Barth. Chriſt. Richardus* in *Hiſtoria bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis*, eodem anno Ienae edita, *p. 26. 27. & 28.* itemque *Io. Frid. Pfeffingerus* in Tomo tertio *Notarum ad Vitriarii Ius publicum p. 230. ſqq.*

Ca-

Calendarium Academicum Vniuerſitatis Viennenſis, Rectores, &c. & vniuerſa eius membra complectens. Viennae 1693. 4.

* Profeſſores Academiae Viennenſis anni 1706. recenſentur in *Nouis literariis Germaniae 1706. p. 398. ſq.*

* IOSEPHI REICHENAV, Societatis Ieſu, Conſpectus Hiſtoriae Vniuerſitatis Viennenſis ab initio eius vsque ad annum 1465. ex actis veteribusque documentis erutae. Viennae 1722. 8.

Conſpectus huius Tomus II. ab anno 1465. vsque ad annum 1565. auctore SEBAST. MITTERDORFFERO, Soc. Ieſu. Viennae 1724. 8.

Conſpectus huius Tomus III. ab anno 1565. vsque ad annum 1701. eodem MITTERDORFFERO auctore. Viennae 1725. 8.

De hocce tripartito opere praeclare ſentit *Raupachius* im Evangeliſchen Oeſterreich *P. II. p. 223.* docens, hos duos Ieſuitas hiſtoriam Viennenſis Academiae nitido pariter ac moderato ſtylo expoſuiſſe, & quidem ex ipſis Actis iuſtisque monumentis.

* ANTONIVS STEYERERVS, Soc. Ieſu Sacerdos, *Commentariis pro hiſtoria Alberti II. Ducis Auſtriae*, Lipſiae 1725. *fol.* editis, *p. 409.-- 453.* de origine Academiae Viennenſis diſputat, atque etiam *p. 453 -- 487.* catalogum Rectorum eius Academiae inde ab anno 1363. vsque ad annum 1500. quo *Ioannes Cuſpinianus* Rectoris munus geſſit, exhibet.

FRANCISCI HOELLERI, Soc. Ieſu, Specimen Hiſtoriae Cancellariorum Vniuerſitatis Viennenſis, eorundemque Praepoſitorum Eccleſiae ad S. Stephanum. Viennae 1729. 8.

* D. IO.

* D. IO. BASILII Küchelbeckers Beschreibung der Keyserlichen Residenz-Stadt Wien. Hanover 1730. 8.

Hic *P. II. cap. 7. p. 645.--673.* agit de ortu deque hodierno statu Academiae Viennensis.

VILNENSIS.

GREGORII XIII. Papae a. 1597. data Institutio Vniversitatis Studii generalis in Collegio Presbyterorum Societatis Iesu in ciuitate Vilnensi in regno Poloniae, per Valerianum, illius Episcopum, fundato, cum Priuilegiorum elargitione.

Exstat in CHERVBINI *Bullario magno Romano T. II. p. 368.*

De hac Lithuaniae Academia vid. STAROVOLSCII *Polonia p. 89.* & CHRISTOPH. HARTKNOCHII *Resp. Polonica lib. II. cap. 2.*

VLTRAIECTINA.

ANT. AEMILII Oratio, habita in Academiae inauguratione a. 1636.

Recusa inter eius *Orationes*, editas Traiecti ad Rhenum 1651. 12.

Orationes inaugurales Academiae Vltraiectinae in natalem quinquagesimum Academiae. Trai. ad Rhenum 1686. *fol.*

Ex his Oratio *Ioannis Georgii Graeuii* recusa est inter eius *Orationes* decima tertia.

MARTINI SOERMANNI Index (Academisches Register) Professorum Academiarum Leidensis & Vltraiectinae, Belgice 1704. 8.

*Pro-

* Profeſſores Vltraiectinae Academiae anni 1706. nominantur in *Nouis literariis Germaniae 1706. p. 93. ſq.*

* Hodiernus (*anni 1719.*) Academiae Vltraiectinae eiusque clariſſimorum Doctorum Conſpectus exhibetur in *Bibliothecae Bremenſis* Tomo tertio *p. 158.--171.*

ARNOLDI DRACKENBORCHII Oratio panegyrica in natalem ſaecularem Academiae Traiectinae, habita d. 27. Martii 1736. Accedit Catalogus Rectorum huius Academiae. Traiecti 1736. 4. *pl.* 11.

* Deſcriptio Iubilaei Academici a. 1736. Traiecti ad Rhenum celebrati exhibetur in der Neuen Europäiſchen *Fama P. XVII. p. 379.--385.*

VPSALIENSIS.

SVENONIS IONAE, Weſtro-Gothi, Oratio de origine & ſtatu Academiae Vpſalienſis.

Exſtare eam, teſtis eſt Schefferus in *Vpſaliae* ſuae *cap. XX. p. 403.*

GABR. OXENSTIERNA Rectoratus Vpſalienſis. Holmiae 1636. 4.

* IO. SCHEFFERVS in *Vpſalia* ſua, 1666. 8. edita, *Cap. XIV.* accurate agit de Academia Vpſalienſi.

IDEM de huius Academiae ortu agit in *Notis* ad incerti ſcriptoris *Chronicon de Archiepiſcopis Vpſalienſibus*, a ſe primum editum, *p. 128. ſq.*

* IO. LOCCENIVS in *Hiſtoria Suecana*, Francof. & Lipſ. 1676. 4. edita, illuſtrat huius Academiae hiſtoriam *p. 84. 160, 415. 474. ſq. 523. & 547.*

M. HENNINGI IOANNIS Gerdes, Pastoris zu S. Nicolai in Wißmar, und des Königlichen Consistorii daselbst Assessoris, Frölisches Jubel in Norden. Hamburg 1693. 4.

In hoc libro describitur Iubilaeum ob stabilitam in Suecia religionem Euangelicam a Rege CAROLO XI. a. 1693. etiam Vpsaliae d. 27. Febr. celebratum. Excerptam inde descriptionem solennitatum Academicarum exhibet *Christianus Iunckerus* im Güldenen und silbernen Ehren-Gedächtniß Lutheri *p. 508. - 512.*

* Professores Vpsalienses anni 1699. nominatim laudantur in huius anni *Nouis literariis Maris Balthici p. 204.*

IO. ENBERGIVS (*Prof. Vpsal.*) in *Narratione rerum memorabilium Vpsaliensium*, Vpsaliae 1704. edita, *Cap. V.* describit historiam Academiae Vpsaliensis, & *Cap. VI.* bibliothecam Academicam, & *Cap. VIII.* hortum Academiae botanicum.

Recensetur hic liber, Suecica lingua conscriptus, in *Actis eruditorum 1704. p. 337. sqq.*

* Professores Vpsalienses anni 1705. recensentur in *Nouis literariis Maris Balthici 1706. p. 87. sq.* Ac ibidem *a. 1708. p. 18. -- 27.* aliquot annorum Acta Academiae Vpsaliensis enarrantur.

* Descriptio Academiae Vpsaliensis occurrit in der Historisch-Politisch- und Geographischen Beschreibung des Königreichs Schweden, Francof. & Lipf. 1708. 8. edita, *P. II. cap. 1. p. 44. -- 47.*

* In *Actis literariis Sueciae*, publicatis Vpsaliae a. 1720. 1721. 1722. & 1723. ac paulo post Rostochii recusis, (in 4. *Alph. 2. pl. 18.*) etiam acta nouissima Academiae Vpsaliensis describuntur, ac potissimum proferuntur tituli habitarum ibi Disputationum.

* In

* In Prima Parte der Schwedischen (a) Bibliotheck, Holmiae 1728. edita, exhibentur *p.* 225. -- 235. nouissima acta Academiae Vpsaliensis.

* In secunda eius Parte, 1728. Holmiae & Lipsiae edita, *p.* 52. -- 118. reperiuntur *Acta* zwischen der Theologischen und Philosophischen Facultät zu Upsal *in puncto Philosophiae Cartesianae.*

* In eius Parte tertia, a. 1729. edita, *p.* 339. -- 345. exstat Catalogus Disputationum Vpsaliae habitarum.

* In quarta eius Parte, a. 1730. edita, enarrantur *p.* 365. -- 362. Vpsaliensis Academiae acta nouissima.

* Professores Vpsalienses anni 1728. commemorantur in *Bibliotheque Germanique T. XVIII. p.* 198. *sq.* item in ANDR. IOACH. AB HENEL dem a. 1729. florirenden Schweden (qui liber Lubecae prodiit 1729. 4.) *p.* 206. *sq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Vpsaliensis exhibetur in *Actis Academicis anni* 1735. *p.* 246. *sqq.*

VRATISLAVIENSIS.

* De Academia Vratislauiensi Pontificia, dicta LEOPOLDINA, a. 1702. inaugurata, vid. *Noua literaria Germaniae* 1703. *p.* 163. & 1704. *p.* 46.

* Huius Academiae inauguratio describitur a FRIDERICO LVCAE in Europäischen Helicon *P. IV. cap. 6. Sect. XVI. p.* 458. *sqq.*

(a) Huius Operis auctorem se deinceps professus est ICtus Gryphiswaldensis, CHRISTIANVS NETTELBLADTIVS.

VRBINENSIS.

CLEMENTIS X. Bulla a. 1671. data de erectione Studii generalis in ciuitate Vrbini.

Exstat in *Bullarii Romani Tomo sexto, per Angelum a Lantusca & Ioannem Paulum a Roma collecto*, editoque Romae 1672. *p. 376.*

INNOCENTII XIII. Papae Constitutio, qua literae Apostolicae CLEMENTIS XI. confirmatoriae diuersorum priuilegiorum ac indultorum a Romanis Pontificibus Vniversitati Studii generalis & Collegio Doctorum Vrbini confirmantur.

Exstat in CLEMENTIS XI. *Bullario*, Romae 1723. edito, *num. 105.*

WITTEBERGENSIS.

* Scriptores de Academia Wittebergensi exhibet KREYSIGIVS in der Historischen Bibliotheck von Ober-Sachsen *p. 558. sqq.* & STRVVIVS *Bibliothecae Saxonicae P. I. Sect. I.* §. 15. 16. & 17.

* Centuria (*anonymi*) Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, praesertim Lipsiensi, Wittebergensi, & Francofordiana ad Oderam, Academiis vsque ad annum 1515. floruerunt: edita a *Io. Ioachimo Madero.* Helmst. 1660. *pl. 9. & dim.*

* PHILIPPI MELANCHTHONIS in *Declamationum* (quod opus totum ad huius Academiae historiam pertinet,) Tomo quinto, edit. Witteb. 1572. 8. exhibetur *p. 375. sqq.* Historia breuis Academiae Wittebergensis.

* IO.

* IO. MATHESIVS in *Historia Lutheri*, Noribergae 1576. 4. edita, & quidem in *Concione XVI. p.* 194. *sqq.* agit de ortu Academiae Wittebergensis.

* Academiae Wittenbergensis Leges, quae bis quotannis publice recitantur. Wittenbergae 1546. 8. *pl.* 4.

In hoc libello exhibentur primum *Leges de studiis & moribus auditorum*; deinde *Statuta Collegii facultatis Theologicae*; tum *Leges Collegii facultatis liberalium artium, quas Philosophia continet.* Atque his subscribitur *FINIS.*

M. MART. OBERNDORFERI Oratio de initiis atque incrementis Academiae Wittebergensis & in hac repurgatae doctrinae Euangelii. Witteb. 1574. 8. *pl.* 2.

D. IAC. ANDREAE Oratio de instauratione studii Theologici in Academia Wittebergensi ad eam doctrinam, in quam viuente Luthero Doctores sacrarum literarum pie consenserunt. Tubingae 1577. 4. *pl.* 5. & Ienae 1577. 8. *pl.* 2.

Wittebergensis Academiae scriptorum publice propositorum Tomi VII. Witteb. 1560. -- 1586. 8.

CHRISTOPH. PEZELII Erzehlung, was sich mit denen A. 1574. vertriebenen Wittenbergischen Theologen begeben. Bremen 1580. 4.

PHIL. MELANCHTHONIS Dissertatio de Academiae Wittebergensis Legibus, & Theologicae Facultatis Statutis.

Exstat in eius *Consiliis Theologicis*, a *Christoph. Pezelio* Neustadii 1600. *fol.* editis.

D. SAL. GESNERI Oratio de tribus summis beneficiis, quibus Academia Wittebergensis condecorata. Witt. 1601. 4.

LAVR. RHODOMANNI Oratio de praecipuis Dei beneficiis a DEO per septem Saxoniae Electores, Lutherum, & Melanchthonem in Academiam Wittebergensem collatis. Witteb. 1602. 4.

* Acta Iubilaei Academiae Wittebergensis, celebrati a. 1602. d. 18. Oct. Witteb. 1603. 4. *Alph.* 2. *pl.* 1. *& dim.*

D. IOANNIS ZANGERI Oratio saecularis, in Academia Wittebergensi Collegii Iuridici nomine habita. Witteb. 1603. 4.

BALTH. MENCII Elogia Doctorum & Professorum Theologiae in Academia Wittebergensi. Witteb. 1606. 8. *pl.* 11.

Leges Academiae Wittebergensis de studiis & moribus Studiosorum. Witteb. 1607. 8.

Exstant etiam in *Sennerti Athenis Wittebergensibus* p. 49. *sqq.*

* FRID. TAVBMANNI, Rectoris, Otium semestre publicum. Giessae 1609. 8. *pl.* 10. & Witteb. 1610. 8. *pl.* 11.

In hoc libro exhibentur scripta sub *Taubmanni* Rectoratu Wittebergae publicata, & omnia illius semestris acta Academica.

BALTH. MENCII Historica narratio de septem Electoribus Saxoniae, & vno Pro-Electore, qui Academiam Wittebergensem condiderunt, fundarunt, & immunitatibus ac priuilegiis ditarunt, amplificarunt, & locupletarunt, & Lutheri doctrinam defenderunt ac propagarunt. Witteb. 1611. 8. *pl.* 15.

IO. BISMARCI Vitae & res gestae praecipuorum Theologorum Wittebergensium. Halae 1614. 4. & Basileae 1657. 4.

M. IO. FRIMELII Witteberga a Caluinismo grauiter diuexata & diuinitus liberata. Witteb. 1646. 4. *pl.* 16.

Eſt ſcriptum Germanicum.

Hiſtoriſche kurtzgefaßte Nachricht von der Stadt und Univerſität Wittenberg Urſprung, Wachsthum, und jetzigem Zuſtande. Wittenb. 1620. 8.

* ANDREAE SENNERTI Athenae itemque Inſcriptiones Wittebergenſes. Libri II. Witteb. 1655. 4. *Alph. 1. pl. 3. & dim.*

Altera editio a. 1678. prodiit: tertia a. 1699. 4. *Alph. 1. pl. 12.*
* Prior liber continet praeclaram ac ſatis plenam Academiae hi-
* ſtoriam. Idem *Sennertus* a. 1678. 4. *pl.* 7. edidit *Catalogum Bibliothecae Academiae Wittebergenſis:* vbi tamen tantum *extantiores claſſicosque* libros exhibet.

* GOTTFRIDI SVEVI, I. V. D. Academia Wittebergenſis ab anno fundationis 1502. ad annum 1655. continens Priuilegium Imperatoris, Bullam Papalem, nomina Rectorum & Profeſſorum, &c. Acceſſerunt Inſcriptiones Wittebergenſes vsque ad annum 1655. Witteb. 1655. 4. *Alph. 3. pl. 8.*

Eſt haec pleniſſima Academiae Wittebergenſis hiſtoria: cui nondum ſucceſſiſſe continuationem, miror.

Vitas Theologorum Wittebergenſium deſcribit IOANNES BISMARCVS (*Eccleſiaſtes Ammerslebienſis in Ducatu Magdeburgico,*) in *libro primo Vitarum praecipuorum Theologorum recentium.* 1664. 4.

* Das jetztlebende Wittenberg. 1701. 12. *pl. 2.*

Das Jubilirende Wittenberg. 1702. 4. *pl. 3.*

* Academiae Wittebergenſis Iubilaeum a. 1702. celebratum deſcribitur in *Nouis literariis Germaniae* 1703. *p.* 7. - 16. Ibidem *p. 286. ſq.* exhibentur nomina Profeſſorum Wittebergenſium anni 1703.

* M.

* M. IO. BARTH. LENZII Series Profeſſorum natione Francorum, qui Wittebergam illuſtrarunt. Witteb. 1702. 4. *pl. 5.*

M. HERM. BECKERI Diſp. de FRIDERICO *Sapiente*, Academiae Wittebergenſis fundatore. Witteb. 1702. *pl. 6.*

Acta ſaecularis ſacri Academiae Wittebergenſis a. 1702. celebrati. Witteb. 1704. *fol. Alph. 2. pl. 3.*

IO. HENR. BERGERI (*Prof. Iur. Witteb.*) Oratio de Iureconſultis Academiae Vitenbergenſis, qui ſuperiore ſaeculo vixerunt, a. 1703. habita, annexa eſt eius *Enarrationi L. 10. ff. de iur. fiſci*, Lipſiae editae 1705. 4.

Recenſetur haec *Oratio* in *Actis eruditorum* anni 1705. *p. 435.*

D. IO. GEORGII NEVMANNI Programma de meritis Regum Suecicorum in Academiam Wittebergenſem. Witteb. 1706. 4.

Recuſum inter eius *Programmata Academica p. 183. -- 191.*

* CHRISTIANI GOTLIBII SCHWARZII (*Prof.*) Programmata (*ſeparatim edita*) tria, in quibus recenſet Norimbergenſes, de Academia Wittembergenſi bene meritos. Altorfii 1715. 4. *pl. 4.*

GE. GVIL. KIRCHMAIERI (*Prof.*) Programma de admiranda Academiae Wittebergenſis origine. Witteb. 1716. *pl. 7.*

M. IO. CHRISTOPH. COLERI Acta literaria Academiae Wittebergenſis. Tomi II. Witteb. 1719. 8. *pl. 13.*

M. IO. ADAMI CALO Renouatus Theologorum Wittebergenſium Conſpectus. Witteb. 1713. 4. *pl. 1.*

* CHRIST.

* CHRIST. THOMASII Versuch von Annalibus von A. 1409. biß 1629. von Ursprung und Fortgang der Universitäten in Teutschland, sonderlich zu Leipzig und Wittenberg. Halle 1717. 4. *Alph.* 1. *pl.* 10.

Annexum eſt ſcriptum hoc *Teſtamento* (Germanice ſcripto) *D. Melchioris de Oſſe*, cum largiſſimis annotationibus edito a *Thomaſio* Halae 1717. Non autem tam *Annales*, quam *Fragmenta Annalium*, appellari meretur hoc opus.

* Controuerſiarum in Academia Wittebergenſi *de S. Coena* agitatarum hiſtoriam deſcribit D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS in *Hiſtoria motuum* zwiſchen den Evangeliſch-Lutheriſchen und Reformirten: cuius primus Tomus & ſecundus Francof. & Lipſ. prodierunt 1723. 4. tertius ibidem a. 1724. Huius igitur in Operis *libri I. cap.* 1; *libro II.* toto; *lib. III. cap.* 3. 4. & 5; *lib. IV. cap.* 6; *lib. V. cap.* 1. 9. 10. & 11; *lib. VI. cap.* 3. id, quod dixi, reperies.

* IDEM in *Actis Reformationis*, & quidem in *Tomi primi*, Lipſiae 1720. editi, *Cap. XIII. p.* 313. *ſqq.* recenſet vndecim Theologiae Profeſſores, quos a. 1517. habuit Wittebergenſis Academia: ac in *Tomi ſecundi*, a. 1723. editi, *Cap. X. p.* 386. *ſqq.* agit de redacta a. 1518. in meliorem ſtatum illa Academia.

* Acta Academiae Wittebergenſis anni 1722. & 1723. Witteb. 1724. 8. *pl.* 15.

* Acta Academiae Wittebergenſis anni 1723. Witteb. 1724. 8. *pl.* 17.

* Acta Academiae Wittebergenſis anni 1723. & 1724. Witteb. 1725. 8. *pl.* 13.

* FRANCISCI WOKENII (*Prof.*) Diſp. de Profeſſo-

rum linguarum orientalium Academiae Wittebergensis in Philologia sacra meritis. Witteb. 1730. *pl.* 3. *& dim.*

* Professores Wittebergenses anni 1730. recensentur in *Bibliotheque Germanique T. XIX. p.* 197. *sq.*

* Catalogus Professorum & Lectionum Academiae Wittebergensis exhibetur in *Actis Academicis* anni 1733. *p.* 172. *sqq.*

* M. GODOFREDI BALTHASARIS SCHARFFII, Suidnic. ad SS. Trin. Senioris, Dissertatio epistolica ad *Franciscum Wockenium*, orient. ling. in Acad. Witteb. Prof. de quorundam orientalium linguarum in Academia Vitembergensi Professorum in illas meritis. Dresdae 1734. 8.

Dissertatio haec ad illustrandam Wockenianam eiusdem argumenti Dissertationem & supplendam scripta tres implet plagulas. Annexa est huic Dissertationi *Nicolai Alberti a Kameneck Oratio de Hebraeae linguae studio*, Pragae habita a. 1611. d. 25. Iunii.

* Nomina Professorum Wittebergensium anni 1736. legi possunt in G. W. GOETTENII Jetztlebendem Gelehrten Europa, *T. II. p.* 799. *sq.*

WVRZBVRGENSIS.

* Priuilegia huic Academiae tributa exhibet LVNIGIVS in *Spicilegio Ecclesiastico P. II. p.* 967. *sqq.*

* Professores anni 1726. commemorantur in *Actis eruditis Franconiae T. I. p.* 536. *sqq.*

* Status huius Academiae anni 1737. describitur in den Leipz. Gelehrten Zeitungen a. 1737. *p.* 528. *sqq.*

SVP-

SVPPLEMENTA.

Ad *p. 29.*

Ne dubitare poſſis, verum eſſe, quod ſcripſit de *Academia Arauſionenſi* Goelnizius, doceo, eum a IO. FRID. GVIBIO, I. V. D. in * *Abregé de l'Hiſtoire ancienne de la ville d'Orange*, quem libellum iterum edidit *à Orange* 1728. *in* 12. *pl.* 6. & *dim.* laudari inter ſcriptores de hac vrbe fide dignos. Ipſe Guibius huius Academiae plane nullam facit mentionem, quippe *antiquitates* duntaxat eius oppidi deſcribens.

Ad *p.* 33.

* Chriſtian Wurſtiſen in ſua Baßler Chronick, quod opus Baſileae 1580. *fol.* excuſum, *lib. VI. cap.* 2. agit de ortu Academiae Baſileenſis.

Ad *p.* 63.

Lin. 6. lege *pl.* 2.

Ad *p.* 77.

* Catalogus ſcriptorum, a Profeſſoribus in Academia Fridericiana ab auſpiciis Academiae vsque ad annum 1704. editorum, Halae. 4. *pl.* 10. & *dim.*

Ad *p.* 81.

IOANNIS CASELII Ευχαριστικὸς ſiue de Academia. Helmſt. 1592.

Eſt *Oratio*, eique praemiſſa *Praefatio*. In hac docet Caſelius, primo vere huius anni Ducis HENRICI IVLII legatos in Academiam veniſſe Iuliam, ibique non ſolum multa conſtituiſſe & emendaſſe, ſed etiam nouum priuilegiorum diploma edidiſſe. In illa docet inter alia, Ducem conceſſiſſe tunc ius gladii geſtandi equeſtri loco natis, atque aliis fortunatorum hominum filiis, non item tenuioribus, nec Theologiae Studioſis.

Decretum & Acta in cauſa Facultatis Philoſophicae Academiae Iuliae contra Danielem Hoffmannum. Helmſt. 1601. *fol.*

Adde, quae a me accepta den Nützlichen Anmerckungen, Lipsiae 1734. edi coeptis, inseruit IO. CHRISTOPH. COLERVS *T. I. p. 550. sqq.* Agunt de controuersia hac Hoffmanniana copiose & accurate CHRISTIANVS EBERHARDVS WEISMANNVS *Hist. eccl. T. II. p. 1170. sqq.* & IACOBVS BRVCKERVS *Hist. Philos. T. VI. p. 1308. sqq.* & GOTTFRIDVS ARNOLDVS *Hist. eccl. lib. XVII. cap. 6. §. 15. sqq.* & *Partis IV. Sect. III. cap. III.* & *IV. p. 468. sqq.* Multa tamen Arnoldinae narrationis refellit & emendat HENR. IO. BYTEMEISTERVS in *Diss. de Augustae domus Brunsuigo-Luneburgensis meritis in rem literariam*, edita Helmst. 1725. 4. *§. III. sqq.* & in libro sub eadem inscriptione ibidem 1730. 4. edito *Cap. XIV. §. 63.--88.*

* De ortu, progressu, fatisque Academiae Iuliae agit HENR. IO. BYTEMEISTERVS in *Commentario historico de Augustae domus Brunsuigio-Luneburgensis meritis in rem literariam*, Helmstadii 1730. 4. edito, *Cap. XIV. §. 32.--96.* & *Cap. XV. §. 1. -9.*

Ad *p.* 123.

* HENRICVS GAVTIERIVS in *L'Histoire de la ville des Nismes & de ses Antiquitéz*, Parisiis edita 1724. 8. docet *Cap. VI. p. 63.* a Francisco I. conditam fuisse a. 1533. Nemausensem Academiam.

* Inter huius Academiae Professores Theologiae celebrat *Samuelem Petitum* IO. GRAVEROLVS in *Histoire abregée de la ville de Nismes*, Londini 1703. 8. edita, *Cap. VII. p.* 75.

Ad *p.* 167.

Deleatur in lin. 20. *de* post *par.*

Perge, DEVS, summo dignari, ô perge, fauore,
Orbus queis orbis nox erit atra, SCHOLAS!

* * *

PRIVILEGIA ACADEMIAE GOTTINGENSI TRIBVTA AB IMP. CAROLO VI. ET A REGE GEORGIO II.

I.

CAROLVS VI. Diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Rex Germaniae, Castellae, Aragoniae, Legionis, vtriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Nauarrae, Granatae, Toleti, Valentiae, Gallitiae, Maioricarum, Seuiliae, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Murciae, Giennis, Algarbiae, Algezirae, Gibraltaris, Insularum Canariae, & Indiarum ac terrae firmae, Maris Oceani, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Lucemburgiae, Geldriae, Wirtembergae, superioris & inferioris Silesiae, Calabriae, Athenarum & Neopatriae, Princeps Sueuiae, Cataloniae, & Asturiae, Marchio Sacri Romani Imperii Burgouiae, Morauiae, superioris & inferioris Lusatiae, Comes Habspurgi, Flandriae, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiae & Arthesiae, Landgrauius Alsatiae, Marchio Oristhani, Comes Goziani, Namurci, Rossilionis, & Ceritaniae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis, Biscaiae, Molinae, Salinarum, Tripolis, & Mechliniae, &c. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus, & notum facimus tenore praesentium vniuersis: Quemadmodum exemplo Diuinae Maiestatis, quae infinitos suae immensae liberalitatis thesauros in vniuersum hominum genus largissime ac continuo diffundere noscitur, Nostri in diademate Imperiali quondam Praedecessores, Romanorum Imperatores ac Reges, publica suae liberalitatis munificentiaeque argumenta ad excolendas praesertim magis & magis Artes liberales, quibus Respublica apprime florere debeat, edere semper consueuerunt; ita & Nos pro connata Nobis benignitate, ex quo Dei ter Optimi Maximi gratia ad Maiestatis humanae atque dignitatis Caesareae Suprematum vocati exaltatique sumus, id curae vltro & ex praecipuo in literas amore suscepimus,

cepimus, vt diuersa scientiarum studia per vniuersas sacri Romani Imperii prouincias in fundatis dotatisque hunc in finem Vniuersitatibus, Academiis, Gymnasiis & Collegiis iugiter foueantur, promoueantur, & condignis honoribus ac praemiis excitentur, Nostroque auspicio felicia incrementa eo consequantur, quo praeclara ibidem studiosae iuuentutis ingenia sollicite excolantur, & in viros euadant, qui pro Choro & Foro apti, doctisque suis consiliis ac rerum gerundarum scientiis vtrique Reipublicae vtiliter adesse, imo & praeesse valeant.

Cum igitur Nobis Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Dominus GEORGIVS Secundus, Magnae Britanniae, Franciae, & Hyberniae Rex, qua Elector Brunsuico-Luneburgensis, eo, quo decet, modo mentem suam aperuerit, Eiusdemque Supremi Appellationum Tribunalis Consiliarius, & pro tempore ad Aulam Nostram Ablegatus Extraordinarius, Noster Sacrique Imperii fidelis dilectus, Ioannes Wilhelmus Didericus Diede a Fürstenstein, Nobis humillime exposuerit, Regi suo ex speciali in literas & artes liberales amore atque cultu, nec non ex praecipuo etiam zelo, commune Reipublicae Romano-Germanicae bonum, suarumque in Imperio prouinciarum & subditorum emolumentum & vtilitatem promouendi, magnopere in desiderio esse, vt tanquam Princeps Elector Brunsuico-Luneburgensis ad exemplum aliorum Sacri Romani Imperii Principum Electorum ac Statuum, qui a Maximiliano primo, quondam Romanorum Imperatore gloriosissimae memoriae, ad instituendas in territoriis suis publicas Vniuersitates diuersimode adhortati fuerunt, in Ciuitate sua *Goettinga* sic dictum illustre Gymnasium, quod ab annis iam florere noscitur, in publicam Vniuersitatem erigere valeat, vbi omnes solitae, necessariae, & vtiles scientiae doceri, Gradusque Academici

ci aeque, ac in aliis a Nobis, aut Praedeceſſoribus Noſtris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, confirmatis Vniuerſitatibus diſtribui & impertiri poſſint ac debeant, vtpote in quem finem Profeſſores eruditione & doctrina inſignes ibidem conſtituere, caeteraque omnia ad ſtudia & vitam neceſſaria ita diſponere in animo habeat, vt quiuis ex ſtudioſa iuventute pro cuiuscunque aetatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, nationisque diſcrimine, aut receptae in Sacro Romano Imperio triplicis religionis diuerſitate, ſiqui literis ibidem incumbere voluerit, quamoptime & commode in ſtudiis ſuis proficere, vberrimumque inde fructum ſibi referre poſſet, additis precibus, vt pro eo, quo dictum Regem nunquam non proſequimur, fraternae beneuolentiae ac amicitiae ſtudio Eidem, ad ſcopum tam laudabilem tamque vtilem eo certius aſſequendum, Caeſaream Noſtram facultatem erigendi dictam Vniuerſitatem, cum iisdem priuilegiis, quibus ex Imperiali conceſſione de anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio Vniuerſitas Halenſis in Saxonia potitur & gaudet, clementer impertiri dignaremur; Nos pro ſingulari & benigna Noſtra, quam erga Regem Magnae Britanniae continuo gerimus, affectione, memoratis precibus in hunc, qui ſequitur, modum benigne annuendum duximus, prout vigore huius Noſtri Caeſarei Diplomatis annuimus.

Ac proinde ex certa Noſtra ſcientia, animo bene deliberato & maturo accedente conſilio, deque Caeſareae Noſtrae poteſtatis & authoritatis plenitudine, praefato Sereniſſimo & Potentiſſimo Magnae Britanniae Regi, qua Electori Brunſuico-Luneburgenſi, facultatem & poteſtatem erigendi in praetacta Ciuitate Electorali Brunſuico-Luneburgenſi *Goettinga*, Nobis & Sacro Romano Imperio ſubiecta, ſublimius Gymnaſium, ſiue Academiam & Studium Vniuerſale omnium

omnium Artium liberalium ac Scientiarum, in quouis Gymnaſio, Vniuerſitate ſiue Academia per vniuerſas Noſtras & Sacri Imperii ditiones publice proponi ac doceri ſolitarum, clementer conceſſimus, prout hisce dictam facultatem & poteſtatem concedimus & elargimur, ita videlicet, vt id Gymnaſium ſiue Academia ac Studiorum Vniuerſitas per praememoratum Regem *Goettingae* (ſine praeiudicio tamen vicinarum Vniuerſitatum,) erigi ac fundari poſſit & valeat, &, quandocunque erecta fuerit, cum omnibus in ea comprehenſis Profeſſoribus, Doctoribus, Scholaribus, adeoque vniuerſa iuuentute literis ibidem operam nauante, aliisque ad eam pertinentibus perſonis aequo iure cenſeatur, pari dignitate aeſtimetur, omnibusque immunitatibus, priuilegiis, libertatibus, honoribus, franchiſiis, ſicut aliae per Germaniam Vniuerſitates, earumque membra, vtatur, fruatur, potiatur, & gaudeat: volentes, & eadem authoritate Noſtra Caeſarea decernentes, quod Profeſſores & perſonae idoneae, per ſaepe memoratum Regem Magnae Britanniae, Eiusdemue ad hoc Delegatos, deputandi, poſſint & valeant in praedicta Vniuerſitate ſeu Studio Vniuerſali profiteri, & Lectiones, Diſputationes, atque repetitiones publicas facere, Concluſiones palam diſcutiendas proponere, interpretari, gloſſare, & dilucidare, omnesque actus Scholaſticos exercere, eo modo, ritu & ordine, qui in caeteris Vniuerſitatibus obſeruari ſolet.

Porro cum ipſa ſtudia eo feliciori gradu procedant & maius ſumant incrementum, ſi praeclaris ingeniis & diſciplinis ipſis ſuus honos & dignitatis gradus ſtatuatur, atque emeriti aliquando digna laborum ſuorum praemia conſequantur, ſtatuimus & ordinamus, vt per Collegia Doctorum ſeu Profeſſorum, electis ad id idoneis & prae caeteris excellentioribus, ſi qui ad ſumendam palmam certaminis ſui habi-

les iudicati fuerint, adhibitis prius per ipſos Doctores & Profeſſores pro more & conſuetudine ſolemnitatibus & ritu in caeteris Vniuerſitatibus obſeruari ſolitis, rigoroſo & diligenti examine (in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari volumus,) eos, qui ſe examini ſubmiſerint, atque pro more & iuxta Statuta Scholarchis per aliquos dignos & honeſtos viros praeſentari ſe fecerint, poſſint ad ipſum examen admitti, & inuocata Spiritus Sancti gratia examinari, &, ſi hoc modo habiles, idonei, & ſufficientes reperti atque iudicati fuerint, Baccalaurei, aut Magiſtri, vel Licentiati, vel Doctores, pro vniuscuiusque ſcientia & doctrina, creari, & huiusmodi dignitatibus inſigniri, nec non per Birreti impoſitionem, & annuli ac oſculi traditionem, caeterisque conſuetis ſolemnitatibus inueſtiri, & ſolita ornamenta atque inſignia dignitatum praedictarum eis tradi & conferri, quodque Baccalaurei, aut Magiſtri, vel Licentiati, vel Doctores in eadem Academia promoti & promouendi debeant & poſſint in omnibus locis & terris Sacri Romani Imperii & vbique locorum ac terrarum libere omnes actus Profeſſorum, legendi, docendi, interpretandi, & gloſſandi, facere & exercere, quos caeteri Profeſſores, Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati, & Doctores in aliis Studiis priuilegiatis promoti & inſigniti exercent & exercere poſſunt & debent de iure vel conſuetudine.

Praeterea recipimus eandem Vniuerſitatem, a Sereniſſimo Magnae Britanniae Rege, qua Principe Electore Brunſuico-Luneburgenſi, in Ciuitate *Goettinga*, vt ſupra, erigendam, in Noſtram & Succeſſorum Noſtrorum, Romanorum Imperatorum & Regum, ſingularem protectionem, ſaluam Guardiam, atque patrocinium, volumusque & decernimus per praeſentes, quod Scholaſtici dignitatem ſeu gradum aliquem in dicta Vniuerſitate aſſumpturi gaudeant & potiantur, vti, frui, gaudere, & potiri poſſint & debeant

beant omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, immunitatibus, priuilegiis, franchisiis, concessionibus, fauoribus, & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Vniuersitas Heidelbergensis, Tubingensis, Coloniensis, Ingolstadiensis, Friburgensis, Rostochiensis, Iulia Helmstadiensis, Argentoratensis, & Halensis Saxonum, ac alia Studia priuilegiata, & Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei, & Scholastici, in supra dictarum Facultatum vna vel altera isthic promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, vtuntur, fruuntur, & potiuntur, quomodolibet consuetudine vel de iure, non obstantibus aliquibus priuilegiis, indultis, praerogatiuis, gratiis, statutis, ordinationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis ex certa Nostra scientia, animo deliberato & motu proprio, per hoc Diploma Nostrum derogamus & derogatum esse volumus, dummodo tamen nihil scandalosum, vel bonis moribus contrarium, aut Sacri Romani Imperii Constitutionibus aduersum, siue Professores siue Studiosi ibidem doceant vel scribant, aut doceri, scribi, in Lectionibus aut Disputationibus publicis proponi, aut scripto vel libris siue clam siue palam vulgari, permittant.

Concedimus insuper & elargimur benignam facultatem ac potestatem, vt Doctores & Scholares in erigenda Vniuersitate existentes ad exemplum reliquarum Vninersitatum, praeuio tamen consensu mentionati Regis, qua Principis Electoris Brunsuico-Luneburgensis, Eiusque Successorum, Statuta condere, Ordinationes facere, nec non Pro-Rectorem ac Pro-Cancellarium, (quippe a libero Regis, vti Principis Electoris ac Fundatoris, Eiusque Successorum, arbitrio & beneplacito dependere volumus, vt Sibi Ipsismet dignitatem Rectoris & Cancellarii reseruent, aut, si & quoties

voluerint, Vniuerſitati liberam & aliis Vniuerſitatibus conſuetam eligendi Rectores & Cancellarios facultatem elargiantur,) nec non alios Officiales pro lubitu & exigentia creare & facere poſſint & valeant.

Quo etiam Rex, qua Princeps Elector Brunſuico-Luneburgenſis, Eiusque Succeſſores, benignam animi Noſtri propenſionem quoad hanc erectionem & fundationem magis magisque experiantur, motu, ſcientia, & authoritate, quibus ſupra, Pro-Rectori ad eum, quo diximus, modum conſtituendo vel eligendo, ſiue Rectoratus munere deinceps in eadem Vniuerſitate quoquo tempore functuro, Comitivam Sacri Lateranenſis Palatii Aulaeque Noſtrae Caeſareae & Imperialis Conſiſtorii contulimus, dedimus & elargiti ſumus, prout tenore praeſentium clementer conferimus, damus & elargimur, eumque aliorum Comitum Palatinorum numero & conſortio gratioſe aggregamus & adſcribimus, decernentes & hoc Imperiali ſtatuentes Edicto, quod ex hoc perpetuo deinceps tempore, donec & quamdiu dicti Pro-Rectoris muneri praefuerit, infra ſcriptis priuilegiis, gratiis, iuribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, conſuetudinibus & libertatibus vti, frui, & gaudere poſſit & valeat, prout iisdem caeteri Sacri Lateranenſis Palatii Comites hactenus vſi & potiti ſunt, ſeu quomodolibet vtuntur & potiuntur conſuetudine vel de iure. Ac inprimis, vt posſit & valeat per totum Romanum Imperium, & vbique locorum ac terrarum, Notarios publicos ſeu Tabelliones & Iudices ordinarios creare ac facere, & vniuerſis perſonis, quae fide dignae, habiles, & idoneae fuerint, (ſuper quo conſcientiam eiusdem Pro-Rectoris oneratam volumus,) Notariatus ſeu Tabellionatus & Iudicatus ordinarii officium concedere & dare, ac eos, & eorum quemlibet, per pennam & calamarium, prout moris eſt, de praedictis inueſtire,

& ab iisdem Notariis publicis ſeu Tabellionibus & Iudicibus ordinariis, per eum creandis, ac eorum quolibet, vice ac nomine Noſtro & Sacri Imperii & pro ipſo Romano Imperio debitum fidelitatis recipiat corporale & proprium iuramentum, in hunc videlicet modum: Quod erunt Nobis & Sacro Romano Imperio, omnibusque Succeſſoribus Noſtris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, fideles, nec vnquam intererunt conſilio, vbi Noſtrum periculum tractetur, ſed bonum & ſalutem Noſtram defendent fideliter & promouebunt, damnaque Noſtra pro ſua poſſibilitate vetabunt & auertent: praeterea Inſtrumenta omnia, tam publica, quam priuata, vltimas voluntates, Codicillos, Teſtamenta, quaecunque Iudiciorum acta, ac omnia alia & ſingula, quae ipſis & cuilibet ipſorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint vel ſcribenda, iuſte, pure, fideliter, omni ſimulatione, machinatione, falſitate & dolo remotis, ſcribent, legent, facient, atque dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera, aut alias paſſiones & fauores; ſcripturas vero, quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, non chartis abraſis aut papyreis, fideliter ſecundum locorum conſuetudinem conſcribent, legent, facient atque dictabunt: cauſas Hoſpitalium & miſerabilium perſonarum, nec non pontes & ſtratas publicas, pro viribus promouebunt, ſententiasque & dicta teſtium, donec publicata fuerint & approbata, ſub ſecreto fideliter retinebunt, ac omnia alia & ſingula recte, iuſte, & pure facient, quae ad dicta officia quomodolibet pertinebunt conſuetudine vel de iure: Quodque huiusmodi Notarii publici ſeu Tabelliones & Iudices ordinarii per eum creandi poſſint & valeant per totum Romanum Imperium & vbilibet locorum ac terrarum facere, ſcribere, & publicare contractus, Iudiciorum acta, Inſtrumenta, & vltimas voluntates, decreta quoque & authoritates interpo-

nere in quibuscunque contractibus tale quidpiam requirentibus, ac omnia alia facere, publicare, & exercere, quae ad officium publici Notarii seu Tabellionis & Iudicis ordinarii pertinere & spectare noscuntur: Decernentes, vt omnibus Instrumentis & Scripturis, per huiusmodi Tabelliones, Notarios publicos, siue Iudices ordinarios faciendis, plena fides vbique adhibeatur, in iudicio & extra, constitutionibus, statutis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Similiter eadem authoritate Nostra Imperiali praenominato Pro-Rectori, seu Rectoratus munere functuro, indulgemus, vt possit & valeat personas idoneas, & in poëtica facultate excellentes, per Laureae impositionem & annuli traditionem Poëtas Laureatos facere, creare, & insignire, qui quidem Poëtae Laureati per eundem sic creati & insigniti possint & valeant in omnibus Ciuitatibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, & Studiis quorumcunque locorum & terrarum Sacri Romani Imperii & vbique libere absque omni impedimento & contradictione in praefatae artis Poëticae scientia legere, repetere, scribere, disputare, interpretari, & commentari, ac caeteros Poëticos actus facere & exercere, quos scilicet alii Poëtae & Laurea Poëtica insigniti facere & exercere consueuerunt, nec non omnibus & singulis ornamentis, insignibus, priuilegiis, praerogatiuis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, praeeminentiis, fauoribus & indultis vti, frui, potiri, & gaudere, quibus caeteri Poëtae Laureati vbiuis locorum & Gymnasiorum ac Vniuersitatum promoti gaudent, fruuntur, & vtuntur consuetudine vel de iure.

Insuper saepedicto Pro-Rectori concedimus & elargimur plenam facultatem, quod possit & valeat naturales, ba-

baſtardos, ſpurios, manſeres, nothos, inceſtuoſos, copulatiue vel disiunctiue, & quoscunque alios, etiamſi infantes fuerint, praeſentes vel abſentes, ex illicito & damnato coitu procreatos vel procreandos, masculos & faeminas, quocunque nomine cenſeantur, exiſtentibus vel non exiſtentibus aliis filiis legitimis, iis etiam aliter non requiſitis, viuentibus vel etiam mortuis eorum parentibus, (Illuſtrium tamen Principum, Comitum, & Baronum filiis duntaxat exceptis,) legitimare, & eos, ac eorum quemlibet, ad omnia & ſingula iura legitima reſtituere, omnemque geniturae maculam penitus abolere, ipſos reſtituendo & habilitando ad omnia & ſingula iura ſucceſſionum & haereditatum, bonorum paternorum & maternorum, etiam ab inteſtato, cognatorum & agnatorum, ac ad honores, dignitates, & ſingulos actus legitimos tam ex contractu vel vltima voluntate, quam alio quocunque modo, tam in iudicio, quam extra, perinde ac ſi de legitimo matrimonio eſſent procreati, obiectione prolis illegitimae penitus ceſſante: Quodque illorum legitimatio per ipſum, vt ſupra, facta pro iuſte & legitime facta maxime habeatur & teneatur, non ſecus, ac ſi foret cum omnibus Iuris ſolennitatibus, quarum defectus ſpecialiter authoritate Imperiali ſuppleri (a) volumus & intendimus, dummodo tamen legitimationes huiusmodi non praeiudicent filiis & haeredibus legitimis & naturalibus, quin ipſi legitimandi, poſtquam ſic legitimati fuerint, ſint & eſſe cenſeantur ac nominentur, & nominari poſſint & debeant vbique locorum tanquam legitimi ac legitime nati de domo, familia & caſata parentum ſuorum, ac arma & inſignia eorum portare ferreque poſſint ac valeant: quinimo efficiantur Nobiles, ſi parentes eorum Nobiles fuerint, non obſtantibus aliquibus legibus, quibus caue-

(a) Ita eſt in MS. Recte. Nam rurſus paulo poſt: *quibus legibus volumus derogari.* Nec proinde putes, eſſe hunc ſcribae errorem, ac *ſupplere* reſcribendum eſſe.

cauetur, quod naturales, baſtardi, ſpurii, manſeres, nothi, inceſtuoſi, copulatiue vel disiunctiue, vel alii quicunque ex illicito & damnato coitu procreati vel procreandi, nec posſint nec debeant legitimari, liberis naturalibus legitimis exiſtentibus, vel ſine voluntate & conſenſu filiorum naturalium & legitimorum, aut agnatorum, aut Feudi dominorum, & ſpecialiter in authen. quib. mod. nat. effic. leg. §. quib. mod. nat. effic. ſui, per totum, & §. naturales, ſi de feudo controu. fuer. inter dom. & agnat. & L. iubemus C. de emancip. liber. & aliis ſimilibus: quibus legibus, & cuilibet ipſarum, volumus expreſſe ſcienterque derogari, neque etiam obſtantibus in praedictis aliquibus contrahentium diſpoſitionibus, & defunctorum vltimis voluntatibus, aliisque legibus, locorumque ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi tales eſſent, quae exprimi deberent, aut de quibus hic mentio ſpecialiter facienda eſſet: quibus obſtantibus & obſtare valentibus in hoc caſu duntaxat, ex certa ſcientia & de plenitudine Caeſareae Noſtrae poteſtatis, totaliter derogamus, & derogatum eſſe volumus.

Adhaec praefato Pro-Rectori, ſiue Rectoratus munere functuro, damus & concedimus facultatem, vt poſſit ac valeat Tutores & Curatores confirmare, ipſosque, cauſis legitimis ſubſiſtentibus, amouere: Infames tam iuris, quam facti, ad famam reſtituere, & omnem ab eis infamiae notam abſtergere, tam irrogatam, quam irrogandam, ita vt de caetero ad omnes & ſingulos actus idonei & apti habeantur, ac promoueri poſſint: Nec non filios adoptare & arrogare, eosque adoptiuos & arrogatos facere, conſtituere, & ordinare: Inſuper filios legitimos, & legitimandos, adoptiuosque emancipare, atque adoptionibus & emancipationibus quibuscunque omnium & ſingulorum, etiam infantium & adolescentium, conſentire, & veniam aetatis ſupplicantibus con-

concedere, authoritatemque & decretum interponere: Servos etiam manumittere, & manumiſſionibus quibuscunque, cum vel ſine vindicta, & Minorum alienationibus, ac alimentorum transactionibus, authoritatem pariter & decretum interponere: Minores quoque, Eccleſias, & Communitates laeſas, altera parte ad id prius vocata, in integrum reſtituere, ac integram reſtitutionem eis vel alteri eorum concedere, iuris tamen ordine in his & in aliis omnibus ſeruato.

Poſtremo concedimus & elargimur ſaepius dicto Sereniſſimo Magnae Britanniae Regi, qua Principi Electori Brunsuico-Luneburgenſi, Eiusque Succeſſoribus, liberam facultatem & poteſtatem, ſingulis in Vniuerſitate conſtituendis Facultatibus ſingula & peculiaria conferendi arma & inſignia, quibus in publicis ſcriptis, Edictis, Mandatis, aliisque actibus, loco Sigilli, pro rei neceſſitate & voluntatis arbitrio vti poſſint & valeant, ſaluis tamen quoad praedicta omnia authoritate Noſtra Caeſarea, nec non Regis, qua Principis Electoris Brunsuico-Luneburgenſis, & Fundatoris, Eiusdemque Succeſſorum, ſuprema iurisdictione meroque Imperio, ac aliorum quorumcunque iurib .s.

Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, aut praeeminentiae fuerit, liceat hanc Noſtrae conceſſionis, Erectionis, confirmationis, Indulti, Protectionis, Comitiuae Palatinae, & aliorum ſupra inſertorum priuilegiorum, gratiam vel facultatem infringere, aut ei quouis auſu temerario contrauenire, ſeu illam quouis modo violare. Si quis autem id attentare praeſumpſerit, Noſtram & Sacri Imperii indignationem grauiſſimam, & poenam quinquaginta marcarum auri puri toties, quoties contra factum fuerit, ſe nouerit irremiſſibiliter in-

curſurum, quarum dimidiam Imperiali Fisco ſeu AErario Noſtro, reliquam vero partem Regi Magnae Britanniae, qua Principi Electori Brunsuico - Luneburgenſi, Eiusque Succeſſoribus, decernimus applicandam: Harum teſtimonio literarum, manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Caeſarei appenſione munitarum, quae dabantur in Ciuitate Noſtra Vienna die decima tertia Menſis Ianuarii, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo ſecundo, Hispanicorum trigeſimo, Hungarici & Bohemici vero pariter, vigeſimo ſecundo.

CAROLVS.

Vt. IOAN. AD. Comes de METSCH.

(L. S.) *Ad mandatum Sacrae Caeſareae Maieſtatis proprium.*

IOAN. IOS. A SCHNAPPAVFF.

Collat. & regiſtrat. F. G. a Pranghe.

II.

Wir GEORG der Andere, von GOttes Gnaden König von Groß-Britannien, Franckreich, und Irrland, Beſchützer des Glaubens, Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg, des Heil. Röm. Reichs Ertz-Schatzmeiſter und Churfürſt, ꝛc. Für Uns und Unſere Nachkommen an der Regierung, urkunden hiemit: Demnach die Beforderung guter Wiſſenſchafften eine der edelſten Obſorgen eines Regenten iſt, und die Erfahrung alter und neuer Zeiten bewähret, daß dieſelbe unter denen Wohlthaten, die ein Landes-Fürſt

Fürst seinen Landen und Unterthanen erweisen kan, nicht die geringste sey; So hat Uns solches zu der Entschliessung bewogen, Unsern Teutschen Landen und Unterthanen zum Besten, aus angebohrner Hulde und Neigung für dieselbe, nach geziemend gesuchter und in amplissima forma ertheilter Kayserlicher Genehmigung, de dato Wien den 13. Ianuarii 1733, dem Löblichen Beyspiel anderer Chur-fürsten, Fürsten und Stände des Römischen Reichs zu folge, eine eigene inländische hohe Schule und so genannte Universität zu stifften und anzurichten. Die getreue Land-Stände Unsers Churfürstenthums und übriger Teutscher Provinzien haben auch in danckbarer Erkennung dessen Gemeinnützlichkeit, zu Unserm gnädigsten Wohlgefallen, und zu ihrem unvergänglichen Ruhm bey der Nachwelt, dieses Werck, so viel an ihnen ist, unterstützet.

Zum Sitz selbiger Universität haben Wir Unsere Stadt Göttingen wegen ihrer bequemen Situation erwehlet, und zureichige Verordnung machen lassen, daß es daselbst an Lebens-Mitteln, um billigen Preiß, nicht fehlen, auch die Universitäts-Genossen alda gute Rechnung finden, und weder mit der Hauß- und Stuben-Miethe, noch sonst in einigen ihren Nothwendigkeiten übersetzet werden mögen.

Vornehmlich aber haben Wir Sorge getragen, wollen auch ferner, und Unsere Nachkommen sollen daran seyn, daß zu denen vier so genannten Haupt-Facultäten jederzeit berühmte und solche Männer, von deren Geschicklichkeit man versichert sey, und daneben zu Erlernung aller übrigen, der studirenden Jugend anständigen, nützlichen, in gemeinem Menschlichen Leben vorkommenden und ihren Gebrauch habenden Disciplinen, Wissenschafften, Künste und Sprachen, für hohe und niedrige Standes-Personen, tüchtige Lehr-Meistere, insonderheit Stallmeistere oder Bereitere, Fecht- Tantz- und Engeländische, Frantzösische und Italiänische Sprach-Meistere, beruffen und bestellet werden, wie auch ein wohleingerichtetes Reit-Haus und Reit-Bahn alda anzutreffen seyn sollen.

Demnach es nun mit dem allen durch Göttlichen Beystand so weit gediehen, daß diese neue Universität zu Göttingen würcklich geöfnet, und biß zur Inauguration zu Gange gebracht worden; so declariren und versprechen Wir hiemit, und machen jederman kund, daß nach wörtlichem Inhalt des obangezogenen Kayserlichen Diplomatis von nun an alle und jede bey solcher Unserer Universität zu Göttingen bestellete und künfftig weiter zu bestellende Professores, Lehr- und Exercitien-Meistere, wie die Nahmen haben, keinen davon ausgenommen, zu ewigen Zeiten vollkommene unbeschränckte Freyheit, Befugniß und Recht haben sollen, öffentlich und besonders zu lehren, respectiue Collegia publica und priuata zu halten, Actus und Exercitia publica disputando und sonst anzustellen, bey denen Facultäten Urtheile, Bedencken und Responsa abzufassen, Doctores, Licentiatos, Magistros und Baccalaureos, wie auch, vermöge der obmehrermeldetem Kayserlichen Diplomati mit einverleibeten Comitiuae Palatinae, Caesarea auctoritate publica Notarios publicos und Poëtas laureatos zu creiren, und mit gewöhnlichen Ceremonien zu investiren, ingleichen uneheliche Kinder zu legitimiren, infames famae zu restituiren, minderjährigen veniam aetatis zu verleihen, und alle andere in erwehnter Comitiua Caesarea recensirte und aus derselben herfliessende Actus und Geschäffte zu verrichten, die darin ausgedrückte Iura auszuüben, und überhaupt alles und jedes zu thun, was denen Doctoribus und Professoribus auf andern Universitäten in Teutschland, vermöge gemeiner Kayserlichen Rechte, und besonderer alter und neuer Privilegien, zukommt und gebühret, nicht minder aller der Autorität, Freyheiten und Gerechtigkeiten zu geniessen und sich zu gebrauchen, womit andere Universitäten, Facultäten, und deren Mit-Gliedere, auf einige Weise begabet seyn, männigliches ungehindert.

Uber das geben und verleihen Wir ihnen zu desto mehrerer Bezeugung Unsers gnädigsten Willens und Verlangens, sie ruhig, wohl

und vergnügt zu wissen, aus Landes-Fürstlicher Macht und Gewalt hiemit wissentlich und wohlbedächtlich nachfolgende absonderliche Beneficia und Begnadigungen.

I.

Nehmen Wir die gantze Universität, samt allen und jeden dazu gehörigen Lehrern, Studirenden, und andern Mit-Gliedern, Krafft dieses in Unsern allergnädigsten besondern Schutz, setzen, ordnen und wollen, daß dieselbe Universität ein eigenes mit einer Iurisdictione omnimoda begnadigtes Corpus, und nicht nur von der Jurisdiction des dortigen Stadt-Magistrats abgesondert, sondern auch von aller Jurisdiction und Gerichts-Zwange Unserer anderen Gerichte und Collegien eximiret seyn, und von Uns und Unserm Geheimten Collegio eintzig und allein unmittelbar dependiren solle.

II.

Gedachtes Corpus der Universität soll so wohl über die zu derselben gehörige Professores ordinarios und extraordinarios, als über ihre übrige Membra singula, die völlige Iurisdiction in civilibus und criminalibus haben. Was aber alda nicht geschlichtet werden kan, das wird in secunda Instantia an Uns devolviret.

Zu solchem Ende sind die Appellationes von denen Erkäntnissen der Universität in den Fällen, da sie statt haben, an Uns zu richten, und Unserm Geheimten Consilio, welches in Unserm Abwesen Unsere Person repräsentiret, einzuschicken, in dessen Willkühr alsdann stehet, was für einem von Unsern Iustiz-Collegiis es die ad Instantiam Appellationis erwachsene Sachen und Acten zu Abfassung eines Urthels, ad Mandatum nostrum ex Commissione speciali übergeben wolle.

Es sollen aber keine Appellationes anders, als in Civil-Sachen, und zwar solchen, welche über Einhundert Reichs-Thaler betragen, statt haben, sondern selbige, dafern sie in dergleichen Sachen interponiret würden, zurück gewiesen werden, es sey dann, daß es dabey auf Gerechtigkeiten, seruitutes, onera perpetua, und dergleichen, ankomme, welches sich nicht ästimiren lässet.

Die Universität, qua Corpus, ist ebenmäßig bey Unserm Geheimten Consilio in prima Instantia zu belangen, und von diesem so dann, wegen der Urthels-Verfassung in Unserm Nahmen, auf gleiche Weise, wie jetzt angeführet, zu verfahren.

Der jedesmahlige Pro-Rector Academiae soll, so lange er das Pro-Rectorat-Amt führet, vor seine Person regulariter nicht belanget, sondern der Anbring- und Erörterung der durante Officio wieder ihn etwa vorkommenden rechtlichen Ansprüche bis zu Endigung selbigen Amts Anstand gegeben werden, es sey denn, daß dabey euidens in mora periculum vorhanden: In welchen Fällen so dann derjenige, der den Pro-Rectorem währenden Pro-Rectorats belangen will, vorher special-Erlaubniß dazu bey Unserm Geheimten Raths-Collegio zu suchen und auszubringen schuldig seyn soll.

III.

Wann die Universität, ein Professor, oder anderer Universitäts-Verwandter, gegen jemand, der zu der Universität nicht gehöret, zu klagen hat, so hat es bey der Regul: Actor sequitur forum rei, sein Verbleiben. Solte aber von dem Gericht, bey welchem die Sache anzubringen nach solcher Regul sich gebühret, die Justitz darin entweder nicht gehörig administriret, oder protrahiret werden, so stehet dem klagenden Theile frey, bey Unserm Geheimten Raths-Collegio sich darüber zu beschweren, alwo ihm so dann zu unverweilter Verhelffung zu seinem Recht mit Nachdruck beygetreten werden soll.

IV.

IV.

Zu denen Deliberationen, welche Statuta, Iura, Priuilegia und Immunitates des gantzen Corporis der Universität, oder auch solennitates publicas, tranquillitatem publicam, die Verbesserung der eingeschlichenen Mängel und Gebrechen, die Confirmation der decretirten Relegationen, Leib- und Lebens-Straffe, oder sonst das gemeine Beste und Wesen der Universität, betreffen, gehören alle Professores ordinarii von allen 4. Facultäten, als welche den Senatum Academicum constituiren.

Dieselbe aber sämtlich zu allen Conuentibus, da es auf das Exercitium der, Krafft obigen zweyten Articuls, Unserer Universität beygelegten Jurisdiction ankommt, zu convociren, würde zu weitläufftig fallen, und die Conuentus Senatus dergestalt häufen, daß es denen laboribus und Lectionibus publicis zu nicht geringem Hinderniß und Unterbrechung gereichen würde.

Wir verordnen derowegen hiemit nochmahls, wie schon anderswo geschehen, daß die Administration und das Exercitium solcher Jurisdiction in ciuilibus und criminalibus von einer engern Deputation, aus dem Mittel des Senatus Academici, respiciret werden, und solche Deputation aus dem zeitigen Pro-Rectore, als dem Haupt der Universität, und, wann derselbe von der Juristen-Facultät ist, daneben aus den Decanis der vier Facultäten bestehen solle.

Wann aber der Pro-Rector von einer andern, als der Juristen-Facultät, ist, oder, wann er zwar von der Juristen-Facultät wäre, der Assessor der Deputation von der Juristen-Facultät aber selbst verklaget würde, oder es sich zutrüge, daß der Pro-Rector von der Juristen-Facultät, oder der Assessor Deputationis von selbiger Facultät, wegen Anverwandtschafft mit einer der Partheyen, oder wegen anderer legaler Ursachen, seines Voti sich zu äusern hätte,

hätte, alsdann soll der Deputation für dasmahl ein zweyter Professor Iuris ordinarius, nach der Ancienniät in seiner Facultät, beygefüget, und das als eine regula perpetua observiret werden, daß wenigstens zween Professores Ordinarii Iuris in der Deputation beständig sitzen müssen.

Das Officium Pro-Rectoris soll ein halb Jahr dauren, und nach der in den Statutis generalibus Academiae vorgeschriebenen Ordnung von einer Facultät zu der andern damit abgewechselt, für das erste mahl aber von der Theologischen Facultät, und zwar von dem Seniore derselben, der Anfang gemachet, und so weiter bey denen halbjährigen Abwechselungen continuiret werden: Das Assessorat in der Universitäts-Deputation oder dem Consilio Decanorum aber dem Decanat in jeder Facultät ankleben, und mit demselben unter den Professoren herumgehen.

Dem Foro der Universitäts-Deputation sollen alle und jede zu der Universität gehörige Personen, Professores, Studiosi, Fremde, die studirens-halber, oder Exercitia oder Sprachen zu erlernen, sich dort aufhalten, Exercitien- und Sprach-Meistere, Bediente, und Künstler, die von der Universität dependiren, sie haben Nahmen, wie sie wollen, keine überall davon ausgenommen, in specie auch die unter der Universität stehende Handwercks-Frey-Meistere, deren jedoch die Universität keine ohne Erlaubniß Unserer Geheimten Räthe anzunehmen haben wird, nebst ihren Familien und Gesinde unterworffen seyn.

Alle solche der Universitäts-Jurisdiction unterworffene Personen sind schuldig, so fort nach ihrer Ankunfft zu Göttingen bey der Universität sich zu melden, und, so viel die Studiosos, auch Sprach- und Exercitien-Meister, betrifft, längstens innerhalb 14. Tagen sich immatriculiren zu lassen.

Für

Für solche Immatriculation soll ein gewisses leidliches an Gelde, wie es bey andern Universitäten üblich ist, entrichtet werden.

Wer aber innerhalb der vorgesetzten Zeit zum Immatriculiren sich nicht angiebt, der soll a tempore morae, nachdem dieselbe kurtz oder lang ist, das duplum, triplum, oder quadruplum der Immatriculations-Gebühr bezahlen, oder in Ermangelung des Geldes, mit acht- biß vierzehntägigem Carcere bestraffet werden.

Ungeachtet auch dergleichen Personen sich immatriculiren zu lassen versäumeten, sollen sie dennoch von dem Tage ihrer Ankunfft zu Göttingen an ipso facto unter der Universitäts-Jurisdiction stehen.

V.

Wann eines von Unsern Collegiis, oder das Gericht-Schultzen-Amt, oder der Stadt-Rath zu Göttingen, oder auch der dortige Gouverneur oder Commendant, wider einen Universitäts-Verwandten etwas anzubringen, oder sonst der Universität Beystand von nöthen haben, sollen sie die Universität in der Person des pro tempore Pro-Rectoris deshalber schrifft- oder mündlich in subsidium requiriren.

Wegen der Gerichts-Gebühren und Sportuln bey dem Universitäts-Gerichte ist bereits eine gewisse billige Tax-Ordnung gemachet und eingeführet: wobey jedoch die Professores, wann sie bey solchem Gerichte zu klagen haben, von solchen Gebühren und Sportuln frey sind.

Es sollen auch, wann die Universität in Corpore, oder singula Membra Senatus Academici, vor Unsern höhern Collegiis zu litigiren oder etwas zu suchen haben, dieselbe mit den dabey üblichen Fisci oder Gerichts-Gebühren verschonet, jedoch auch von den bey solchen Collegiis bestellten Personen, wenn sie bey der Univer-

sität Processe bekommen, reciproce dergleichen nicht genommen werden.

Wann aber die Universität oder eines von ihren Mit-Gliedern und Angehörigen bey andern Gerichten in- und ausserhalb Göttingen litigiren, haben sie die Entrichtung der alda üblichen Gerichts-Gebühren und Sportuln zu untergehen, wie dann auch vice versa, wenn andere Gerichte oder deren Mit-Glieder bey der Universität zu klagen haben, dieselbe die alda introducirte Gerichts-Gebühren und Sportuln bezahlen müssen.

VI.

Zu denen Arrestirungen der Delinquenten, und andern Hülfs-Actibus, wo dergleichen von nöthen, soll auf Ansuchen des Pro-Rectoris oder des Senatus Academici Unser Gouverneur oder Commendant zu Göttingen die erforderliche Mannschafft, oder der dortige Stadt-Magistrat die gemeinen Stadt-Dienere, unweigerlich hergeben, und das verlangte vollziehen lassen: denen Soldaten oder Gerichts-Unter-Bedienten aber, die sich zu solchen Actibus müssen gebrauchen lassen, ist billig für ihre Mühe etwas mäßiges von Universitäts wegen zu reichen, um sie desto williger und hurtiger zu machen.

VII.

Wann jemand der Universitäts-Angehörigen Tumult erreget, es sey bey Tage oder bey Nacht, sollen Unser dortiger Gouverneur oder Commendant und der Stadt-Magistrat schuldig seyn, von selbsten und ohne auf Requisition zu warten, die Tumultuanten verfolgen und zur Hafft bringen zu lassen, damit sie nicht Gelegenheit finden, Unglück anzurichten, oder zu entrinnen, und sich der Straffe zu entziehen: jedoch in der Masse, und mit dem Unterscheide, daß, wenn einige wenige Studenten des Nachts auf der Gassen schreyen, wetzen und lermen, oder andere Desordres verüben, die Soldaten-Wach-

Wachten sich dessen nicht annehmen, sondern, solchem zu steuren, der angeordneten Stadt-Schaar-Wachte überlassen, es sey dann, daß die Sache weiter gienge, und die Schaar-Wachte übermannet würde; In dem Falle eines offenbahren Tumults und Aufstandes aber die Garnison allein zutrete, und in beyden Fällen die Schaar-Wachte, so fort als die Garnison sich der Sache angenommen, abgeführet werde, und mit dieser nicht concurrire.

Wann der Tumult bey Tage geschiehet, sind die Delinquenten alsofort auszuliefern: wann er aber bey Nacht geschiehet, sind sie so lange bey der Schaar-Wachte wohl zu verwahren, biß der Tag angebrochen, und alsdenn dem Pro-Rectori ohne Verzug anzumelden, und auf desselben Begehren mit ihrem Gewehr, oder was sich sonst bey ihnen gefunden, unweigerlich auszuliefern, und auf keinerley Weise oder unter keinerley Vorwand zu vorenthalten. Wobey denn der Gouverneur oder Commendant und der Stadt-Magistrat dahin zu sehen und nachdrücklich darüber zu halten haben, daß an denen Arrestirten, circa personas & modum, keine Ungebührlichkeiten noch Excesse von denen, welche das Arrestiren und das Verwahren der Delinquenten verrichten, ausgeübet, oder allenfalls diese hart bestraffet werden. Dahingegen aber auch die Universitäts-Verwandte gegen die Wachten die gehörige Achtung haben, und dieselbe nicht insultiren, oder gleichfalls hart bestraffet werden sollen.

VIII.

Wenn von der Universität jemanden eine Leibes- oder Lebens-Straffe, oder auch ad eruendam veritatem die Peinlichkeit zuerkannt wird, soll das abgefassete Urthel, wie es bey Unsern Iustiz-Collegiis gehalten wird, vor dessen Exequirung zu Unserer Confirmation oder Milderung Unserm Geheimten Raths-Collegio eingeschicket, die Vollstreckung eines Todes-Urtheils aber von Unserm Gerichts-Schultzen-Amt verfüget, und der Maleficant zu dem Ende demselben übergeben werden.

Und ob zwar sonsten die Geld-Straffen, welche von Unsern Iustiz-Collegiis erkannt werden, in Unsere Rent-Cammer fliessen, und bey derselben berechnet werden; So wollen Wir doch diejenige, welche die Universität zu Göttingen erkennet, derselben zur Anwendung zum Besten der Universität aus Gnaden lassen, wie denn auch wegen deren Berechnung bereits das nöthige verordnet ist.

IX.

Wer von der Universität ein Consilium abeundi bekommen, oder relegiret worden, den soll von der Zeit an, da er nach dem Willen der Universität die Stadt räumen muß, weder der Stadt-Magistrat noch sonst jemand in der Stadt hegen oder verbergen, und, damit die Hauß-Wirthe, bey welchen derjenige, der zu Meidung der Stadt condemniret, eingemiethet, sich desto besser darnach zu richten wissen, soll, wann ein Consilium abeundi, oder Relegatio privata, (dann bey Relegationibus publicis bedarf es dessen nicht,) decretiret worden, solches dem Hauß-Wirth von wegen der Universität so fort kund gemachet werden, und der Hauß-Wirth, wann der Relegatus über die gesetzte Zeit sich in seinem Hause aufhält, bey nahmhaffter Straffe gehalten seyn, solches dem Pro-Rectori ohnverzüglich anzuzeigen.

Wir wollen auch, daß die benachbahrten Beamte und Gerichte bey Göttingen, wie ihnen deshalber bereits Verordnung zugekommen, die von der Universität weggeschaffete Leute in denen angrentzenden Dörffern und Flecken Unsers Gebiets ebenwenig dulten sollen.

Desgleichen wollen Wir nicht gestatten, daß solcherley Leute, welche von der Universität relegiret sind, oder ein Consilium abeundi bekommen, oder wegen gemachter Schulden, begangener Excesse, oder aus irgend einer andern Ursache, die Jurisdiction der Universität zu eludiren suchen mögten, bey Unserer dasigen Militz zu

Sol-

Soldaten gemachet, oder auch nur in Schutz genommen werden, sondern es soll vielmehr Unser jedesmahliger dortiger Commendant überhaupt keine der Universität Verwandte oder Untergebene zu Krieges-Diensten anwerben: wann aber jemand derselben solche von selbst suchet, zuforderst bey der Universität nachfragen lassen, ob bey dessen Annehmung etwas zu erinnern sey.

X.

Weil auf Universitäten es vielfältig Leute giebt, die für Studiosos zwar sich ausgeben, aber keine Studia treiben, sondern müssig gehen, die Zeit mit Spielen, Sauffen und Liederlichkeiten hinbringen, und Profeßion davon machen, wie sie andern Studiosis die edle Zeit verderben, ihnen übelangewandte Unkosten machen, sie wohl gar um ihr Geld betriegen, und sie zu allerley Untugenden, und zum Schlagen und Rauffen verführen und verhetzen mögen, wodurch mancher um seine Gesundheit, ja um Leib und Leben gebracht wird; So sollen dergleichen unnütze und schädliche pondera terrae und pestes Reipublicae, wie Wir in dem publicirten Duell-Edict schon verordnet, zu Göttingen nicht gelitten, sondern, wann sie nach geschehener Warnung sich nicht bessern, die Stadt und deren Gegend zu räumen durch hinlängliche Mittel angehalten werden.

XI.

Alle Schrifften, die zu Göttingen zum Druck gegeben werden, sollen vorher der Facultät, in deren Profeßion jede Schrifft läufft, zur Censur übergeben werden, und ohne Nahmens-Unterschrifft des jedesmahligen Decani, oder Censoris, soll kein Buchdrucker, bey Verlust seines Priuilegii und anderer willkührlicher Straffe, das geringste weder setzen noch drucken: auch sollen die Buchdruckere den Abdruck nach dem censirten Exemplar aufs genaueste einrichten, und solches Exemplar nicht allein bewahren, sondern auch auf Erfordern es zu produciren schuldig seyn, damit man es mit dem Abdruck

zusammen halten und erkennen könne, ob eines mit dem andern gebührend übereinkomme.

Für diese beschwerliche Arbeit des Censirens soll ein billiges an Gelde von dem Buchdrucker, welcher deshalber an dem Editore der Schrifft seinen Regreß nimmt, gegeben werden. Von solcher Censur befreyen Wir dennoch diejenigen Schrifften, welche die Professores in allen Facultäten selbst verfertiget haben werden und herausgeben wollen, auf deren Verantwortung, die sie Unserm Geheimten Raths-Collegio allenfalls zu leisten haben, Wir es ankommen lassen, daß nichts anstößiges noch bedenckliches darin sey.

XII.

Alle graduirte Personen, die nicht bey der Stadt in Diensten stehen, gehören allein unter die Jurisdiction der Universität, und haben sich bey derselben immatriculiren zu lassen, ingleichen die Universitäts-Buchhändlere, Buchdruckere, und Buchbindere, mit ihren Gesellen und Lehr-Jungen, wie auch die Gastwirthe oder Tracteurs, deren Annehmung der Universität etwan erlaubet werden mögte, mit ihrem in Kost und Lohn habenden Gesinde.

Die graduirte Personen aber, die bey der Stadt Officia haben oder bekommen, verlieren dadurch ihr forum priuilegiatum bey der Universität.

Die Advocati und Notarii, sie stehen bey der Stadt in Diensten oder nicht, seyn unter dem foro zu lassen, welches sie biß dahin gehabt.

Die graduirte Personen, ingleichen die Universitäts-Buchhändlere, Buchdruckere, und Buchbindere, auch übrige Universitäts-Verwandte und Angehörige, nicht minder die Professores selbst, die Bürgerliche Häuser eigenthümlich besitzen oder acquiriren, stehen wegen der von solchen Häusern herrührenden actionum realium, auch, dafern sie Bürgerliche Nahrung und Gewerbe treiben solten, in Absicht dieser unter dem foro ciuitatis.

XIII.

XIII.

Wir haben ferner der Universität zu Göttingen erlaubet, einen eigenen Wein- und Bier-Keller, wie auch eine eigene Apothecke, zu halten, deren Administration oder Verpachtung zu der Administration des übrigen fundi Academiae gehöret, und deren Aufkünffte in denen Registern selbigen fundi zu berechnen seyn.

XIV.

Der in Officio zu Göttingen sterbenden Professoren und übrigen Universitäts-Verwandten Wittwen behalten währendes ihres Wittwen-Standes das forum, welches ihre verstorbene Ehemänner gehabt, ingleichen die Kinder das forum ihrer Väter biß zu ihrer Majorennität, oder biß sie solches durch Dienstnehm- oder Verheyrathung oder sonst verlieren.

Wann Professoren oder andere Universitäts-Verwandte, die Besoldung von Uns geniessen, sterben, so geniessen ihre Erben in linea descendente, oder ihre Wittwen, wenn sie ihre Erben seyn, so, wie es bey Unsern übrigen besoldeten Civil-Bedienten üblich ist, das Quartal der Besoldung, worin der Erblasser gestorben, als ein deseruitum, und noch darüber ein Gnaden-Quartal. Das erstrecket sich aber nicht auf Emolumenta extraordinaria oder so genannte Accidentia, die der Verstorbene neben seiner Besoldung zu geniessen gehabt, auch nicht auf heredes ex testamento oder ex pacto, wenn es nicht der verstorbenen Wittwen seyn.

XV.

Wann ein Professor oder anderer Universitäts-Verwandter zu Göttingen ein Bürgerliches Hauß oder andere dingpflichtige Immobilia eigenthümlich an sich bringet, ist er die hergebrachte Onera realia, worunter die Einquartirung, oder an statt deren das Servis-Geld, mit gehöret, davon abzuführen schuldig, weil die Exmirung

davon

davon ein Praeiudicium tertii mit sich bringet, und der übrigen Bürgerschafft zur Last zuwachsen würde.

Von Oneribus personalibus aber ist und bleibt ein solcher allerdings befreyet, auch von Abstattung des Bürger-Eydes und von würcklicher Einquartirung: Und wollen Wir dahin sorgen lassen, daß mit den Oneribus realibus niemand der Universitäts-Verwandten über die Gebühr belästiget werde.

XVI.

Müssen zwar die Professores zu Verhütung alles Unterschleiffs den Consumtions-Licent Unserer Licent-Ordnung gemäß entrichten: Es werden aber zu ihrer Indemnisirung deßfals einem jeden Professori jährlich, das erste Jahr von dem Tage seiner Ankunfft zu Göttingen an zu rechnen, viertzig Reichs-Thaler, dem Syndico, dem Secretario, und Stallmeister der Universität, einem jeden dreyßig, und den Sprach- und Exercitien-Meistern zwantzig Thaler jährlich an baarem Gelde aus Unserer Licent-Casse erstattet werden.

XVII.

Alle Universitäts-Verwandte und Bediente zu Göttingen, ingleichen deren Wittwen und Kinder, sollen in Erbschaffts- und andern sonst gewöhnlichen Fällen von denen Abzugs-Geldern, in der Maasse, wie andere Unsere Bediente, gäntzlich befreyet seyn.

Ratione der Erbfolge der versterbenden Universitäts-Verwandten zu Göttingen an sich, ist es nach denen gemeinen Rechten und denen publicirten Landes-Constitutionen lediglich zu halten, ohne hierunter auf die Göttingische Stadt-Statuta oder Iura consuetudinaria particularia, falls deren, die von dem Iure communi abweichen, sich finden, zu reflectiren.

XVIII.

Die Beamte in Unsern Landen, die nicht über sechs Meilen von

von Göttingen entsessen seyn, sollen schuldig und hiemit befehliget seyn, wenn sie einen Delinquenten zum Tode zu bringen haben, solches der Medicinischen Facultät zu Göttingen ex officio vorher zu notificiren, und auf deren Ansuchen das Cadauer des Delinquenten zur Anatomirung ohne Entgeld und ohnweigerlich abfolgen zu lassen.

Solche Cadauera sollen von denen Beamten, wo die Execution der Delinquenten geschehen, zur Frohn dem Professori Anatomiae nach Göttingen frey geliefert werden.

Solte mit einem dergleichen Cadauere, um es nach Göttingen zu bringen, unterwegens mehr als eines von Unsern Aemtern berühret werden müssen, haben die Beamte, die es betrifft, sich mit einander zu verstehen, daß die Lieferung nach Göttingen zur Frohn, von Amt zu Amt, wie es bey Lieferung der Delinquenten gehalten wird, Abwechselungs-Weise ohne Verzug geschehe.

Zum Nutzen und Gebrauch der Medicinischen Facultät, und sonderlich des Professoris Anatomiae, haben Wir wegen eines Theatri Anatomici, ingleichen eines Horti Medici, welchen der jedesmahlige Professor Botanices zu dirigiren und in specialer Obacht zu halten haben wird, Veranstaltung machen lassen. Die Universitäts-Apothecke, so viel das Corpus der in derselben vorräthig zu haltenden Materialien und Medicamenten betrifft, zu dirigiren und zu visitiren, stehet allein der Medicinischen Facultät zu, ingleichen das Examen der Universitäts-Chirurgorum.

Wegen der Stadt-Apothecke und der Bürgerlichen Amts-Chirurgorum in der Stadt, die von der Universität keine Dependentz haben, bleibet es in diesen Puncten so, wie es bißher gewesen, es sey dann, daß hiernächst durch Vernehmung mit dem Stadt-Magistrat und gemeinschafftliches Belieben hierin andere Verfassung zu machen gut gefunden werden mögte.

XIX.

Den sämtlichen Professoribus ordinariis aller 4. Facultäten legen Wir, in so fern sie nicht bereits mit einem besondern und höhern Prädicat und Range begnadiget sind, oder künfftig begnadiget werden mögten, denjenigen Rang bey, welcher Unsern Räthen nach Unsers in GOtt ruhenden Groß Herrn Vatern Liebden Rang-Reglement zukommt, so, daß sie dessen von Zeit ihrer Beeydigung und Introduction ins Collegium Professorium an, sich zu erfreuen haben, und also jetzt und künfftig hin die Professores ordinarii Unserer Universität zu Göttingen, gegen andere Unsere Bediente zu rechnen, mit Unsern Räthen nach der Anciennität rouliren sollen.

Unter sich aber und zwar in Conuentibus und Solennitatibus Academicis, da sie ein Corpus ausmachen oder collegialiter erscheinen, als wohin auch die Leichen-Processiones und Versammlungen in dem ordentlichen Kirchen-Stande gehören, haben dieselbe nach denen 4. Facultäten, und jeder von ihnen nach dem in seiner Facultät ihm angewiesenen loco sich zu rangiren, und solches Corpus hat alsdann allenthalben vor dem Corpore des Schultheissen, Bürgermeistere und Raths den Vortritt und Vorsitz. Bey Privat-Zusammenkünfften ein oder anderer Professorum unter sich, verstehet sich von selbsten, daß ein Professor vor dem andern nach der Ordnung und der Praerogative jeder Facultät, und seinem loco in der Facultät, den Rang zu nehmen habe.

Wann aber einzelne Professores, oder andere Universitäts-Verwandte, mit jemand von dem Stadt-Magistrat, oder dessen zugehörigen, priuatim oder publice concurriren, so folgen, was den Rang anlanget, unmittelbahr auf die Professores ordinarios in denen 4. Facultäten, der Gericht-Schultheiß, nach diesem der Universitäts-Syndicus, und nach demselben die beyde Bürgemeistere: nach diesen folgen in einer Classe, und so, daß sie mit einander secundum senium rouliren, der Stadt-Syndicus, der Stadt-Physicus,

ſicus, der Univerſitäts-Secretarius, und die Profeſſores extraordinarii nach Ordnung der Facultäten: Dann die Doctores und Licentiati, die keine Profeſſores ſeyn, und zuletzt die Raths-Verwandte und der Stadt-Secretarius, und zwar dieſe letztbenannte in der Ordnung des Ranges unter ſich, worin ſie bisher geſtanden.

Denen Profeſſoribus, welchen Wir Hoff- oder andern characteriſirten Raths-Titul und Rang beygeleget, oder etwan ferner beylegen mögten, ingleichen denjenigen, die ſonſt aus dem Mittel der Univerſität oder des Raths mit einem perſonellen Rang und Prädicat von Uns begnadiget werden, kommt derſelbe allenthalben extra Collegium, und wann ſie mit andern Bedienten concurriren, zu ſtatten, nicht aber in Conſeſſibus Facultatis, oder andern Collegialiſchen Zuſammenkünfften: immaſſen ſie in denenſelben, wie oberwehnet, ihren Sitz nach der Ordnung und in dem Rang zu nehmen haben, welcher ihnen wegen ihres ordentlichen Amts gebühret.

XX.

Demnach eine Bibliotheca ein nöthiges Requiſitum einer wohleingerichteten Univerſität iſt, ſo ſind Wir bedacht geweſen, Unſere Univerſität zu Göttingen zulänglich damit zu verſehen. Zu dem Ende haben Wir nicht allein einen guten Vorrath von Büchern aus Unſerer Bibliothec zu Hannover dazu geſchencket, ſondern auch gewiſſe fundos und Zugänge angeordnet, aus welchen ſolche Univerſitäts-Bibliothec nach gerade vermehret werden ſolle.

Vornehmlich aber hat dieſelbe dadurch bereits ein groſſes Anſehen und Zuwachs bekommen, daß Unſers weyland Geheimten Raths und Groß-Voigts, Joachim Heinrichs, Freyherrn von Bülow, Erben deſſelben koſtbare und auserleſene Bibliothec, zum unvergänglichen Ehren-Denckmahl ihrer Familie, der Univerſität verehret.

Wie dann auch bey der wegen der Aufsicht auf die Bibliothec und wegen deren Gebrauchs, zum Behuef so wohl der Professorum, als der Studiosorum, gemachten Vorkehrung dahin gesehen ist, daß deren Gemeinnützigkeit, so weit als immer füglich geschehen kan, erstrecket werden mögte.

XXI.

Allen Doctoribus, Licentiatis, Magistris, und Baccalaureis zu Göttingen, wann sie gleich keine Professores sind, soll frey stehen, in ihrer Profession priuatim zu dociren.

Damit jedoch kein Mißbrauch davon gemachet, und denen in jeder Facultät bestelleten Professoribus kein ungebührlicher Eintrag dadurch zugezogen werden möge, so verordnen Wir,

1) Daß alle Stipendiati, Genossene der Frey-Tische, und andere Beneficiarii, zwar nach ihrer Convenientz bey jetztgemeldeten graduirten Privat-Lehrern wohl Collegia priuata halten und hören mögen, aber verbunden seyn sollen, auch die Collegia der Professoren ohne Hintansetzen und vorzüglich zu besuchen.

2) Daß diejenige, welche einen Gradum Academicum zu Göttingen annehmen wollen, wann sie nicht extranei seyn, dazu nicht verstattet werden sollen, sie haben dann der dortigen Professoren, in der Profeßion, wovon sie Candidati seyn, Collegia gehöret, und

3) Daß diejenige, welche in Unsern Landen zu Ehren-Aemtern und Bedienungen, wozu Studia erfordert werden, sich angeben, wann sie zu Göttingen studiret haben, vor ihrer Annehmung durch glaubwürdige Attestata beweisen sollen, daß sie auch bey denen dortigen Professoren Collegia gehalten.

4) Soll keinem Candidato Theologiae, auch keinem Magistro Philosophiae, ohne ausdrücklichen schrifftlichen Consens der Theologischen Facultät, in Theologia zu lesen erlaubet, sondern solches auf alle Weise bey scharffer Straffe verboten seyn.

5) De-

5) Denen Aduocatis non promotis, Notariis, Medicinae Practicis non promotis, alten Studiosis, und andern nicht graduirten Personen, soll, Collegia docendo zu halten, in genere und gäntzlich bey gleichmäßiger Straffe verboten seyn, es sey denn, daß sie sich von dem Decano Facultatis examiniren lassen, und von demselben Freyheit und Erlaubniß dazu bekommen.

Einem Professori soll nachgelassen seyn, auch ausserhalb der Profeßion, wozu er eigentlich und specialiter bestellet ist, priuatim zu lesen, was er kan und will, ohne daß der Professor ordinarius, in dessen Profeßion es schläget, solches wiedersprechen oder hindern dörfe, nicht aber ausser seiner Facultät, als nur allein in Philosophicis: also daß keinem Theologo frey stehet, Iuridica oder Medica, auch keinem Juristen oder Medico, Theologica und so ferner zu dociren. Es ist aber den Professoribus dieser 3. Facultäten, auch Philosophica, und den Iureconsultis, die Kirchen-Historie zu lesen, erlaubet.

XXII.

Unsere studirende Landes-Kinder und Unterthanen wollen Wir zwar auf eine Gesetzliche Weise nicht verbinden, daß sie wider ihre Convenientz und Willen Unsere Universität zu Göttingen absolute frequentiren sollen, und Wir seyn ebenwenig gemeinet, wann sie das nicht gethan haben, sie von aller Beforderung in Unsern Landen auszuschliessen; Wie Wir aber dieselben allerseits Landesväterlich und gnädigst ermahnen, ihre Studia mit Ernst und Eyfer zu treiben, und sich dahin allen Fleisses zu bestreben, daß sie etwas rechtschaffenes und gründliches erlernen, und bey einer geringen und seichten Gelehrsamkeit nicht bestehen bleiben mögen, insonderheit auch die humaniora und Studia elegantiora nicht hintanzusetzen; Also versprechen Wir hiemit allen denen unter ihnen, welche zu Göttingen ihre Studia Academica getrieben, und entweder öffentliche

Specimina ihres Fleisses und ihrer Geschicklichkeit abgeleget, oder von der Universität ein gutes Zeugniß ihrer Erudition und Wohlverhaltens aufzuweisen haben, daß sie bey vorfallenden Gelegenheiten vor andern zu denen Bedienungen, zu welchen sie sich qualificiret, befordert werden sollen.

XXIII.

Denenjenigen, welche auf mehrgedachter Unserer Universität in Iure oder Medicina einen Gradum angenommen, oder pro Gradu disputiret, mithin die in den Statutis Facultatum verordnete Examina rigorosa ausgestanden haben werden, legen Wir den Vorzug bey, daß sie in Unsern Landen, ohne dem nach den Verordnungen sonst erforderlichen Examini unterworffen zu seyn, ad Praxin zugelassen, und diejenigen, so als Aduocati practiciren wollen, auf ihr gehöriges Anmelden, und Production ihres Diplomatis und habender Zeugnisse ihres Lebens und Wandels, bey Unserm Ober-Appellations-Gerichte mit der gewöhnlichen Matricul, die Medici aber auf ihre Legitimation und Anmelden bey Unserer Geheimten-Raths-Stube, mit der Conceßion zur Praxi Medica versehen werden sollen.

Desgleichen wird bey Unserm Consistorio bey Besetzung der Kirchen- und Schul-Dienste, insonderheit derer, welche von einiger Wichtigkeit sind, auf solche Personen, die zu Göttingen einen Gradum in Philosophia oder Theologia erhalten, und öffentliche Specimina eruditionis abgeleget, wann dieses mit einem frommen unsträfflichen Wandel, hinlänglicher Geschicklichkeit, und übrigen Requisitis verknüpfet ist, nicht weniger von Unserm Ober-Appellations-Gerichte bey Bestellung der Procuratorum, auf graduirte Subiecta vor andern mit gesehen werden.

Wir Wollen aber dagegen den Decanis und übrigen in den Facultäten sitzenden Professoribus aufs ernstlichste hiemit injungiret

ret haben, daß sie die vorzunehmenden Examina nicht allein auf practische Materien mit richten, sondern auch überhaupt so genau und gründlich anstellen, daß man sich darauf verlassen könne, und die Facultäten Ehre davon haben, die Gradus aber durch unwürdige Subiecta nicht verächtlich gemachet werden. Wiedrigen Falls Wir Uns vorbehalten, dasjenige, was hierunter so eben verordnet, zu ändern oder gar aufzuheben.

XXIV.

Denen, welchen zu Erlangung Geistlicher oder anderer Beneficiorum in Unsern Teutschen Landen ein Triennium Academicum auszuhalten gebühret, soll dasselbe von dem Tage an, da sie bey der Universität zu Göttingen sich haben immatriculiren lassen, und ihre Studia daselbst angefangen, gerechnet werden.

Wir dispensiren auch wegen gedachten Triennii aus Landes-Fürstlicher Macht hiemit so weit, daß diejenige, welche anderswo ihre Studia Academica angefangen, aber kein volles Triennium continuum daselbst ausgehalten haben, solches auf Unserer Universität vollenden können und mögen, und daß solche ihre anderwerts zugebrachte Academische Jahre in computum des Triennii ihnen zu gute gerechnet werden sollen.

XXV.

Ist zu Anleg- und beständiger Unterhaltung einer guten Anzahl von Frey-Tischen Anstalt gemachet, damit die Studiosi, und sonderlich Landes-Kinder, denen es an genugsamen eigenen Mitteln fehlet, durch deren Abgang nicht behindert werden, auf der Universität denen Studiis obzuliegen, und die Fähigkeit ihrer Ingeniorum zum Dienst des Vaterlandes zu excoliren und anzuwenden.

XXVI.

XXVI.

Wollen Wir aus dem Mittel Unserer Geheimten Räthe zu Hannover zween als Ober-Curatores bestellen, welchen die Ober-Aufsicht und Ober-Direction über Unsere Universität zu Göttingen specialiter anvertrauet seyn, und deren Amt darin bestehen solle, selbiger Universität in allen Vorfallenheiten beyräthig zu seyn, und ihre Wohlfahrt, Bestes, und Priuilegia biß an Uns kräfftig zu handhaben, zu vertreten und zu befordern.

XXVII.

Sind Wir in Gnaden geneigt, obstehende Beneficia und Begnadigungen, nach Erforderung der Gelegenheiten und Umstände, zu erweitern, zu verbessern, und dem jederzeitigen Zustande der Universität näher und conformer einzurichten: Wie Wir dann zu diesem Ende so wohl, als auch zur Handhabung der Statutorum Academiae, und Abschaffung aller etwa einschleichenden Mißbräuche und Gebrechen, die Universität zu gewissen Zeiten durch besonders dazu verordnete Commissarios visitiren zu lassen, Uns ausdrücklich vorbehalten.

Zu Uhrkund alles obigen haben Wir dieses eigenhändig unterschrieben, und mit Unserm grössern Insiegel bestärcken lassen. So geschehen und gegeben Hannover am 7ten Decembris des Eintausend Siebenhundert und Sechs und Dreyßigsten Jahrs, Unsers Reichs im Zehnten.

GEORGE R.

(L.S.)

Hattorf.

IN-

)(o)(

I.

INDEX ACADEMIARVM (a)GEOGRAPHICVS.

IN ANGLIA.

Cantabrigiensis. Oxoniensis.
Stanfordiensis.

IN BELGIO FOEDERATO.

Franeckerana. Groningensis.
Harderouicensis. Lugdunensis.
Vltraiectina.

IN BELGIO REGIO.

Duacensis. Louaniensis.

IN DANIA.

Hasniensis. Sorana.

IN GALLIA.

Andegauensis. Aquensis.
Arausionensis. Auenionensis.
Aurelianensis. Bituricensis.
Burdigalensis. Cadomensis.
Diuonensis. Lugdunensis.
Monspeliensis. Mussipontana.
Nannetensis. Nemantensis.
Parisiensis. Pictauiensis.
Rhemensis. Tolosana.
Valentina.

(a) Earum videlicet, de quibus scripta historica supra produximus.

IN GERMANIA.

IN HELVETIA.

IN HISPANIA.

Referantur & huc Americanae:

IN HVNGARIA.

IN ITALIA.

IN LVSITANIA.

IN POLONIA.

IN RVSSIA.

IN SICILIA.

IN (b) SVECIA.

(b) Huc refero *Finlandiam*, *Liuoniam*, & *Scaniam*: quia Sueciae Reges conditores habuerunt harum regionum Academiae.

II.

INDEX AVCTORVM, QVI (a) ILLVSTRARVNT HISTORIAM ACADEMIARVM.

(a) Anonymos, quos detegere non potui, praetereo. Syllogas tamen Anonymorum commemoro, e. g. *Acta Academica*, *Noua literaria Germaniae*.

Rudol-

Ber-

INDEX.